BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XVIII
F
15
NAPOLI

VIII - F. 15. 16 -

Digitized by Google

JURIS NATURÆ
LARVA
DETRACTA
COMPLURIBUS LIBRIS
SUB
TITULO
JURIS NATURÆ
PRODEUNTIBUS.

UT

PUFFENDORFFIANIS, HEINECCIANIS,
WOLFFIANIS &c.

ALIIS,

QUORUM PRINCIPIA JURIS NATURÆ FALSA OSTENDUNTUR: IGNORANTIAM, QUAM CATHOLICIS AFFINGUNT, IN IPSIS REGNARE PRODITUR, CAVILLATIONES DETEGUNTUR: PROMISSA SPLENDIDA, AB IPSIS NON SERVATA EXPONUNTUR: PUGNÆ ET CONTRADICTIONES EORUM INTER IPSOS, ET SECUM IPSIS EXHIBENTUR: SCOPUS ILLORUM PRÆCIPUUS, NIMIRUM CATHOLICÆ REI DETRIMENTUM DENUDATUR: NOBILITAS, JUVENTUS, POLITICI, PERICULI ADMONENTUR.

A

P. ANSELMO DESING, Benedictino Congregationis Bavaricæ ex Monaſterio Ensdorff, Eminentiſſimi Cardinalis de Lamberg, Exemptæ Eccleſiæ Paſſavienſis Epiſcopi & S. R. J. Principis Conſiliario.

CUM FACULTATE SUPERIORUM

MONACHII
Sumptibus Joannis Urbani Gaſtl, Bibliopolæ. M. DCC. LIII.

[illegible] 1760.

*

PRius quidem conſpicui erant hæretici; nunc autem occultis hæreticis repleta eſt Eccleſia. Defecerunt enim homines a veritate, & pruriunt auribus. Sermo ad perſuadendum artificioſe compoſitus agitur? Omnes ſuaviter audiunt. Sermo ad animi converſionem comparatus? omnes avertuntur. Defecerunt plurimi a rectis doctrinis, & malum propenſius eligunt, quam ſe applicent bono. Hæc igitur defectio eſt, & exſpectandus jam inimicus, & jam ex parte præcurſores ſuos mittere occepit, ut ipſe ad prædam paratus ſubſequatur. Tibi igitur provide o homo, & animam ſecuram redde. *S. Cyrillus Hieroſolimitanus Catecheſi. XV, num. IX.*

REVERENDISSIMO
AC
EMINENTISSIMO
S. R. E.
CARDINALI
DE
LAMBERG,
EXEMPTÆ
ECCLESIÆ PASSAVIENSIS
EPISCOPO
PASTORIQUE ZELOSISSIMO,
S. R. I.
PRINCIPI
CELSISSIMO

DOMINO DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO.

PRINCEPS EMINENTISSIME.

MUlta ad TE meditatus cur nihil prope jam de TE dicam, TU mihi, Princeps Eminentiſſime, es auctor, Quippe cum jam quinto abhinc anno orarem, uti patereris nomen tuum velut ſcutum operæ huic meæ præfigi, non prius annuiſti poſtulatis, quam interpoſito interdicto, nequid pro aliorum more in laudes tuas exararem, addito epiphonemate ex modeſtiæ arcanioribus receſſibus petito: Si laudes ſcriberem, viſum iri cæteris, dicere me potius, qualem te eſſe oporteat quam qualis ſis. Equidem tametſi in aliis fortaſſe id poſſit habere locum, at non in TE, mihi tamen tuis parere mandatis plane eſt neceſſe. Premo igitur ſilentio cum decora tua ſingularia, tum ſingularia in me beneficia. Neque eò premo, ut plane conticeſcam, ſed ut alio tempore extra conſpectum tuum poſitus majore cum libertate erumpere ſinam utrumque, quando alterum ſine altero efferre piaculi inſtar habeo.

Ce-

Cæterum hoc ſolum commemorandum eſt, duobus maxime nominibus operam hanc eſſe Tuam. Primum quod è Bibliotheca tua Principali præſtantiſſima eam potiſſimum deprompſi: alterum quod Tute mihi ejus adornandæ occaſio fuiſti & auctor.

Bibliotheca Principalis tua nova fere eſt, & novo ſtudio LAMBERGII maxime nominis inſtructa. Non quod majores tui hujus Sacræ Sedis antiſtites non tenerentur ſtudio librorum, aut libros non conquirerent. Conquiſierunt enim vero ſemper & præcipua quadam cura habuerunt. Ac remotiori quidem illa ætate codices veterrimos eosque exquiſitiſſimos cum collegiſſent, velut ſacros illos habuerunt, neque alibi, quam in Sacrario aſſervari fecerunt, hoc eſt, eodem in loco, ubi præter veſtes & ornamenta ſacerdotalia cuſtodiebantur etiam vaſa aurea argenteaque & reliquus Eccleſiæ Theſaurus, ipſæque adeo Sanctorum reliquiæ, quem locum Sacriſtiam novior ætas dicere cœpit. Neque vero ſine cauſa pulcherrima hoc fuit à majoribus tuis inſtitutum, ſed eo maxime, ut cum eodem in loco Clerus omnis hujus Eccleſiæ dies noctesque agere frequens ſoleret, cum primum vacuum aliquod à re divina tempus eſſet, illud inſpiciendis veſtigandisque his codicibus eodem loco expoſitis ab unoquoque poſſet impendi. Scholaribus præterea ipſis, qui majore numero hic nutriti divinis myſteriis chorisque miniſtrabant, magno litteraria ea ſupellex præſidio fuit. Hinc enim eſt factum, ut cum illo tempore ſcholæ aliæ his in oris deficerent, ex hac tamen ſola tot imbuti ſacris litteris viri exirent, quot ſufficerent ad ampliſſimam hanc dioceſin minorum gentium Sacerdotibus inſtruendam. Temporis deinde ſucceſſu exauctam litterariam ſupellectilem ſacrarium haud cepit. Locus igitur huic amplior, imo loca ampliora aperta ſunt: alius in palatio Epiſcopali peramplo, alius in arce D. Georgii civitati imminente, ubi ſedem, turbidis cumprimis publicis rebus, antiſtites ſæpe figebant, ne mediis quidem in tumultibus ſacra à ſe ſtudia abeſſe paſſi. Certe librorum & codicum magnus hic extabat numerus, neque numerus tantum, ſed & delectus ex omni literarum genere. Sacri, profani, Latini, Germani, Græci, Hebraici ornabant forulos. Sed heu fatales anni duo ut cætera vetuſta Pataviæ decora, ita & hos litterarum theſauros triſti incendio abſtulerunt. Abſtulerunt, ita tamen ut locum novis ſtudiis facerent. Tota namque Europa clariſſimus avunculus tuus idemque in hac Sede ac Dignitatibus cæteris anteceſſor *JOANNES PHILIPPUS Cardinalis idem LAMBERGIUS* mox ut è cineribus reſtituit cathedralem baſilicam nihil antiquius habuit, quam bibliothecam etiam de novo ſtatuere ampliſſimam, pulcherrimam, præſtantiſſimam. Cumque ipſe eſſet ſapientiſſi-

mus, ad hoc ipſum tamen uſus eſt opera celebris inter doctos viri *Auguſtini Erratb*, Canonici regularis: à quo docto librorum indice & ab illo Præſule ſapiente librorum judice nihil potuit niſi eximium ſperari. Eadem veſtigia tu, *PRINCEPS EMINENTISSIME!* ſecutus eadem ſapientia eademque munificentia conſtitutam jam bibliothecam magnis acceſſibus amplificaſti: neque hoc contentus integram adhuc bibliothecam aliam ex hereditate Comitis Schallenbergii Canonici Auguſtani, Præpoſitique Conſtantienſis multis florenorum millibus redemptam in medio bibliothecæ veteris, velut trophæum ſtudii in litteras tui collocaſti, additis compluribus aliis ornamentis, quæ enumerare longum eſt.

Quod ad alterum attinet, cum ex me non ſemel quæreres, ecquid utilitatis afferre mihi videretur jus naturæ illud, in quo ſcribendo tantum famæ ab aliquo tempore heterodoxi quærerent? exiſtimavi ad id mihi eſſe reſpondendum accuratius.

Videntur enim mihi illi ex Dominis Proteſtantibus Doctores in ſuſcipiendo hoc ſuo labore nec famæ ſuæ ſatis conſuluiſſe, & præterea non tantum nihil utilitatis peperiſſe mundo, ſed multos laqueos poſuiſſe morum doctrinæ, ſcopulos religioni, & reipublicæ pericula, ſiqui ſerio iſtorum principiis atque doctrinis animum dent adhibeantque ſuum.

Hæc ſingula ut, *PRINCEPS EMINENTISSIME!* velut in brevi tabula depicta ob oculos ponam, neque tibi tam gravibus negotiis, apoſtolicis laboribus, plurimaque alia legendi ſcribendique labore ſecundùm morem tuum occupatiſſimo neceſſe ſit in tenui hoc libro meo oculorum aciem ultra obtundere, ne, pauca hæc capita, quæ velut indicis tibi loco eſſe poſſunt.

I. Heterodoxi Scriptores famæ male conſuluerunt.

Imo. QUia ex ipſorum libris apparet, ipſoſmet neſcire quid per jus naturæ intelligant. Cum alius Grotium dicat primum inventorem Rationis naturalis, & qui per miraculum hoccè jus invenerit. *Larva Detracta Cap. XV. Them. XI. XII.* Cum tamen alii, ut Salmaſius aſſeverent, neminem unquam minori cum vi ratiocinari quam Grotium, cujus nulla pagina vacet inſignibus erratis. *Cap. XV. Them. XIII.* Ipſeque Puffendorffius primus Juris

ris naturæ profeſſor edicat, Grotii librum adeo inſanabilem eſſe, ut emendationi locus nullus ſit, ſed refundendus ex integro fuerit, ſiquidem jus naturæ procudendum ex eo eſſet. *Cap. X. Them. XV.* Nec diſſimilia de Grotio Gundlingius cenſet. *Cap. XIV. Them. IV. num. 1.*

Ipſe etiam Thomaſius, qui agnoverat, Grotium ſingulari numinis beneficio miſſum fuiſſe ad ſanam rationem, ſeu jus naturæ in luce ponendum, eodem ore fateri cogitur, confuſionem poſt Grotium multo evaſiſſe majorem. *Cap. XV. Them. XIII.*

De Puffendorffio vero quid ſit ſentiendum, Gundlingius prodit, nimirum illum jam civilia, jam jus naturæ, jam gentium jus confundere adeo, ut hominem doctiſſimum, Gundlingium, ne dicam tyrunculos, perturbaverit. Adeo male cecidit huic emendatio Grotii, adeoque parum intellexit, quæ demum res eſſet Jus naturæ. *Cap. XIV. Them. IV. num.* 10.

Quid Velthuſius de anteceſſoribus ſuis prædicet. *Cap. XV. Them. I. num. 7.* Videre eſt. Nempe in ſtuporem rapitur hic, quod nemo unus ante ſe tetigerit ſcopum juris naturæ, idque iis accidiſſe exiſtimat aut ſocordia aut ingenii hebetudine.

Ante annum porro hujus ſeculi noſtri decimum ſeptimum omnes omnino, (Thomaſio excepto, qui tamen ad tyrones non pertineat) juris naturæ confuſam tantum ideam habuiſſe, & honeſtum atque decorum juri huic miſere immiſcuiſſe decrevit Kemerichius Academiæ nobilium Præſes. *Cap. VIII. Them. XIII.*

Quid quod Heineccius nuper anteceſſoribus & magiſtris ſuis ad unum omnibus hanc feralem dicit Sententiam, ipſos pleraque confuſe tractare, ut nihil fere ſit in libello, quod veluti certam ſedem habeat: quodque eſt multo deterius, ipſos aut nulli certo principio ſuperſtruere, aut principia parum idonea admittere, ut data veluti opera tenebris omnia involvere voluiſſe videantur. *Cap. VII. Them. XIV.*

Quam parum autem de Jure naturæ tetigerit Heineccius, & fere totus in decoro, aut in jure civili verſetur, duobus locis nonnihil oſtendo *Cap. VIII. Them. XIV. & Cap. XIV. Them. VI.*

Sic itaque exiſtimo, ſi intellexiſſent hi, qua de re ſit agendum, cum jus naturæ ſcribitur, non potuiſſet alter plaudere: Ego primus jus naturæ abſolutum dedi, alter vero huic inſultare: Non naturæ quidem jus illum ſcribere, ſed civile, honeſtum, jus gentium, quæ ſingula ad ſingulas alias diſciplinas non ad jus naturæ ſpectent.

Idem

Idem igitur Spectaculum, quod Chriſtianis fecere philoſophi gentiles, edidere nobis Catholicis Doctores iſti heterodoxi. De quo ſatis accommodatam mihi ſuggeſſit ſententiam Euſebius. *Cap. VII. Them. XV. num. 7.*

2do. Indolem atque vim juris naturæ iſtos ignoraſſe conficitur etiam ex hoc, quod neque *Principia* hujus diſciplinæ, niſi velut hariolando, agnoſcant, neque *Media*, neque *Finem* ejus atque ſcopum, qui tamen in moralibus eſſe debet anima & ſpiritus.

Non *Principia* juſti, quæ Hobbius in arbitrio hominum reponit: Puffendorffius in Societate humana: Pagenſtecherus in appetitu quodam animali: Heineccius in amore cujus cauſa latet: Wolfius in eſſentiis rerum phyſicis, quales inſunt & canibus, alii in aliis repoſita Sibi fingunt. *Cap. V. & de Wolffio late Cap. XVI.*

Non *Media* juris naturæ agnoſcendi rite tenent, quando auctoritatem, præcipue divinam longe abeſſe volunt ab eo, qui jus naturæ diſcere cupiat; & jubent ſola ratione agendum eſſe. Quo tamen inſtrumento uſi in miras de re tota pugnas fuere ſeducti: *Cap. VII. Them. XV. & Cap. IX. & Cap. X.* quod caput quia prolixum eſt, juverit fortaſſe præ cæteris conſulere *Them. II. III. V. XII. XV. XVI. Addi poteſt Cap. IX. Them. IX. num. 8.*

Non *Finem* juris naturæ. Hobbius quippe nudam ſui conſervationem etiam cum totius mundi ruina pro ſcopo juris habet. Puffendorffius non contentus neceſſariis, commodis hujus vitæ inhiandum jure naturæ ſuadet. Pagenſtechero placet illud: Creſcite &c. Pleriſque aliis pax externa civitatis. Wolffio perfectio phyſica facultatum humanarum, ſive potius continua tendentia ad perfectionem. Quæ ego *Cap. XI.* perſequor, maxime de commodis & pace externa diſputans, quæ ipſa à Gundlingio damnata ſunt eodem *Cap. XI. Them. XVIII. & Cap. XVII.* expono, quantum malum ſit illud ſummum bonum, quod Wolffius humanæ naturæ jure expetendum proponit.

Jam vero quis exiſtimet, illos doctores verum ſpiritum juris naturæ attingere, qui de rerum ſumma tam perdite, tam repugnantia ſentiant?

IIItio. Accedit his, quod ratiocinandi arte ac principiis deſtituti plerique quidlibet ex quolibet deducant, ſpecie veri aut illudi ſibi aut illudere aliis penſi non habeant, & ſophiſmatis contradictiones frequentiſſimas jungant *Cap. X. Them XIX. num. 7. Cap. XII. & XIII. & de Wolffio Cap. XVI. ac XVII.* quæ quidem poſteriora capita.

pita Spinoſa ſunt ſatis, quippe adverſus philoſophum cæteris fere aridiorem ſcripta.

Quamobrem merito mihi videor, Catholicos ab his deceptos fuiſſe *Titulo* juris naturæ ipſorum libris inſcripto. *Cap. XI. Them. XXVII. num. 3, &c. Cap. VIII. Them. XIII.*

II. Heterodoxi Doctores Juris naturæ ita dicti nihil utilitatis peperere mundo.

Imo. Quæ enim iſti exiliter tantum tractant, uberrime à Catholicis Scriptoribus, Patribus, Theologis, Jure-Conſultis Philoſophis pertractata fuerunt, clara methodo, rationibus multis. &c. Quos tamen Catholicos de ignorantia ſugillant. *Cap. XV. & Cap. XVI. Them. VII.*

IIdo. Jus naturæ, Gentium, ac neſcio quid præterea promittunt aliquot menſium tumultuaria enarratione adoleſcentibus infundere. Quod utilitatis multum habere non poteſt, tametſi admitteretur, ipſam doctrinam eſſe cum principiis ſuis bonam. *Cap. IV. Them. V. & Cap. XV. Them. I.*

III. Heterodoxi juris naturæ ſic dicti doctores periculoſi ſunt, & noxii moribus, conſcientiæ ac rei Catholicæ.

Imo. Quia ſola ratione jus naturæ agnoſci, ſic autem agnito jure regulari vitam, conſcientiam, rempublicam volunt. *Cap. IV.*

IIdo. Quia auctoritatem, præcipue divinam à cognoſcendo jure naturæ abeſſe jubent prope omnes: & Puffendorffius ſaltem rudibus eam permittit, qui auctoritati acquieſcant, eo quod neſciant invenire probabiles rationes, quibus auctoritatem convellant. *Cap. IX. Them. IX. num. 9. & eodem Cap. IX. Them. VIII. & Cap. X.*

IIItio. Quia confundunt ſtatum hominum hypotheticum cum primævo ſeu naturali, quod incautos periculo malæ applicationis exponit. *Cap. III.*

IVto. Quia à DEO, ab immortalitate animæ abſtrahere jubent, ut Atheis & Epicureis placeant. Nec de DEO ſerio loquuntur. Et religionem ludos fere faciunt. *Cap. X. Them. I. II. XI. Cap. XI. Them. XXIII. & de Wolffio Cap. XVI. & Cap. XVII.*

Vto. Quia contemnunt ſanctos Patres & religionis Chriſtianæ propagatores. *Cap. IV Them. VII. Cap. XV. Them. XIV. Cap. X. Them. VIII. num. 9. Cap. VII. Them. VII.*

VIto. Quia docent ſententias, quas Eccleſia Catholica damnavit, ſeu hæreticas declaravit, præter alias calumnias in Eccleſiam &c. *Cap. XII. Cap. X. Them. I.*

VIImo. Quia oderunt ſtatum Catholicum, & præcipue Puffendorffius non diſſimulat hoc ſe fine jus illud ſcripſiſſe. *Cap. IV. Them. XIV. addito Cap. XII. Them. II.*

In hiſce omnibus non ego vitupero, aberraſſe illos doctores à vero & bono: quis eſt enim mortalium, qui hoc à ſe alienum putet? Talia autem morum fundamenta, vitæque ducendæ leges ipſos præferri velle regulis Eccleſiæ per orbem diffuſæ, ipſique adeo divini Salvatoris doctrinæ; quodque Catholicos nos Chriſti doctrinam cum vita humana conjungentes ignorantiæ palam inſimulant, quod denique ſperant ſola ſua ratione ad ſanitatem mentis poſſe pertingere, idque audendi etiam juventuti ac nobilitati noſtræ auctores eſſe volunt; hoc demum neque tacendum mihi viſum eſt, hoc etiam dignum, quod ſalſiore interdum lixivio eluatur in iis, qui patientia noſtra ad pejora audendum plerumque abutuntur.

Videbis præterea, *PRINCEPS EMINENTISSIME!* non mihi hic ſuſcipi rem aut certamen cum Dominorum Proteſtantium doctrina ſymbolica, neque cum eorum Eccleſia aut cum principiis ſeceſſus eorum Polemicum haud ago. Pacem præterea quam tabulis Imperium noſtrum illis ſancivit, illis lubens faveo, ipſos honore afficio, amoque tanquam paulo poſt futuros genuinos noſtros per omnia fratres & nobiſcum in unitate fidei ſenſuros. Verum aliquos illorum doctores ſcriptoresque carpo atque redarguo, qui ad inſidiandum moribus rebusque noſtris abutuntur Jure naturæ, ad omnia alia, ipſorummet opinione, nato, quam ad rem Chriſtianam ſeu confovendam ſeu proturbandam.

Hæc cum ita ſint, tenuem hanc operam, dudum tuam & à TE, quemadmodum in principio dixi profectam; patere ad TE, redire, & ad Sacra TUA veſtigia à me deponi: quam ſi cenſura caſtigaveris, medicam manum lubens geſtiensque admitto: ſicubi probaveris, nihil inde meum, TUA omnia mecum ipſo eſſe, gratus agnoſcam. Superi TIBI vitam, ſalutem, TUIS in TE ſolatium atque præſidium diutiſſime concedant atque tueantur.

Dabam in Civitate TUA Paſſaviæ
Kal. Jan. Anno M. DCC. LIII.

EMINENTIÆ TUÆ.

**Submiſſiſſimus ac
Devotiſſimus in Chriſto ſervus
P. ANSELMUS DESING,
Ord. S. Benedicti.**

Cenſura Theologica Congregationis Benedictino-Bavaricæ.

TRia potiſſimum heterodoxi in ſuo noviter excuſo & multifariam disjecto *Juris Naturæ* ſyſtemate videntur intendere. Primum arguere Orthodoxos omnimodæ per omnia retro ſecula hujus diſciplinæ ignorantiæ. Alterum, inconcuſſa fidei catholicæ dogmata & diſciplinam per ſubdolam revelatorum principiorum ſuppreſſionem labefactare. Tertium, per hunc novitatis fumum Catholicam juventutem ex inconſulta parentum prurigine ad academias ſuas pertrahere, eandemque ibi ſub inſolitæ, fidemque, ut ajunt, nihil penitus attingentis eruditionis Larva periculoſiſſimis, ſub quibus modo mundus gemit, principiis demulcere. Quibus fundamentis hæc omnia auctor præſentium opuſculorum, quibus titulus (1. *Larva detracta.* (2. *Jus Naturæ ac gentium.* (3. *Diatribe de methodo Wolffiana.* (4. *Hypodigma de ſola ratione magiſtratibus præcipue periculoſa.* (5. *Diſquiſitio libri Spiritus legum.* (6. *Præjudicia reprehenſa præjudicio majore.* (7. *Regnum rationis modernum nihil præſtantius vetere:* pro ampliſſima ſua eruditione atque Veritatis & Orthodoxæ fidei Zelo expugnet, benevolus lector judicabit, qui non corticem cum ſupercilio deſpiciet, ſed nucleum matura & indifferente

meditatione diſcutiet. Cum autem adeo nihil hoc opus in Catholicam fidem & bonos mores offendat, ut potius integritati & ſanctitati eorundem per omnia conſulat; ideo ut quamprimum ſub publico typo multorum commodo illuceſcat, & dignum cenſeo & gratulabundus adopto.

Ex commiſſione Reverendiſſimi Domini D. Bedæ Abbatis Weſſofontani & Almæ Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præſidis Generalis &c. &c.

Salisburgi ex aula Archiepiſcopali 7. Octobr. An. 1751.

P. Benedictus Buecher Ord. S. Benedicti præfatæ Congregationis ad Quercum Superiorem Profeſſus, SS. Theologiæ Doctor, antehac in Archiepiſcopali Univerſitate Salisburgenſi Profeſſor & Decanus emeritus Protonotar. Apoſtol. Celſiſſimi Archiepiſcopi, & S. R. Imp. Pcincipis Salisburgenſis Conſiliarius Eccleſiaſticus, Aulæ Theologus, & Officialis Chiemenſis.

Mm. ppria.

CEN.

CENSURA.

MAndato Reverendiſſimi ac illuſtriſſimi Domini D. *Bedæ*, Angelicæ Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præſidis Generalis &c. &c. Obſecuturus, opuſcula hiſce titulis prænotata. (1. *Larva detracta.* (2. *Jus naturæ & Gentium.* (3. *Diatribe de methodo Wolffiana.* (4. *Hypodigma de ratione ſola magiſtratibus præcipue periculoſa.* (5. *Diſquiſitio libri Spiritus legum.* (6. *Præjudicia reprehenſa præjudicio majore.* (7. *Regnum rationis hodiernum nihil præſtare veteri.* Quæ vir celeberrimi inter eruditos nominis P. Anſelmus Deſing &c. adverſus erronea modernorum Juris naturæ Scriptorum principia & dogmata cum præclara eruditione & ſingulari perſpicuitate compoſuit, à me attente perlecta omnibus modis approbo, doctrinamque in illis contentam bonis moribus conſonam & Catholicæ fidei exacte conformem, atque adeo luce publica digniſſimam eſſe cenſeo.

Dabam ad S. Emmeramum
Ratisbonæ 7. Septembris
Anno 1751.

P. Frobenius Forſter SS. Theologiæ
Cand. examin. & approbat. p. t. Prior
ibidem.

Mm. ppria.

FACULTAS

Almæ & Exemptæ Congregationis Benedictino - Bavaricæ ſub titulo SS. Angelorum Cuſtodum.

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

NOs DEI gratia Beda Abbas Weſſofontanus p. t. Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præſes Generalis &c. Admodum Reverendo Religioſiſſimo ac Eximio P. Anſelmo Deſing Exempti Monaſterii Ensdorffenſis Profeſſo tenore præſentium facultatem concedimus, ut opuſcula hiſce titulis prænotata. (1. *Larva detracta* (2. *Jus naturæ & gentium.* (3. *Diatribe de methodo Wolffiana* (4. *Hypodigma de ratione ſola Magiſtratibus cumprimis periculoſa.* (5. *Diſquiſitio libri Spiritus legum.* (6. *Præjudicia reprehenſa præjudicio majore.* (7. *Regnum rationis hodiernum nihil præſtare veteri*: à duobus Theologis noſtris publica luce digniſſima judicata typis

typis vulgare valeat. In quem finem etiam D. Joanni Urbano Gaſtl bibliopolæ Monacenſi facultatem eadem edendi, ac Jus Privilegii Cæſarei eatenus impertimur, quatenus ipſo invito nulli alteri liceat eadem opuſcula, intra S. Romani Imperii fines recudere, vel alibi impreſſa importare, aut venum exponere. In cujus rei fidem has litteras manu noſtra & officii ſigillo munitas dedimus in exempto monaſterio noſtro Weſſofontano die 30. Septembris Anno 1751.

(L. S.) Beda Abbas Weſſofontanus p. t. Præſes Generalis.

Mm. ppria.

LICENTIA

Reverendiſſimi Domini D. Abbatis proprii.

NOs Anſelmus Ord. S. P. Benedicti in Monaſterio Ensdorffenſi exemptæ Congregationis Benedictino - Bavaricæ in Superiori Palatinatu Abbas perdilecto Conventuali noſtro Adm. Rev. P. Anſelmo Deſing &c. licentiam impertimur, ut opus Juridico - Polemicum *de Jure Naturæ &c.* magna induſtria & energaſia à ſe elaboratum publici juris & uſus facere poſſit, ſuppoſita eorum, quorum intereſt, approbatione. In cujus rei fidem has litteras manu & ſigillo noſtro Abbatiali munitas dedimus.

Ensdorſſii die 21. Aprilis Anno 1751.

(L.S.) Anſelmus Abbas.

Mm. ppria.

CONSILIUM SCRIPTIONIS.
LARVÆ DETRAHENDÆ.

1. PLerumque ſpecioſa ſunt, quæ ad nocendum excogitantur, ne ipſo mox aſpectu perterrefacti refugiant.

2. Quamquam autem non ob id, quod novum eſt aliquid ac ſpecioſum, illico damnandum eſt; eſt tamen interiore cura examinandum, & ad intimos uſque receſſus pertentandum: cumprimis ſi id ad totius vitæ rationes pertinet.

3. *JUS NATURÆ* res eſt pulcherrima ſane. Nec pulchra modo, ſed quæ ipſa ſua neceſſitate rapiat ad ſeſe animos. Quis enim aut non debet eſſe, aut non volet videri juſtus? Ita pulchrum exiſtimant omne juſtum, ut & qui eo maxime deſtituti ſunt, maxime cupiant ejus ornatu cohoneſtari, juſtique ſaltem videri.

4. Atque hac fortaſſe cauſa evenit, ut audito *Juris Naturæ in diſciplinæ ac ſcientiæ formam redacti* ſplendido nomine tam multi & olim & nunc accurrant, ſperantes innocenter, aliquid ſe intellecturos adhuc incognitum; eo quod in academiis nulla ſeorſim diſciplina *hoc titulo* proſtaret. Ex quo exiſtimabant, in hac jactata diſciplina eſſe revera quidquam, quod in aliis, quas audierunt, diſciplinis nequaquam reperiretur. Quod contra eſſe, & montes vægrande parturientes rancidum murem enixos eſſe, DEO bene vertente, demonſtratum dabimus.

5. Nam qui omnia, quæ ſpecioſo *Juris Naturæ* titulo circumferuntur, pro jure naturæ ſerio haberet, is profecto deciperetur plurimum; ut qui omnia, quæ aquis innatant, poma crederet.

6. Hanc certe pulchram perſonam induti comparuerunt ab annis fere centum tot Juris naturæ libri atque libelli, tam

parum ſani, multum vero putidi in receſſu habentes, ut ea non minima ſit hujus ætatis calamitas, tantum in permultis ad hos perdiſcendos pruritum conſurrexiſſe.

7. Ea res impulit nonnullos, ut in id malum depellendum incumberent. Ex quibus Chumberlandus Anglus civem ſuum Hobbium caſtigavit: Leibnitius & alii Puffendorffium: alii alios. Ipſe Puffendorffius Grotium, quem Juris naturæ parentem ipſe, utut falſo, jactat, adeo parum ſane ſentire judicavit, ut ne emendationi quidem foret locus, ſed totum opus refundendum ex integro eſſet. Quod ipſe adeo præſtitit infeliciter, ut, excepto forte Hobbio, nemo pejus in hoc genere peccaverit.

8. Nuper Cl. P. *IGNATIUS SCHWARZ* S. J. vaſto labore non unum illorum exerrantium, ſed complures unà aggreſſus id cumprimis exhibuit, quis eſſet præcipuus iſtorum ſcopus, qui finis? Nimirum catholicam religionem per vineas oppugnare, quando arma ipſorum Polemica, ſeu *Controverſiſtica*, quæ ajunt, hebetia jamjam eſſent: & præcipue juventutem Catholicam pervertere, quæ parentum nobilium culpa an errore paſſim ex his libris ſcholiſque venenum ſugere cogitur, ac multo etiam ære comparare.

9. Poteram in hoc Clariſſimi viri P. Schvvarzii labore conquieſcere. Verum, ut ſapientiſſimus Auguſtinus dudum monuit, expedit, pluribus libris atque modis eadem deſcribi, ut & in plurium manus deferantur, & vario hominum ingenio varie expoſita utilius deſerviant. Cum enim acatholica principia ſub larva juris naturæ quotidie de novo producantur, quid ni catholici ſæpius pluribusque libris ea emendemus?

10. Sane C. P. Schvvarzius ſcholaſtica plerumque methodo uſus eſt: multa plane laude. Sunt vero, qui hac non admodum delectentur, nec rigorem facile ferant. His ego operam impenſurus paulo ſolutiore ſtylo ſcribendum duxi.

11. Præterea vir Cl. majorem ambitum complexus, inſuper Catholicæ religionis, Hierarchiæ Eccleſiæ, & Politicæ cauſam agendam uberius ſuſcepit. Mihi campus non tam vaſtus placuit, neque hi nervi curſui tam longo jam ſufficiunt. Duas tantum appendices adjeci, ad hoc aliquid valituras.

Digitized by Google

12. Quæ vero tandem demonſtranda hoc libro ſumpſi, jam ediſſero. Primum oſtendam, ipſos hos novos in principiis ipſis aberraſſe à vero & bono. Eorum doctrinam abducere *poſſe* à DEO, & bonos mores publice ac privatim corrumpere. Fallacia ipſorum libros, calumniis, adhæc doctrinis noxiis eſſe fœdatos, ob eaque merito librorum prohibitorum albo inſertos. Cumque aut ſolus aut præcipuus ipſorum ſcopus ſit, præſentis tantum vitæ commoda Jure Naturæ quærenda eſſe, principibus deinde omnia concedenda; nemini non apparebit, ad hanc doctrinam non opus fuiſſe ullo doctore, ullove libro aut ſtudio. Quis enim cerdo non illud primum facile ſine ullis litteris doceat, ut naturæ animalis pruritui ſubjicientes rationem æternam, præſentia tantum quæramus, quærendoque juſtos nos naturaliter eſſe autumemus? Illud vero alterum quis Prætor ruſticanus non poterit prodere Principi, ut plus ſibi ſumat? Id quod libellus nuper non inelegans advertit, hoc titulo: Beweiß, daß die Univerſal-Monarchie die gröſte Glückſeligkeit von Europa wäre ꝛc.

13. Præcipue paſſim oſtenſurus ſum, ipſos promiſſis ſplendidis haudquaquam ſtetiſſe. Promiſerant plerique, ſe jus naturæ tradituros purum, ſincerum, ſcientificum, adeoque certum, & prope infallibile: præterea abſtractum ac repurgatum à ſordibus, ſcilicet, Patrum ac Theologiæ, jure civili atque Ethica. Ego contra monſtrabo, horum nihil ab ipſis impletum fuiſſe: cum principia nulla ineptaque ſtatuant, & velut data operâ tenebris omnia involvant; cum religionem veram impugnent; cum principia juſti, honeſti ac decori paſſim conturbent: quorum tamen diſcretio, horum opinione, id unum eſt maxime, ob cujus neglectum veteres noſtros ad docendum naturæ jura plane ineptos dictitant.

14. Id quoque docebo, Jus, quale ipſi tradiderunt, non eſſe Jus naturæ ab ipſiſmet definitum, ſed jus aliquod civile, ſaltem univerſale, vel neſcio quid aliud confuſum. Judicioque ea docebo per ipſorum ora prolato.

15. Hæc aliaque, quæ occurrent, ſi recte exegero, *LARVAM JURIS NATURÆ* horum libris detraxero, ne ſub ea pulchra perſona decipi juventus poſſit; & nudos ipſos, quales ſunt, in publicum produxero.

16. Sin ego hoc ipſum ob imperitiam & ingenii imbecillitatem aut omnino non, aut non ſatis ex argumentis ma-

jeſtate, nec dextre fortiterque præſtitero; equidem veniam jam publice efflagito ſimul, ſimul autem ſpero, fore deinceps quosdam me longe exercitatiores, qui veritatis, reique publicæ urgente charitate arma diu recondita ſtringant efficacius.

17. Non hic Naturæ jura ex integro deſcribimus. Secundæ hæ erunt nobis curæ. At, ne vago pede per invia circumferremur, initio deſignanda quædam axiomata ac principia, velut totidem veſtigia, fuerunt, intra quæ tanquam orbitam diſputatio ipſa decurreret.

18. Cauſa mihi ſcribendi non odium fuit Dominorum aut Doctorum Acatholicorum, quos ut oves extra commune ovile poſitas, aliquando tamen reducendas, ſuſpicio. Sed periculum juventutis, parentumque, liberos ſuos periculo objicientium, & religionis veræ Deique me amor impulit. Quæ religio ſeu naturalis illa ſit, ſeu revelata, conſiſtere ſine exerratione non poteſt, ſi ea *rationi ſoli*, eique *privatæ* cujuslibet ſubjicitur.

19. Atque ne qualescumque DD. Acatholici offenſo animo iſta legant, ipſos in limine precor, ne Proteſtantes prolixè dixi abſque contumelia &c. *hæreticorum* & *hæreſeos* nomen, paucis locis in hac commentatione uſurpatum, ita accipiant, ut ſi contumeliandi animo id eis impegerim. Sicut enim opto, omnes in Chriſto unum fieri, ideoque damno opiniones non catholicas, unitatem reſcindentes; ita homines & animas nullas damno; nec contumeliis ullis afficere volo, quos Chriſtus ſanguine ſuo redempturus venit. Fieri autem vix poteſt, ut in ſcriptione confutatoria, qualis eſt hæc ipſa, adeo nudas inſectemur opiniones erroneas, quin interdum tangere & fodicare ipſos homines videamur. Cum enim opiniones illæ non in aëre circumvolent, ſed in cerebro chartiſque hominum nidificentur, plerumque pro ipſis opinionibus homines opinantes nominamus. Idque perſæpe neceſſitate ſubacti facimus, nempe ut intelligamur. Quippe niſi dicerem & nominarem Puffendorffium, Heineccium, Wolffium, ſed ſolas eorum ſententias ſine nomine producerem, pauci forte intelligerent id, quod potiſſimum monitos volo. Volo autem monere, ut ab iis ſententiis ſibi caveant: quarum auctores ſi non palam facerem, imponerem lectoribus meis neceſſitatem evolvendi magnam librorum vim, donec eas ſubtili examine ipſi detegerent. Dico ergo exempli cauſa, Puffendorffium jam in his

his jam in illis ignorantem, jam Deiſmo appropinquantem, & cætera talia: cumque hoc dico, non ipſius caput ferio, ſed opinionem & doctrinam vel doctrinæ modum. Neque enim cum Puffendorffio homine, ſed cum Puffendorffio libro mihi res eſt: neque ego ita ſum expers rerum, ut viros magnorum principum titulis ornatos calcaneo petam. Omnia igitur talia non de viris ſed de doctrinis dicta putato.

20. Quodſi aſperior mea ſubinde oratio videbitur, & ſcapham ſcopham voco, & non laudanda ſerio vitupero, non jam ſanctiſſimorum piiſſimorumque Eccleſiæ patrum exemplis me tuebor, quamquam poſſim, ſed ſocratis ſaltem viri mitis ac temperantis. Is, cum de religione diſputaret, adverſus eos incaluit, qui illam ſua ætate ac jus naturæ fœdabant. Tum ſe de calore recipiens ſic peroravit: *Vehementius quodammodo propter improborum hominum controverſias diximus. Sed hac de cauſa, ô amice, contentioſa uſi ſumus oratione, ne pravi, dicendo ſe viciſſe putantes, licentiam ſibi datam credant faciendi quæcunque velint, & qualiacunque adverſus deos exiſtiment, facienda. Quodſi quid ad perſuaſionem attulimus, ut jam velint mores ſuos odiſſe, & contrarios complecti, probe nobis exordium legum de impietate dictum eſt.* Apud Platonem Lib. X. de Legibus.

21. Ultimo loco diſſimulandum haud eſt, quæ mihi prima hujus operæ ſuſcipiendæ nata occaſio fuerit. Conſultus de libro quodam Juris naturæ larvato Juventuti Catholicæ explicando, nempe diſſuaſi, tum quod catholicorum abunde eſſet, tum ob cauſas, hoc ipſo in opere explicatas, quarum unam alteramve expoſui iis, qui me conſuluerant. Sed poſtea intellexi, in me conjectum eſſe familiare illud dicterium: das iſt von Hertzen ſchlecht: hoc eſt, *ex animo inſipidam* meam eſſe opinionem. Quam vero non inanes eſſent mei pavores, paſſim prodit experientia. Deridentur enim Profeſſores Juris variis in locis, cum leges interpretarentur & inculcant. Juvenculi enim auditores, etiamnum â matre (ut ſæpe ſolet) rubentes ad omnia capita occinere ſolent: Jus Naturæ: Jus Naturæ! Tanta ſapientia turgent rana quavis rudiores Bartoli & Balbuli. Eſt autem illis pro jure naturæ ſola ſua ratio, quippe quæ *ipſa ipſiſſima ratio* eſt: das iſt wohl von Hertzen ſchlecht: Vid. infra Cap, X. Them. XII. num. 12. ubi oſtenditur, Jus naturæ Proteſtantium unice tendere ad Catholicam religionem evertendam. Clariſſimus quoque P Daniel CONCINA eadem fere ſuis Italis accidiſſe fatetur in Præloquio Tomi VI, Theologiæ Chriſtianæ. *Alia*, inquit, *quoque ratio magnopere ſponte currenti calcaria addidit. Ea porro eſt, quod plu-*

rimi Italiæ noſtræ: „ ſaperdæ, atque barbatuli, quemadmo-
„ dum veſtitus formam, ita etiam loquendi, ratiocinandi,
„ atque philoſophandi, ne dicam ſpuendi, regulas ab ipſis
„ tranſalpinis, & quidem frequenter hæreticis, Lutheranis,
„ Calvinianis, cæteriſque id genus mutuari minime erubeſ-
„ cant. Dum eruditulí noſtri prima Juris naturæ & gentium
„ elementa deguſtare incipiunt, continuo crepant Grotios,
„ Puffendorffios, Seldenos, Heineccios, Cumberlandos,
„ Thomaſios, Wolffios, eorumque gregales. Dicteria,
„ ſcommata, impoſturas, quas hæretici iſti in Theologos,
„ quos vocant, ſcholaſticos, in Patres Sanctos, in Ponti-
„ fices ſummos, in Romanam Eccleſiam impotenti temeritate
„ eructant, ſciculi noſtri Itali adoptant, & ut eruditionis fu-
„ mum penes vulgus captent, eadem in tempore promunt.
„ Uſquedum Cumberlandi & Puffendorffii opera de J. N.
„ & G. latine duntaxat evulgata fuerunt: vix ſeptentrionis
„ confinia tranſſiliere, paucorumque manibus terebantur.
„ Verum ſimul atque cincinnis & fucis Gallicæ linguæ Bar-
„ beyraci penicillo delibuta & veluti transformata viſa ſunt,
„ tum in Italiæ civitatibus reſonare, & ſemidoctorum ho-
„ minum ore ad ſidera uſque extolli cœperunt. - - - Pu-
„ deat itaque graviterque pudeat ſciolos Italiæ noſtræ ab
„ exheredatis tranſalpinis ſiliquas mutuari, cum domi ſuæ
„ frugibus abundent. - - - - Cum vel ipſas res philoſophi-
„ cas & hiſtoricas verſant ut Brukerus, Thomaſius, Budæus,
„ Moshemius & alii, ſuſdeque eisdem immiſcent Papiſmum,
„ Romanenſem ſuperſtitionem, idololatriam, & alia ca-
„ lumniarum portenta. Theologis noſtris ignorantiam, bar-
„ bariem, ipſamque ſtupiditatem ruſtica ſcurilitate exprobrant
„ dicaciſſimi Thraſones, ubique Lutherum ſuum, catholi-
„ corum ſpoliis onuſtum & ovantem, tanquam omnium
„ ſcientiarum, potiſſimum Theologiæ & ipſius Juris naturæ
„ & gentium inſtauratorem ſplendidiſſimum deprædicant.
„ Contra nonnulli Italiæ eruditulí vix abſque laudis præfatio-
„ ne hæreticos iſtos ſcriptores nominant. Verſa hodie
„ alea eſt. Olim catholicorum Theologi Lutheranos pro
„ meritis exagitabant, & interdum aliqui redundanti ſeve-
„ ritate. Nunc Lutherani Italorum modeſtia & nimia hu-
„ manitate abutentes elato ſupercilio, & incredibili ſuper-
„ bia tumentes, recta & oblique catholicis detrahendi, im-
„ properandi, illudendi anſam arripiunt. „ Ita Concina.

Viſum ergo mihi eſt jam abhinc quadriennio deſcribere hic ea, quæ corrigendo huic politicorum hominum iſtis de rebus

rebus librisque judicio facerent. Acceſſit ſubpullulans, infeliciter numerus indies major *honeſtorum hominum* ſeu *duerorum*. der ehrlichen Kerl. Qui Jure naturæ Puffendorffiano, Wolffiano, Hobbeſiano reipſa vitam inſtituunt in medio Chriſtianorum eorumque Catholicorum.

23. Objectabatur mihi, me cum umbris dimicare: Contendere me adverſus religionis contemptores, Atheos, naturaliſtas; cum Proteſtantes illi, qui Jura naturæ deſcripſerunt, neminem jubeant religionem contemnere, atheum eſſe, aut libertinum.

His ego reſpondeo: Demus, hanc à Proteſtantibus Juris naturæ ſcriptoribus cautionem interdum adhiberi. Attamen ego cum umbris non dimico. Ante oculos noſtros verſantur, manibusque palpari poſſunt non pauci per loca varia, qui religionem ludum faciant, & DEum nomine ſaltem proferant, re contemnant; qui leges rideant, ſibi ipſis lex ſola regulaque ſint. Nempe *homines ſeu pueri illi honeſti*, die ehrliche Kerl. Hi jure naturæ ſe vivere profitentur, certe non quale in divinis litteris, aut D. Ambroſio aut D. Thoma deſcriptum eſt; ſed Puffendorffium, Grotium, Wolffium magiſtros laudant. Fieri poteſt, ut multi illorum hos auctores ne legerint quidem unquam: aut ut plerique eos minime intellexerint, ob conſuetam atheorum & naturaliſtarum ingenii obtuſitatem: ſed cum ab aliis forte audierint, Jus naturæ Puffendorffi & Wolffii &c. in ſola propria ratione conſiſtere, idque etiam atheis adeſſe, & ſeponendas ex eo eſſe religionis atque humanas leges; gaudent ſub tantis ut putant nominibus Wolffii, Puffendorffii, Heineccii, latere ſuum religionis ac legum contemptum. *Quippe multa eſt magni NOMINIS vis, cui obſequuntur maxima pars etiam illorum hominum, qui VIDERI VOLUNT, RATIONE NON AUCTORITATE DUCI;* inquit prudenter Auctor libri Eſſai ſur l'ame des Bêtes, in præmonitione novæ editionis pag. XVI. Ubi exemplum adducit Leibnitii magni in doctrina hominis. Auctor ſcripſerat, ex *Harmonia Præſtabilita* Leibnizii tolli libertatem humanæ voluntatis. Mox eidem obiiciebatur: Leibnitium hoc non docere, ſed libertatem clare admittere: igitur Auctorem dimicare cum phantasmate ſuo. His reſpondet auctor: Leibnitium verbis quidem admittere libertatem; at doctrinæ ejus conſequentia illam tolli per harmoniam præſtabilitam. Se vero cum umbris non dimicare: Dato enim, per Leibnitium non tolli libertatem, permultos tamen eſſe, qui

huic

huic ſyſtemati harmoniæ præſtabilitæ inædificantes libertatem negent, ſeque deinde nomine magno Leibnitii tueantur atque tegant. Idem ego ſæpe reſpondi. Eſto Wolffius, Puffendorffius, Thomaſius, cæteri non doceant naturaliſmum, atheiſmum, neglectum aut contemptum legum & S. Scripturæ: Ego tamen oſtendo, ex ipſorum doctrina hunc ſequi. Et ſi vel non ſequeretur, ſunt multi *honeſti homines* ſeu *pueri*, qui ſe jure naturæ Wolffiano, Hobbiano, Heinecciano tanquam magni nominis umbrâ tueantur, aut certe principio *SOLIUS rationis* ſuæ ab his auctoribus mutuato unice nitantur. Ergo ego cum umbris & phantaſmate non pugno, quamvis illi homines honeſti ſint ſicophantæ.

Sanctæ Romanæ Apoſtolicæ Eccleſiæ judicio omnia hæc ex aſſe ſubjecta ſunto.

ELEN-

ELENCHUS.

CAPUT I.

De Statu.

Them. I. STatus eſt ratio certa vivendi. *pag.* 1

II. Mutata hac ratione mutatur ſtatus.

III. Status *naturalis* eſt, quem cum ipſo ſuo *eſſe* accipit homo.

IV. Status *adventitii* ſunt mutationes Status naturalis, facto inductæ.

V. Adventitius non tollit naturalem, ſed perficit addendo vel detrahendo.

VI. Mutationes in malum ſunt potius lapſus quam ſtatus. 2

VII. Adventitius *Primus* ſtatus eſt conjugalis & familiaris. 2

VIII. *Secundus* adventitius eſt Societas Civilis 2

IX. Civili ſtatui per accidens eſt Magiſtratus. 2

X. *Tertius* adventitius eſt Syſtema plurium civitatum. 3

XI. Hic ſtatus non tollit ſtatum ſecundum, ſed manent ſtatus in ſtatu. 3

XII. Syſtemati tali per accidens eſt habère magiſtratum communem. 3

XIII. *Quartus* Status eſt Societas omnium aut plerarumque gentium. 3

XIV. *Supremus* Status adventitius eſt Religionis. 3

XV. Statui Religioſo non eſt arbitrarium magiſtratus habere aut non: ſed pendet à voluntate DEI. *pag.* 4

XVI. DEO liberum eſt qualecumque. Imperium ſtatui Religionis præſcribere. 4

XVII. Religio vera eſt verus Status.

XVIII. Eſt adventitius ſocietatibus. 4

XIX. Per inductionem Status novi non hic Status novus conſtituitur in ſtatu priore; ſed Prior conſtituitur in novo. 4

XX. Idem à fortiori contingit in Religione. 4

XXI. Idque fieret, Etſi religio eſſet arbitraria. 5

XXII. Multo magis nunc, cum eſt præcepta 5

XXIII. Ex his falſa oſtenduntur aſſerta novorum Juris naturæ doctorum: nempe repugnare Statum in Statu: Religionem Chriſtianam non facere Statum: eam repugnare Statui civili: Statum civilem non reſtringi per Religionem: Religionem ſubjici ſtatui civili. 5

XXIV. Nullus Status poteſt abdicare religionem. 5

CAPUT II.

De Jure.

Them. I. JUs eſt juſſus. *pag.* 5

II. Juſſus ſignificat active & paſſive. 5

III. Germanis jus eſt *Recht*. 5

IV. Recht ſignificat active & paſſ. 5

V. Æquum, eſt ſpecies juris. *p.* 6

VI. Æquum active & paſſive. 6

VII. Germanum Billich, quaſi Willich, idem quod æquum. 6

VIII. Jus active eſt juſſus jubentis: paſſive obſequium. Seu illud eſt regula, hoc regulatum. 6
IX. Jus nullum datur, ſi non datur DEUS. 6
X. Ne æquum quidem. 6
XI. Jus eſſentiale active eſt in DEO, paſſive in creaturis. 6
XII. Jus omne activum hominis eſt participatum ex DEO. 6
XIII. Jus omne paſſivum hominis refertur in DEUM. 7
XIV. Homo multa jura à DEO participata poteſt transferre in alios. 7
XV. Pro varietate hujus communicationis oriuntur variæ ſpecies juris humani. 7
XVI. Duo ergo ſunt fontes juris. Originarius, qui eſt ſummus jubens, DEUS: & derivatus, voluntas hominis. 7
XVII. *Lex* eſt mens omnia ratione cogentis aut vetantis DEI, ex Cicerone. 7
XVIII. Lex idem quoad rem, quod jus. 7
XIX. Quæ de juris origine, communicatione &c. dicta ſunt, vera ſunt etiam de lege. 7
XX. Lex & Jus quoad nomen non inutiliter ſumuntur diverſè. 7
XXI. Jus ſumitur etiam pro complexu multorum juſſorum. 8
XXII. Primus modus, quo jus Summum communicatur & transſcribitur in hominem, eſt ipſa poſitio ſeu opificium naturæ humanæ per DEUM. Hocque jus congruit ſtatui naturali puro. 8
XXIII. Secundus juris communicandi modus jam derivatus eſt, cum homo æqualem ſocium adlegit vel accipit. Et hoc jus congruit ſtatui ſociali ſimplici, connubii & familiæ, ſeu œconomico. 8
XXIV. Tertius juris communicandi modus eſt, cum ſocietates ſimplices adunantur in unam compoſitam. Hoc jus eſt civile ſeu politicum varium. 8
XXV. In ſocietate poſſunt aliqua conſiderari ut ſingulorum & privata; alia ut communia omnium ſociorum & publica. Expedit juris publici diſciplinam ſeorſim enucleare. 8
XXVI. Jus civile tam privatum quam publicum utrumque poteſt expendi primo *univerſaliter*, prout non eſt accomodatum Athenienſibus, aut Romanis, vel certæ Societati. Secundo *ſpecialiter*, ut conveniens certæ ſocietati, v. g. Germanorum, Gallorum &c. 8
XXVII. Talia jura univerſalia multum *incerti* habent: poſſunt etiam eſſe noxia. Adhibenda eſt cautela contra novandi ſtudium. 8
XXVIII. Jus publicum pro varietate officiorum poteſt dividi in plura membra, ut Majeſtaticum, Camerale &c. 9
XXIX. Quartus modus communicandi juris eſt, cum plures civitates coëunt in ampliorem ſocietatem complexam ſtrictam vel laxam. v. g. Nationes Germanicæ in iſtud Imperium. Pagi Helvetici in rempublicam. Vel Europa in hoc ſyſtema. Hinc oritur *Jus Gentium* mixtum & ſuo modo ſpeciale. 9
XXX. Jus Gentium univerſale omnium, abſtrahens à particularibus, ſi poteſt ſcribi, vix habet utilitatem, & poteſt etiam nocere. 9
XXXI. Quintus modus præcipuus communicandi Juris ſummi eſt per revelationem ordinariam naturalem: & per extraordinariam ſupernaturalem. Unde oritur Jus divinum naturale & poſitivum. 10
XXXII. Quod capite I. Them. V. XI. de ſtatuum ſubordinatione dictum, dicendum etiam de ſubordinatione jurium. 10
XXXIII. Juſtitia univerſalis ſeu Naturalis eſt tota virtus: hanc proprie docere debet diſciplina Juris Naturæ. Particularis autem docet ſervare Jus civile tam Publicum quam privatum 10

CAPUT III.

De Jure Naturæ Scribendo.

Them. I. Juris naturæ diſciplina eſt ſcientia practica. *pag.* 11
II. Jus naturæ, Scriptum pro nullo ſtatu exiſtente, v. g. pro natura pura otioſum eſt. 11
III. Juris naturæ diſciplina poteſt ſcribi pro diverſis Statibus, qui Cap. I. enumerati ſunt, in quibus omnibus perdurat, non deletur, Status naturalis. 11
IV. Jus naturæ deſcriptum ut conveniens uni Statuum, non mox congruit

gruit alteri v. g. libertas matrimonii, communio bonorum congruens Statui naturæ primæ, non congruit civili. *pag.* 11

V. Scribens Jus naturæ debet profiteri, pro quo horum ſtatuum ſcribat. 11

VI. Peccat, qui ſcribens pro certo ſtatu, præcipua ejuſdem officia omittit. Magis, qui omittenda eſſe docet. 12

VII. Scribens jus naturæ pro moderno ſtatu, qui civilis eſt, & tamen abſtrahens à jure civili Romano, is ſcribit pro his populis, apud quos JusRomanum non viget. 12

VIII. Scribens jus naturæ pro ſtatu *Turcarum* e. g. non poteſt abſtrahere à legibus civilibus Turcarum, juri ſummo non adverſantibus. 12

IX. Scribens tale jus non reciperetur à Turcis. 12

X. Scribens jus naturæ pro ſtatu Chriſtianorum & abſtrahens à Chriſtianis legibus, easque liberas dimittens, non eſt recipiendus 12

XI. Qui ſtatum altiorem ſubjicit inferiori, damnandus eſt 12

XII. Qui nunc edit jus naturæ pro ſtatu, qui nec eſt, nec erit, is facit imprudenter, periculoſe, noxie. 12

XIII. Inconſulto facit, qui ſcribit Jus naturæ pro ſcholis Europæis, non tamen congruens ſyſtemati juſto Europæ, ſed alteri v. g. terræ incognitæ 13

XIV. Scribens Jus naturæ conveniens ſocietati complexæ omnium gentium, non debet omittere aut excludere ſtatum omnium ſtatuum, nempe veram Religionem. 13

XV. Præmiſſa themata ſi vera ſunt, multi jus naturæ imprudenter, periculoſe, noxie ſcripſerunt. 13

XVI. Jus naturæ ſcripturus pro omnibus hominibus tale, in quo ponerentur omnia ea, quæ jus naturæ modificant, reſtringunt &c. infinitum ſubiret laborem; quia omnium gentium leges ſunt tales modificationes. Scripturus autem ea ſola, in quibus jus naturæ primigenium non poteſt per leges humanas modificari, is paucis forte paginis abſolveret. 13

XVII. Ne quidem principia ſcribi poſſunt talia (ſepoſitis civilibus legibus) ex quibus ſolis paſſim ac ſemper decidi pro una parte poſſit, quid ſit juris naturæ. 13

XVIII. Non tamen ſequitur, nulla eſſe principia: ſed non temere recedendum à veteribus &c. 13

XIX. Oſtenditur, quam paucæ ſuperſint leges naturæ, ſi omnes reſtrictiones auferantur 14

CAPUT IV.

De Abuſu & Uſu Juris Naturæ.

Them. I. Sapientes agnoverunt, non cuivis, minime juvenibus competere, multum inquirere in legum rationes. Nunc autem cujuslibet ratio privata conſtituitur quaſi judex omnium legum 14

II. Hinc laxis & una ingenioſis aperitur via ad ſubtrahendum ſe omni legi. 14

III. Si accedat Juris doctrina talis, nempe non conſtare rationi, an à DEO præmia ſint decreta juſtis, periculum augetur. 15

IV. Fundamenta ipſa juris, religionis &c. ſubruuntur per hoc, quod animæ immortalitas in medio relinquitur, quodque poſitive jus naturæ intra terminos præſentis vitæ concluditur. 15

V. Jus naturæ, res grandis, traditur à pleriſque nimis brevi tempore 15

VI. Abuſus eſt, cum juvenes Catholici moderamen conſcientiæ diſcunt ab heterodoxis 15

VII. In neotericis juris naturæ libris regnat contemptus Eccleſiæ, Patrum, omnium Theologorum, ICTorum, ac veterum Sapientum. 15

VIII. In eorum libris & ſcholis docentur hæreſes. 16

IX. Hi libri ſunt ab Eccleſia prohibiti, 16

X. Abuſus eſt, admitti in Jure naturæ Poëtas, excludi Moiſen, & Chriſtum. 16

XI. Abuſus, cum excluduntur omnes Catholici doctores. 16

XII. Abuſus, cum in Germania legibus inſtructiſſima neceſſaria eſſe docetur aliqua juſtitia ſeparata & diſtincta &c. 17

XIII. Abuſus, in Germania docere velle è tot cathedris Jus naturæ ut Sinenſibus & Japonibus congruens 17

XIV. Uſus Juris naturæ, à pleriſque heterodoxis conſcripti, optimus eſſet non-uſus. 17

XV. Heineccii libellus de jure naturæ poſſet alicui uſui eſſe, ſi reſcinderentur pleraque. 18

XVI. Juris naturæ tractatio omnibus neceſſaria eſt præ cæteris Catechiſmus Eccleſiæ Catholicæ. 18

XVII. Jus naturæ non ſimpliciter neceſſarium, ſed jam explicatius, perbene diſcitur ex Hunnæi Catechiſmo, qui ſubnecti ſolet ſummæ D. Thomæ. 19

XVIII. Jus publicum univerſale ex Grotio cum cautela; ex P. Schmier tuto diſci poteſt. 19

XIX. Jus Gentium ut diſcendum? 19

XX. Jus naturæ & gentium utile eſt non ſcientibus, ſed facientibus. 19

XXI. Aliqui libri Juris gentium peculiares, conſulendi pro re nata tantum. Sed hi quoque vani ſæpe periculoſi &c. præcipue ſi Principum ſolorum voluntati omnia tranſcribuntur. 20

XXII. Juvenes non eſt neceſſe, ante Jus Civile audire ſeorſim Jus Naturæ ex aliquo libellorum circumvolantium. 20

XXIII. Ad Jus gentium quis apparatus faciendus diſcere illud volentibus. 20

CAPUT V.

De Principio Juris aut Legis Naturæ.

Them. I. LEx naturæ, ſeu juſſus illius, qui eſt naturæ legislator, hæc eſt: *Diliges DEum ſuper omnia, Proximum ſicut te &c.* 21

II. Principium Juris naturæ duplex eſt: *Conſtitutivum*, id eſt, DEus: *Indicativum*, de quo alias. 21

III. Qui habet manifeſtum Indicem legis naturæ, eumque reiicit, miſer eſt. 21

IV. Negligentes diſcrimen inter principium Conſtituens & Indicans, incerta docent. 21

V. Principium Indicativum eſt omne id, quod nos ducit ad agnoſcendam juſſionem legislatoris & noſtram obligationem. 21

VI. Principium Indicativum ſeu promulgativum non eſt *UNUM.* 22

VII. Unum ſignum non ſufficit. 22

VIII. Non eſt neceſſe deveniri ad principium ſignificativum omnium *PRIMUM.* 22

IX. Qui abſtrahunt ab omni Revelatione DEI, non poſſunt ad ullum principium Juris naturæ penetrare 22

X. Qui abſtrahi volunt ab omni revelatione formali divina, ne hi quidem poſſunt ad principium primum venire. 22

XI. Eſt contra ſenſum communem, deveniri debere ad Primum omnium ſignorum 23

XII. Ratio prohibet, tale principium inveniri. 23

XIII. Principium Indicativum non debet eſſe omni ratione *INFALLIBILE*, quoad nos. 23

XIV. Sententia de pluralitate ſignorum divinæ voluntatis non facit perplexos; ſed contraria. 23

XV. Qui ſtatuunt, principia indicativa ad unum primum reducenda, remota tamen revelatione, periculoſam generi humano doctrinam ſpargunt. 24

XVI. Principium illud indicativum non debet eſſe *PROPRIUM*; ſive non neceſſario diſtinctum à principio Honeſti, neque à principio juris civilis, nec Theologiæ. 24

XVII. Principium Juris naturæ unicum non eſt amor ſui ſuper omnia, juxta Hobbium. 25

XVIII. Neque appetitus Socialitatis, juxta Puffendorffium 25

XIX. Neque eſſentia humana, præſertim independenter à voluntate DEI, juxta Wolffium & toto Capite XVI. 25

XX. Neque Amor DEI, ſui, ac proximi, juxta Heineccium. 26

XXI. P. Schmier principia non ſufficiunt, ſaltem improbis. 26

XXII. Ciceronis quinque ſigna non ſufficiunt. 26

XXIII. DEus ipſe plura ſigna conſtituit. 26

XXIV. Id etiam agnoſcunt heterodoxi. 26

XXV. Lumen rationis, quod in nobis eſt, in tantum poteſt nobis oſten-

oſtendere bona, & noſtram voluntatem regulare, in quantum eſt lumen vultus DEI, id eſt à vultu DEI derivatum. S. Thom. 27
XXVI. Non quodlibet rationis apparens lumen eſt recta ratio: ſed illud, quod à DEO profectum, homini oſtendit DEUM. 27
XXVII. Omnis voluntas diſcordans à ratione ſive recta ſive errante ſemper eſt mala. S. Thom. 27
XXVIII. Voluntas tamen concordans rationi erranti non eſt bona ſeu juſta. ubi de ignorantia voluntaria & involuntaria 27
XXIX. Ratio ergo, ne erret, opus habet regula, vel regulis. 28
XXX. Regulæ rationis ſeu Principia indicativa Juris naturæ ſunt duplicis generis, Interna & Externa. 28
XXXI. Neceſſaria ſunt externa, præter interna. 28

CAPUT VI.

De Principiis Internis Juris naturæ Indicativis.

Thes. I. Notio & cupido *VERI* eſt homini via ad agnoſcendum DEI imperium & ſuam ſervitutem: hoc eſt ad Jus naturæ. *pag.* 29
II. Notio itidem & cupido *BONI.* 29
III. Propenſio naturalis ad *AUXILIA* quærenda & danda. 29
IV. Conſcientia *impotentiæ* noſtræ & poteſtatis alicujus in nos ſummæ. 30
V. *Diſſimilitudo* naturæ noſtræ à pecuina. 30
VI. Cognitio *Ordinis* rerum per aſcenſum. 30
VII. Cognitio eadem per deſcenſum. 30
VIII. *Cura futuri* naturalis. 30
IX. Deſiderium naturale ad ſumma. 30
X. Deſiderium æternitatis. 30
XI. Naturalis pudor ex malo, gaudium ex bono. 30
XII. Æqualitas naturæ omnium hominum. 31
XIII. Senſus communis. 31
XIV. Inſtinctus ſpecialis quandoque. 31

CAPUT VI.

De Principiis Externis Juris naturæ Indicativis.

Thes. I. Ordo rerum extra nos non permittit nos ignorare ſervitutem noſtram. 31
II. Extraordinarii eventus idem docent. 32
III. Res adverſæ itidem. 32
IV. Eventus præter voluntatem noſtram contingentes ducunt nos in voluntatis DEI agnitionem. 32
V. Leges Civiles ſæpe ſunt indicia juris naturæ. 32
VI. Jus Canonicum etiam & Conciliæ. 32
VII. Item Sancti Patres. 33
VIII. Theologi Catholici 33
IX Juris Conſulti. 33
X. Viri probi, ſapientes, experti. 33
XI. Philoſophi, circumſpecte lecti. 34
XII. Poëtæ quidam: ſed caute. 34
XIII. Præcipue S. Scriptura. 34
XIV. Proteſtantes quotquot ante Heineccium ſcripſerunt jura naturæ, non ſunt idonei ad Jus naturæ nobis ſignificandum. 34
XV. Heineccius etiam ineptus. 35
XVI. Nec Heineccius, nec ejus anteceſſores ſunt apti, ex quibus Chriſtiani diſcant jus naturæ, vel Europæi. 36

CAPUT VIII.

Objectiones contra Principia Indicativa Interna.

Them. I. Notio veri non evertitur per ſtultitiam Scepticorum. *pag.* 36

II. Neque per difficultatem inveniendæ veritatis. 37

III. Notio boni non eliditur per hoc, quod bonum aliud ſit verum, aliud apparens. 37

IV. Senſus Communis à Bælio male impugnatur per diſſenſiones gentium. Oſtenduntur ejus Sophiſmata. 37

V. Neque per hoc, quod multi contra ſenſum communem agant. 38

VI. Neque per peccata. 38

VII. Neque per proclivitatem in voluptates malas. 37

VIII. Neque ſenſus communis eſt tantum profectus ab inſtitutione humana & arte. 37

IX. Male his Principiis objicitur, per ea non diſtingui diſciplinam juſti, Honeſti, & Decori. 41

X. Cauſa diverſas diſciplinas in ſcholas inducendi non eſt diverſa ratio abſtractiva intellectus; ſed neceſſitas, ſpecialis utilitas, aut egregius decor. 42

XI. Legumlatores veteres noluerunt hanc diſtinctionem honeſti, juſti, & decori. 43

XII. Intolerabilis eſt tanta ſcientiarum practicarum diſtinctio. 43

XIII. Ne ipſi quidem Novatores diſcrimen juſti, honeſti & decori in ſuis juris naturæ libris obſervarunt ante annum 1717. 44

XIV. Neque poſt illum annum eſt obſervatum etiam ab Heineccio. 45

XV. Male nobis objiciunt: Tu ipſe rejicis hanc diſtinctionem juſti &c. Quid ergo nos incuſas eam negligentes? 47

XVI. Nec obſtat: Juſtitiæ competere medium rei, non rationis, quia hoc tantum de Juſtitia particulari verum eſt, non de legali ſeu naturæ. 47

CAPUT IX.

Objectiones contra Principia Indicativa Externa.

Them. I. Prioribus in Cap. VIImo principiis non obſtat, ea non eſſe generalia pro omnibus hominibus. 47

II. Principia indicativa non debent omnia eſſe *INNATA*. 48

III. Leges civiles, maxime Romanæ, male exturbantur ex hoc numero. 48

IV. Quantumvis gentium exterarum controverſiæ non poſſint decidi ex Jure Romano. 48

V. Quantumvis nec gentium Chriſtianarum. 49

VI. Neque eſt neceſſe diſtincte intelligere, ad quid obligentur populi ex jure civili, ad quid ex naturali. 49

VII. Proteſtantium confeſſione Jus Romanum eſt ipſum jus naturæ. 49

VIII. In Jure naturæ locus eſt non *ſoli* rationi, ſed & auctoritati. 58

IX. Auctoritas, non ſola ratio, eſt principium indicativum, etiam ex novatorum ſententia & experientia. 60

X. Paganorum contentioſorum & Hæreticorum proprium eſt, auctoritatem excludere, ſolam rationem admittere. 58

CAPUT X.

Num Revelatio & S. Scriptura ſit excludenda à principiis juris naturæ.

Them. I. Ex falſo juris naturæ ſtudio graves errores manant. 65

II. Religio non ob id excludenda, ut jus naturæ perſuadeatur Atheis. 67

III. Non

III. Non ſequitur: ex Ratione poſſum diſcere jus naturæ: ergo ex revelatione non poſſum. 46
IV. Scriptura non ideo excludenda, quod non ſit recepta ab omnibus gentibus. 66
V. Ipſi heterodoxi agnoſcunt, Scripturam eſſe adhibendam. 66
VI. Scriptura non ideo excludenda, quod ſit ſupra naturam. 67
VII. Scriptura præſtantior ad hoc eſt. 67
VIII. Sine ſeductionis periculo non poteſt in jure naturæ abſtrahi à DEO aut talia principia poni, ex quibus non ſequatur obligatio erga DEUM &c. 70
IX. Tales doctrinæ ſunt ſcandalum gentilibus. 72
X. Per eas in peccatum poſſunt adduci Principes. 72
XI. Item privati. 73
XII. Excuſatio heterodoxorum rejicitur, de Scriptura pertinente ad Chriſtianos ut Chriſtianos, non ut homines. 74
XIII. Alia vana excuſatio, quaſi Scriptura non excluderetur à vita humana ſeu exercitio Juris naturæ, ſed tantum ab ejus demonſtratione ſeu indicatione. 79
XIV. Nec juvat: etiam Jus civile abſtrahere à religione; cum id ſit falſum. 80
XV. Ipſe Puffendorffius agnoſcit pro regula juris naturæ ſumendam Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem. 234
XVI. Non poteſt reddi ratio diſcriminis, cum Heineccii doctrina poſſit tradi in Cathedris juris naturæ, Chriſti vero doctrina non poſſit. 82
XVII. Male objicitur, ex hoc ſequi, omnia peccata contra doctrinam Chriſti fore peccata contra naturam; & nullam fore diſtinctionem peccatorum. 83
XVIII. Gentiles Philoſophi poſſunt prælegi in Cathedris Juris naturæ, at non novi doctores, quia hi Chriſti Doctrinam excludunt. 84

CAPUT XI.

De Fine Naturæ humanæ & Juris Naturæ.

Them. I. UT Ratio recta ſit, non ſufficit habere principium rectitudinis, ſed debet ad finem proprium tendere. 85
II. Finis proprius humanæ naturæ non eſt niſi aliquid ſummum. 85
III. Actio incipiens à ſummo vero, & deſinens in ſummo bono recta eſt, dans cuique ſuum, origini & fini. 85
IV. Qui à S. Scriptura recedunt, ſummum bonum non attingunt ſuis privatis rationibus. 85
V. Ex naturaliſtarum ſyſtemate ſequitur, Juſtitiam veram virtutem eſſe, etſi non tendat in ultimum finem. 86
VI. Fruſtra objiciunt: Finis ultimus non conſtat niſi per revelationem ſupernaturalem: ergo non pertinet ad jus naturæ, ſed in eo poteſt præteriri, aut aliunde ſupponi. 87
VII. Fruſtrà ajunt: ipſos finem ultimum aliunde ſupponere; nunc de ſolo intermedio loqui. 87
VIII. Iſtorum opinio propinqua eſt illi damnatæ, quæ admittit peccatum philoſophicum. 87
IX. Nec debent objicere: Has eſſe ſubtilitates. 88
X. Finis juris naturæ tamdiu durare debet, quamdiu durare poteſt natura humana, contra Socialiſtas. 88
XI. Finis proprius Juris Naturæ non poteſt conſtitui in aliquo, quod eſt indifferens ad bonum & malum, contra eosdem. 89
XII. Finis JNæ debet eſſe in poteſtate naturæ, & in mediis ad illum. 89
XIII. Finis verus Jur Nat. non debet indigere alio præterea fine ad hoc, ut actio propter ipſum facta ſit juſta. 92
XIV. Finis juris N. non eſt diverſus à fine ſingulorum hominum. 92
XV. Non poſſunt illa bona aſſignari, quæ à Socialiſtis finis naturæ eſſe dicuntur. 93
XVI. Neque effugiunt Socialiſtæ dicendo: non ſimpliciter commoda hujus vitæ eſſe finem Juris naturæ ſed rectum eorum uſum. 94
XVII. Hæc doctrina, quam Socialiſtæ vendunt ut ſcriptam pro gentilibus, vituperata eſt à gentilibus. 95

XVIII.

XVIII. Finis Socialiſtarum fere plus ad injuſtitiam movet quam ad juſtitiam. 97

XIX. Neque dicant: ſe non velle, ut homo ad juſtitiam moveatur commodis hujus vitæ, ſed illum moveri debere ab ipſa natura ſociali. 100

XX. Socialium ſyſtema parum differt ab Hobbio, ſanis judiciis rejecto. 101

XXI. Puffendorffio fatente Lex naturæ non eſt apta ad procurandum finem ab ipſo poſitum. 101

XXII. Qui juſtitiam naturalem cum hac vita finit, non poteſt *ſerio* de jure naturæ ſcribere. 104

XXIII. Puffendorffius poteſt eſſe ſuſpectus Deiſmi aut naturaliſmi. 106

XXIV. Nec juvat excuſatio: Puffendorffium non ſtatuere commoda hujus vitæ pro fine juris naturæ, ſed pro fine civitatum inſtituendarum, quarum civitatum finis certe non poſſit eſſe religio. 107

XXV. Si fingatur aliquando doctrinam hanc juris naturæ circa iſtum finem viguiſſe, nefas eſt eam nunc docere, quia correcta eret à Chriſto. Sicut eſt nefas docere repudium, odium inimicorum, multum idolarum. 112

XXVI. Nec Puffendorffius juvatur ex Scoto, dicente, non eſſe lumine naturæ notum, an DEUS ſit retributor boni & mali. 112

XXVII. Non eſt nimit prolixa hæc de ultimo fine tractatio; imo adhuc imperfecta, ob improbitatem Puffendorffii. 113

CAPUT XII.

Puffendorffii hæreſes & calumniæ in Catholicos.

Thema I. NEc hæreſes confutare, nec calumnias vindicare hic eſt animus. 114

II. Scopus Puffendorffii fuit, Catholicam religionem facere ridiculam, ſtultam, adeoque juri naturæ repugnantem. In eo tamen labore verſatur aut craſſa ignorantia, aut fallendi ſtudio. 114

III. Primum aſſertum Puffendorffii approbatur: Nullum dogma juri naturæ, & *ſanæ* politicæ repugnans tolerandum in civitate. 116

IV. Alterum ejus aſſertum: Doctrinas quasdam, quas de Catholicis refert eſſe peſtilentiſſimas: etiamſi hoc verum eſſet, non poſſet nobis objici à Puffendorffio pejora peccante. 116

V. Aſſertum 3tium; peſtilentem eſſe poteſtatem extranei ſacerdotis fallax eſt per omnia. 116

VI. Aſſertum 4tum, ſummos imperantes eſſe ſubjectos extraneo ſacerdoti, ſophiſma eſt. 117

VII. Aſſertum quintum de dejectione Principum à ſolo per Pontificem, ſophiſticum eſt. 118

VIII. Aſſertum ſextum, peſtilentem eſſe ſubjectionem omnium ſacerdotum erga Pontificem, falſum eſt & ſophiſticum. 119

IX. Aſſertum ſeptimum poteſtati civili nihil eſſe juris in ſacerdotes, fallax & falſum eſt. 120

X. Aſſertum octavum, Clericis neceſſario competere immunitatem, idque eſſe peſtiferum juri naturæ, ſophiſticum eſt & falſum. 120

XI. Aſſertum nonum cuilibet homini ſuam phantaſiam pro lege eſſe falſo affingit Catholicis. 121

XII. Aſſertum decimum, deeſſe homini liberum arbitrium, eamque doctrinam peſtilentem eſſe, plane conceditur. Hæc autem non eſt Catholicorum ſed heterodoxorum. 122

XIII. Aſſertum undecimum peſtiferam eſſe doctrinam de licito cœlibatu, & votis monaſticis, falſum & cavillatorium eſt. 123

XIV. Aſſertum duodecimum fingit, Catholicos connubium per ſe impurum eſſe docere. 123

XV. Aſſertum decimum tertium hominibus remitti à Catholicis peccata citra emendationem vitæ ſolis verbis, cavillus eſt & falſum. Item de piis cauſis fraudulenter ſcribit. 123

XVI. Aſſertum decimum quartum Monachorum inſtituta eſſe inventa hominum, nec facere ad ſocietatem humanam & civilem, nec qua-

quadrare ad ſanam rationem & legis naturalis dictamen, ideoque eſſe penitus eradicanda ex genere humano; irrationale eſt. 124

XVII. Aſſertum decimum quintum, peſtiferam eſſe doctrinam, hominem velle ſoli DEO vacare. Eſt inſanum & ſophiſticum. 124

XVIII. Aſſerto decimo ſexto fingit de Catholicis doctrinam hanc: ſolis exterioribus ſignis cultus divini compenſari charitatem proximi, & injurias in eum commiſſas. 125

XIX. Aſſertum decimum ſeptimum, eſſe contra jus naturæ, ut homo non tantum ſua officia impleat, ſed ut & aliis ſubveniat, falſum eſt & hæreticum. 126

XX. Aſſertum decimum octavum de odio hominum diverſæ religioni addictorum Catholicis velut licito, falſum eſt. 126

XXI. Non omnes hic calumnias & cavillationes eſſe detectas. 126

CAPUT XIII.

Puffendorffius fallacibus uſus eſt principiis.

Thema I. Non omnia ejus ſophiſmata hic excutimus, ſed aliqua, quæ ad fundamenta juris naturæ ſubruendum ſpectant. 126

II. Concluſiones Puffendorffii fundamentales, quas toto labore ſuo evincendas ſumpſit, ſunt hæ duæ. Principium Juris naturæ eſt *ſocialitas*. Finis Juris naturæ eſt *felicitas hujus vitæ*. Oſtendendum ergo, has duas concluſiones non poſſe inferri ex argumentis ab eo allatis. 126

III. Puffendorffius indocte & periculoſe ſternit viam, qua ſibi ad indagandum Juris naturæ principium procedendum ſtatuerat. 127

IV. Puffendorffius ne hanc quidem viam, quam ipſe præfixerat, bene decurrit. Præſcripſit *accuratiorem* humanæ naturæ contemplationem, & ſua conſideratione nihil in homine invenit, niſi quatuor hæc ſola: *1.* Amorem ſui maximum. 2. Egeſtatem ſummam. *3.* Aptitudinem ad commodum præſtandum. 4. Appetitum nocendi. Nihil ergo invenit in homine, quo is ad DEum referretur, vel à DEO penderet. 128

V. Ex iſtis quatuor viis, quæ ſolæ proximæ ſunt, non poteſt deveniri ad aliud jus naturæ quam caninum & vulpinum. 129

VI. Ex prima illa Puffendorffii rota, nempe amore ſui maximo, non develimur ad jus naturæ, agnoſcendum. Sophiſmata hominis. 130

VII. Neque ex altera rota, nempe egeſtate. 131

VIII. Neque ex rota tertia, ſeu aptitudine commodandi alteri. 132

IX. Rota tertia de commodis alienis non bene cohæret cum prima amoris proprii. Sed cum ea pugnat: & Puffendorffius nihil invenit, per quod ea pugna tolleretur. 133

X. Rota quarta, appetitus nocendi, peſſima eſt: nec poteſt eſſe principium, cum ſit potius defectus. Socialitas hinc potius cavenda quam ineunda probatur. 134

XI. Rationes ſecundariæ, quibus Puffendorffius probare nititur ſuum principium ſocialitatis, ſunt fallaces & cavillatoriæ, neque ex illis infertur ejus concluſio. 135

XII. Puffendorffius tandem DEI mentionem facit; ſed inconſequenter nec ex ſuis principiis, nec ſerio; ut videtur. 139

CAPUT XIV.

Jus Naturæ Puffendorffianum & Heineccianum non eſſe Jus naturæ promiſſum, ſed particulam Juris civ.lis &c.

Thema I. JUs naturæ eſt vel naturæ *puræ*, vel *hypotheticæ* ſeu in ſtatu adventitio poſitæ. Fuſſendorffius profitetur. ſcribere pro ſtatu priore. 142

II. Promiſſis tamen non ſtetit, ſed principia poſuit, hypothetico tantum ſtatui convenientia: nempe ſocietati, quæ jam eſt ſtatus adventitius. 142

III. In ſtatu adventitio ſunt duplicis generis officia. 1. ea, quæ reſtant ex ſtatu puro priore. 2. ea, quæ ex facto adventitio ſuperaddita ſunt ſtatui puro aut priori. Puffendorffius vix pauca exponit de primo genere; totus eſt in genere ſecundo. Ergo illius jus non eſt ſcriptum pro ſtatu naturæ puro, ſed pro adventitio. 143

IV. Ex ipſo Puffendorffio, & ex Gundlingio probatur, ipſum non docere jus naturæ purum, ſed civile & arte factum. 143

V. Puffendorffius ex toto libro ſuo, qui *ſeptuaginta quatuor capitibus* conſtat, non niſi *ſex capita* impendit in officia charitatis, quæ ſecundum ipſum ſunt officia juris naturæ proprie dicti. 145

VI. Heineccius, modeſtiot Puffendorffio, plerumqne tradit jus hypotheticum ſeu civile; & tenuiter tantum, ſi comparetur cum Catholicis ſcriptoribus. 146

VII. Grotius non ſcripſit jus naturæ; quamquam ad hoc ſcribendum aptior fuiſſet præ Puſſendorffio. 147

CAPUT XV.

Grotium, Puffendorffium, & cæteros tales perperam dici inventores diſciplinæ Juris naturæ.

Thema I. INerudite, aut maligne, aut impudenter jactant, jns naturæ ante Grotium fuiſſe incognitum, præſertim Catholicis. 147

II. Novatoribus non adfuit ſana ratio & ſufficiens cauſa ad recedendum à veteri jutis naturæ docendi arte. 149

III. Iſti libri inutiles ſunt ad mores & Ethicam diſcendam. 151

IV. Inutiles ad conſcientiæ curam & panem in ternam. 161

V. Inutiles ad ſorum civile. 152

VI. Inutiles nobilitati in prædiis ſuis agenti. 152

VII. Inutiles ad regimen Principatuum. 152

VIII. Hoc jus naturæ inutile ad cauſas populorum decidendas. 153

IX. Hoc *Jus gentium* modice utile. 152

X. Diſcere nos ex aliis velle, qualem utilitatem iſtorum labores ferant? 153

XI. Thomaſius fœde nugatur, ante Lutherum Jus naturæ fuiſſe peſſime traditum. 153

XII. Idem miſere ceſpitat in exponendis initiis Juris naturæ tempore Lutheri. 153

XIII. Nihil ſanius ſentit de Jure naturæ poſt Grotium. 156

XIV. Sancti Pares effronter traducuntur à Proteſtantibus. Thomaſius lepidum animal. 157

CAPUT XVI.

D. Chriſtiani Wolffii Principia Juris Naturæ expenduntur.

Them. I. DE hac Wolffii diſciplina equidem non pertineret multum ad præſens opus; quia ille non creat periculum, ob difficultatem & obſcuritatem. 158

II. Incommoda methodi illius poſſunt commodum afferre reipublicæ; cum non intelligatur, niſi ab infallibili, qualis eſt ipſe. 159

III. Wolffius jus naturæ conſtituit in eſſentia humana ac rerum. Variæ hic poſſunt hypotheſes formari. 160

IV. Wolffii doctrina, Legem naturæ eſſe independentem & anteriorem voluntati DEI; ut poſſit intelligi? Quid *naturale* & *ſupernaturale*. 162

V. An Bonitas actionis conſiſtat in ipſa eſſentia hominis. 164

VI. Propoſitio Wolffii hæc: Lex naturæ eſt voluntati divinæ conveniens: pro diverſo ſenſu accipienda eſt aut rejicienda. 165

VII. Wolffius non implevit promiſſum de juventute ad altiora evehendæ. 167

VIII. Wolffius non eſt inventor multorum novorum in Jure naturæ. 168

IX. Convenientia actionis cum natura humana in quadam hypotheſi poteſt eſſe principium *diſcretivum* Juris naturæ. 168

X. Doctrina Wolffii de obligatione repræſentandi gloriam DEI inconſequens eſt. 169

XI. Inconſequenter etiam, more Puffendorffii, loquitur de officiis erga DEum. 170

XII, Wolffius præter intentionem cogitur legem naturæ ultimato reſolvere in *Intentionem* DEI. 173

XIII. Wolffius Atheo ſic argumentanti: *Non datur DEus: ergo non datur lex naturæ:* non poteſt negare conſequentiam. 175

XIV. Neque hanc: *Non datur DEus: ergo non datur veritas:* 176

XV. Nec ullam aliam abſurdam & improbam. 176

XVI. Wolffius anguſtias ſentiens ex ſua doctrina, iis tamen non poteſt ſe liberare. 177

XVII. Lex naturæ Wolffiana habet obligationem tantum phyſicam. 178

XVIII. Tautologia Wolffii in hoc: Homo ratione valens & utens ſibimet ipſi lex eſt. 179

XIX. Ex Wolffio liberum arbitrium ſemper debet manere ſuſpenſum. 180

XX. In Wolffii principiis nulla datur virtus moralis. 180

XXI. Male ſe excuſat Wolffius, ſe utique docere, legem naturæ pendere à voluntate DEI &. 181

XXII. Wolffius nonniſi per contradictionem poteſt admittere obligationem paſſivam moralem. 18

XXIII. Wolffius agnoſcit, legem naturæ à ſe indicatam non eſſe legem naturæ, ſed medium ad eam cognoſcendam. 184

XXIV. Wolffius videtur renovare ſententiam Protagoræ Athei, Hominem ipſum eſſe menſuram juſti & injuſti: confutatam à Platone. 186

XXV. Wolffii contradictiones in ſtatuenda lege naturæ. 187

XXVI. Wolffius magna difficultate oneravit Juris naturæ diſciplinam, inutiliter. 187

XXVII. Fruſtra ſe tuetur Wolffius, obligationem ad DEUM à ſe non excludi. 188

XXVIII. Wolffius ut in fine, ſic etiam in Principio ſtatuendo ſtravit viam *Indifferentiſmo*. 189

XXIX. Incaſſum nobis objicitur, etiam à nobis contendi, Principium non eſſe *Unum*. 190

XXX. Incaſſum etiam objicitur, à nobis quoque obligationem tantum phyſicam agnoſci. 190

XXXI. Deceptioni obnoxia Wolffii doctrina de promulgatione legis, de auctoritate & ratione. 191

XXXII. Ex Wolffii principio æque malum deduci poteſt ac bonum, niſi addatur aliud extra ejus principia petendum. 193

XXXIII. Profanum videtur, quod Wolffius obligationem divinam *acceſſoriam* aſſerere videtur. 194

XXXIV. Profanum, quod obligationem tantum ad *repræſentandam* gloriam DEI agnoſcat. 195

XXXV. Per Wolffii principia *juſte* poteſt negari DEUS. 195

XXXVI. In ejus principiis juſtum eſt, non adorare DEUM, injuſtum adorare. 196

XXXVII. Per Wolffium Atheus debet fieri beatus. 196

CAPUT XVII.

De ſummo Bono Wolffii, & fine Juris Naturæ.

Thema I. Wolffius ut principium Juris naturæ commodum fecit atheis, ita & finem, ſeu ſummum Bonum. 197
II. Omnia de ſummo Bono diſputata contra Puffendorffium valent etiam contra Wolffium. 199
III. Hic altero etiam pejor eſt, quod DEUM à ſummo bono nominatim excludit. 199
IV. Cavillus Wolffii, Homini non convenire Bonum abſolute ſummum. 202
V. Senſit male à ſe conſtitutum ſummum bonum; noluit tamen mutare principia. 204
VI. Wolffius conſtituit ſummum bonum in mediis ad ſummum bonum. 205
VII. Wolffius nullum omnino admittit ſummum Bonum. 207
VIII. Wolffius pro ſummo bono admittit magnum malum. 208

EXCUSATIO VANA.

Scriptorum profanorum Juris naturæ. *pag.* 211.

EXCUSATIO INUTILIS.

Catholicorum, qui profana larvata jura naturæ legunt. *pag.* 213

PERORATIO.

APPENDIX.

Admonitio contra Puffendorffium, Heineccium &c. Eccleſiam Catholicam non repugnare juri naturæ. 216
Soliloquium Comitis à Meternich ad fidem Catholicam converſi ex Jure naturæ. 217
Oratio D. Frœreiſen Rectoris Academiæ Argentinatis de Miſero Eccleſiæ Auguſtanæ Confeſſioni addictæ permultis in locis ſtatu. Ubi quam male in illa conſultum ſit Juri naturæ, eleganter docetur. 217

CA-

CAPUT I.

DE

STATU HOMINUM VARIO.

Quid ſit Status?

Them. I. STatus hominis dicitur certa conditio, ſeu Ratio per ſe ſtabilis vivendi.

Per ſe dicitur ideo; quia poteſt tandem mutationi eſſe obnoxia, ut omnia humana.

Stabilis, aut *certa* dicitur; quia non omnis deſultoria in dies & horas mutatio *Statum* cenſetur facere, contra ipſam nominis notitionem.

Statum autem tale quid eſſe, quale deſcripſimus, conſentiunt fere Jurium periti, quos ſupervacuum eſt hic in cenſum vocare & demonſtrare multo inutilius.

Quomodo mutetur?

Them. II. Certa vivendi ratio *mutatur*, quando homini per ſe *ſtabiliter* proponitur aut imponitur vel *alius finis*, vel *alia media* ad eundem.

Vitæ enim ratio in fine & mediis ſita eſt. His igitur mutatis mutatur vitæ ratio, id eſt ſtatus hominis.

Status Naturalis.

Them. III. Primigenius ſeu *pure NATURALIS STATUS* hominis eſt, quo homo naturam ſuam adipiſcitur; ſive quo ponitur in rerum natura, inſtructus facultatibus propriis ad finem ſibi proprium quærendum.

Naturalia enim communi uſu loquendi dicuntur ea, quæ naturâ inſunt, & contradiſtinguntur iis, quæ ex arte & inſtituto aut libera voluntatis determinatione contingunt. Sic medici cibum dicunt rem *non naturalem*.

Status Adventitius.

Them. IV. STATUS ADVENTITII hominis ſunt *mutationes* ſtatus primigenii ſeu naturalis in alium ſtatum, vel proprio facto vel alieno ſupervenientes.

Ut cum homo accipit *ſocium* vitæ tranſigendæ. Nam ipſa natura Adami v. g. non importat ſocium.

Them. V. Status Adventitius neque eſt *contrarius* ſeu repugnans primigenio naturali; neque eundem *tollit*; neque obligationes prioris ſtatus evertit; alias per ſocietatem v. g. deſineret eſſe homo. — Naturalem non tollit.

1. Duo autem præſtat ſtatus omnis adventitius. Primum *DETRAHENDO*, ſecundum *ADDENDO.*

2. *DETRAHIT* aliquid amplitudini libertatis quoad uſum, quem reſtringit ad pauciora. — Sed ei detrahit aliquid,

3. *ADDIT* aliquid, idque fere Tripliciter: nam *aut* addit novam lucem & declarationem circa media jam prius habita: *aut* addit omnino nova media, vel finem ſuo modo novum intermedium: *aut* denique addit novas obligationes antea non habitas. Quod tamen poſtremum cum ſecundo convenit; cum obligationes ipſæ nihil fere ſint aliud, quam media. — & addit aliquid.

4. Rem totam Exemplo illuſtro. Cum homini accedit conjux, liberi, ſervi, propterea non ceſſat eſſe homo. Ideoque hic novus adventitius ſtatus priori non eſt adverſus, nec eum aufert. — Exemplum.

5. Attamen *DETRAHITUR* ipſi aliquis uſus libertatis prioris & *reſtringitur*. Cum enim duo habitant in domo una, non poteſt eſſe ambobus tam ampla habitandi copia quam uni. *Debet omittere* ſocius, quæ non omiſiſſet ſolus.

6. Deinde *ADDITUR* ipſi nova lux ſeu cognitio multorum antea incognitorum. Adduntur nova media, nempe amor conjugis & auxilium liberorum ac famulorum &c. Adduntur denique novæ obligationes, & multa *debet nunc facere* conjux, pater, ac herus, quæ non feciſſet nudus ac ſolus homo.

Cur obligent in conſcientia officia ſtatuum adventitiorum

7. Atque hæc eſt ratio fundamentalis, cur (ſuppoſito ac probato, quod datur obligatio conſcientiæ ad officia ſtatus naturalis ſeu primigenii) hoc ipſo etiam obligent in conſcientia illa officia ſtatuum advenditiorum; quia adventitius ſtatus non eſt niſi declarativus, ampliativus, ac perfectivus ſtatûs naturalis.

ut leges civiles.

8. Ita leges civiles humanæ, modo non ad evertendam naturam (cujus domini non ſumus) aptæ ſint, obligant in conſcientia; quia non ſunt niſi declarationes juris naturæ. Ita leges Moſaicæ morales, ita doctrina moralis Chriſti, quatenus eſt præceptiva, obligat in conſcientia, quia ſunt declarativæ & perfectivæ legis naturalis.

Moſaicæ & Chriſtianæ

cum diſcrimine tamen.

9. Hoc tamen eſt diſcrimen inter leges civiles particulares humanas, & legem moralem Moyſis ac Chriſti, quod illæ non obligent alios, quam qui ſponte eis ſe ſubjecerunt; quia earum auctores fuerunt puri homines non habentes dominium univerſale præſertim in animas. At Chriſti & Moſaicæ leges morales obligant omnes homines, *qui eas agnoſcunt*; nec pendet obligatio ab acceptatione: eo quod legislator earum ſit Dominus per eſſentiam, cujus ſervi eſſentialiter ſunt omnes homines. Vide *Cap. X. Them. XII. n. 10.* &c.

Non omnis mutatio facit ſtatum adventitium.

Them. VI. Mutationes illæ adventitiæ tunc demum dici poſſunt vere *Status*, cum bonæ ſunt, id eſt, cum aptæ ad finem naturæ humanæ obtinendum. Aliàs potius ſunt *Lapſus*, defectiones & corruptelæ.

1. Quodlibet enim perficitur per approximationem ad ſuum finem.

2. Sic Adam peccando non adeptus eſt ſtatum ſed corruptionem naturæ. Sic Societas in latrocinio, hæreſi, magia, libidine &c. non eſt ſtatus, ſed lapſus & horror naturæ.

3. Sed huic immorari rei velle litem fortaſſe vocabulariam ſaperet. Et lubentes concedimus Theologis, ut dicant *Statum naturæ lapſæ*, *ſtatum peccati mortalis*, & cetera id genus.

I. Adventitius Status Oeconomicus.

Them. VII. Primus ſtatus adventitius eſt Societas conjugalis, & Status Familiæ, qui græce dicitur *OECONOMICUS*, ſeu *regulativus Domus*.

1. Prior enim hoc ſtatu oſtendi nequit, reſpectu generis humani. Hic igitur eſt primus adventitius.

2. Nec moror illos accuratos, qui conjugalem ſtatum ab œconomico diſcernunt; cum prior ille poſſit eſſe ſine liberis & ſervis. Mea pace faciant ex hoc ſtatu duos. Nihil id ad rem præſentem. Ego Græcos ſecutus ſum, qui domum conſtitui judicabant, ſive acceſſerint ſervi, ſive non acceſſerint, ſive mallent conjuges ipſi ſibi ſervorum officia præſtare.

II. Adventitius Civilis.

Them. VIII. Alter ſtatus adventitius eſt *Societas civilis*, Græce *STATUS POLITICUS*: Latine interdum *Reſpublica* dictus, lato nimirum ſenſu; aut *Civitas*.

Componitur is ex pluribus ſocietatibus primi generis, ſive domeſticis; cum nimirum plures familiæ coëunt in unam ampliorem ſocietatem, quæ Politia ſeu civitas dicitur; & ſocii hoc reſpectu dicuntur *cives*.

Civilis St. non exigit magiſtratum per ſe.

Them. IX. Status Civilis per ſe non requirit imperium publicum & magiſtratum communem, ſaltem ut imperium modo accipi & intelligi ſolet. Per accidens autem requirit, ſuppoſito, quod homines deficiant à fine ſeu naturæ ſeu à fine civitatis ſubordinato fini naturæ.

1. Poſſunt enim plures familiæ bona fide & amicitia cohabitare, ſicut poëtæ veterrimi tradunt de hominibus aureæ ætatis; & ſicut S. Scriptura de Iſraëlitis tempore Judicum:

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo ſponte ſua ſine lege fidem rectumque colebat. - - - - - Nec ſupplex turba timebant Judicis ora ſui: ſed erant ſine vindice tuti &c. Ovid. I. Metamorph. ℣. 99.

In diebus illis non erat rex in Iſraël, ſed unusquisque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat. Judicum c. XVII. ℣. 7. Nec tamen Judæi non erant *civitas*. Quales etiam referuntur fuiſſe incolæ inſularum fortunatarum, cum ſeculo XV. eſſent inventæ. Vid. Hiſtoire Generale des Voyages Tom. III. Liv. V. Chap. I. Et admodum nuper adhuc Samoiedæ, Lappones, Sibērienſes, Kamtſakenſes. Quorum omnium ſocietas civilis aut ſine omni imperio diu conſtitit, aut cum quam minimo.

2. Neque convertibilia ſunt hæc duo: Magiſtratus non poteſt eſſe, ubi non eſt ſocietas: ergo ſocietas non poteſt eſſe, ubi non eſt magiſtratus. Equidem valet hoc: Rex eſt: ergo populus eſt. Non item hoc: Populus eſt: ergo rex eſt.

3. Dein-

3. Deinde magiſtratus ſunt in vindictam malorum, utque impediant vi eos, qui aut deſciverunt à recto, aut deſciſcere volunt. Nam ut doctrina, diſciplina ac blandioribus mediis homines avertantur à malo, non eſt opus imperio civili; ſed ad hoc ſufficit auctoritas Patrumfamilias, & aliorum ſimilium. Sicut ergo de ſe non eſt neceſſe, ut ſocii præfracte devient à recto; ita pariter de ſe non eſt neceſſe ut ſint magiſtratus, qui eos vi coërceant. Sed ex hypotheſi demum augeſcentis malitiæ neceſſarius eſt magiſtratus talis. Videatur etiam Plato in Politico, ubi nec leges nec magiſtratus, nec pœnas requirit ad rectam conſtitutionem civitatis: *Quatenus enim ſcientiæ & juſtitiæ ductu & auſpiciis ex deteriori meliorem pro viribus civitatem efficere inſtituunt, atque conſervare, hactenus rectam appellare rempublicam volumus, & in eo ipſo duntaxat definitionem rectæ gubernationis conſtare.*

III. Adventitius St. Status in Statu.

Them X. Tertius ſtatus adventitius eſt is, qui advenit ſecundo, nempe civitati: cum nempe plures ſocietates civiles coëunt in unam, ſeu laxiorem ſeu ſtrictiorem, ſeu ejusdem ſeu diverſi generis. Quæ poteſt dici *SOCIETAS COMPLEXA, ſocietas ſocietatum*, vel *Status in Statu.*

E. g. Fœderati Belgæ à duobus fere ſæculis faciunt unum ſtatum: & tamen revera ſunt ſtatus plures. Qui plures ſinguli ſunt *Status in Statu* hoc uno complexo. Sic Elector Saxoniæ cum ſua gente eſt Status in Statu Imperii Germanici tanquam unius complexæ ſocietatis.

Status in ſtatu non tollit ſtatum.

Them. XI. Societas complexa non tollit ſtatum ſocietatum ſimplicium, ſed in aliquibus reſtringit, in aliquibus addit aliquid. Juxta *Them. V.*

1. Sicut enim ſocietas familiæ adjungens ſe ſocietati politicæ, non perit, nec deſinit eſſe familiæ; ſed reſtringitur ejus libertas, & per ipſam reſtrictionem perficitur. Ita una ſocietas civilis, adjungens ſe alteri vel alteris talibus ſocietatibus, non ceſſat, ſed perficitur.

2. Exemplo eſt reſpublica Belgarum, Hollandi enim, ſocii facti Zelandorum & Friſiorum, non deſierunt eſſe reſpublica; ſed tantum in aliquibus renuntiarunt libertati priſtinæ, & per hoc ampliorem utilitatem ac perfectionem conſecuti ſunt.

3. Ita pariter, cum nationes Germanicæ in unam ſocietatem conſenſerunt poſt cruenta bella, manent tamen ſingulæ nationes proprii ſtatus; res eſt enim certa in hodiernum diem, nec Saxones Suevis ſubjectos eſſe, nec Suevos Boiis: ſed ſingulia ſua ſeparata auſpicia, jura propriæ civitatia & fundamenta conſtare: omnes autem, tanquam uni novæ ac ſupervenienti ſocietati conjunctos, auſpiciis gaudere imperii Germanici: quæ auſpicia Imperialia non conveniunt nationibus ſingulis ſed omnibus: ſicut auſpicia ſtatus Boici, Saxonici, Suevici &c. non conveniunt omnibus nationibus Germanicis, ſed ſingulis.

Societati complexæ per accidens eſt habere magiſtratum.

Them. XII. Societati complexæ per accidens eſt habere magiſtratus aut imperium *commune*, tali modo, quo imperium nunc accipi ſolet pro vi coërcendi, & jure vitæ ac necis &c.

1. Per ſe enim hoc non pertinet ad eſſentialia Status, neque ad eſſentialia Societatis.

2. Poteſt autem finis ſocietatis proximus obtineri conſenſu, fide &c. Sic Societas Batavorum habet commune imperium: Societas Helvetorum non habet. Societas Græcorum ante Theſeum non habuit: poſterorum habuit Amphictyonas. Societas Germanorum habet commune imperium & communem unum imperatorem.

Societas gentium.

Them. XIII. Ampliſſima ſocietas complexa eſt *Societas plerarumque gentium.*

1. De hac omnia dici poſſunt quæ de ſuperioribus ſtatibus docuimus, nempe, alterum ab altero non tolli, ſed perfici addendo & reſtringendo.

Per accidens eſt magiſtratus.

2. Huic quoque ſocietati gentium per accidens eſt magiſtratus communis, quem poſſent inſtituere. Sic fuit conſilium Henrici IV. Galliarum regis, ut omnium Europæ gentium Amphictyones ſeu communis magiſtratus inſtitueretur. Equidem vulgo id exploditur, verum non tanquam repugnans ſtatui ſocietatis, imo potius exploditur pravitas hominum ſalubri inſtituto atque optabili ſemper repugnatura. *Meum ac Tuum* idque nimis anguſtum, nec ſufficiens habendi diræ libidini, facit, ut ejusmodi Amphictyones optari debeant, ſperari non poſſint; tum nemo adhuc oſtendat tantarum eſſe ſe virium, qui hunc magiſtratum gereret in invitos; aut ſapientiæ tantæ, ut animos redderet ad id ferendum patiendumque lubentes. Sed de hoc nos in Jure Gentium plura.

Status Religionis.

Them. XIV. Supremus & optimus Adventitius ſtatus eſt ſtatus *RELIGIOSUS*, qui elevat ad bonum abſolutum.

Viæ &

1. Is vero duplex & 1. *VIÆ*, in quo per media opportuna homo *tendit* ad beatitudinem.

Patriæ.

2. Status *Patriæ*, in quo beatitudinem *poſſidet*.

Cui non eſt liber Magiſtratus.

Them. XV. Statui Religioſo non eſt ex ſe liberum magiſtratus, leges, imperium inſtituere. Sed pendet vere a DEO.

Quippe religio peculiari quadam ratione conſtituit *Servos* DEI: horum autem eſt imperium cultus &c. à DEO exſpectare.

Sed DEO.

Them. XVI. DEO autem liberum eſt qualecunque imperium ſacrorum inſtituere, etiam ſupra imperia ſtatuum reliquorum.

Quia etiam ipſa imperia ſtatuum non ſunt niſi ſervitia DEI.

Religio vera eſt verus Status.

Them. XVII. Religio vera, maxime ſupernaturalis & revelata, eſt verus ſtatus adventitius hominis.

Quia eſt certa ſtabilis ratio vivendi, ſuperveniens naturæ ſacto DEI revelantis, & hominis credentis.

Religio ſupervenit Societatibus.

Them. XVIII. Religio eſt etiam ſtatus adventitius ſuperadditus Societatibus ſimplicibus ac complexis.

Re ipſa hoc clarum eſt. Supervenit enim religio revelata ſocietatibus hominum aut carentium religione aut falſa imbutorum.

Status prior conſtituitur in poſteriore adventitio.

Them. XIX. Per mutationem, qua ſtatus novus inducitur, non ille ſtatus novus conſtituitur in ſtatu priore vetere: ſed vetus conſtituitur in ſtatu novo.

1. Quidquid enim mutatur, tranſit in id, in quod mutatur, non viciſſim.

2. Sic quod homo conjugium ineat, non ſtatus conjugii ſtringitur à ſtatu humano: ſed ſtatus humanus conſtringitur per conjugalem & *homo* ponitur in ſtatu conjugali, non *conjux* ponitur in ſtatu humano. Ita quod plures familiæ ineant unam ſocietatem civilem, per hoc civitas non eſt ſtatus in familiis; ſed familiæ ſunt ſtatus in civitate. Sive civitatis jus & ratio non abſorbetur in ſingulis familiis, ſed jus ſingularum familiarum, quoad aliqua, abſorbetur in civitate. Sive demum familiæ non acquirunt jus & poteſtatem ſupra civitatem, ſed civitas acquirit jus certum ſupra familias, & hæ fiunt ſubditæ quoad multa, quæ ſpectant ad communia.

3. Confirmat id Cicero Lib. III. de officiis: *Societas enim eſt*, inquit, *LATISSIME quidem quæ pateat omnium inter omnes: INTERIOR eorum, qui ejusdem gentis ſunt: PROPRIA eorum, qui ejusdem civitatis. Itaque majores aliud jus gentium aliud civile eſſe voluerunt. Quod enim civile, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile eſſe debet.* Argumentum Ciceronis tale eſt: Jura ſe habent ad invicem ſicut ſe habent ſtatus, ſeu ſocietates: abſurdum eſt autem dicere, quod jus ſocietatis civilis tanquam anterioris comprehendat jus ſocietatis gentium tanquam poſterioris & ex civitatibus natæ. Quia ergo civitates ſingulæ in ſocietatem gentium redactæ conſtituuntur in novo ſtatu ſocietatis complexæ, ideo jura civitatum ſingularum ſuccumbunt Juri Societatis complexæ; non contrà jus ſocietatis complexæ ſuccumbit juri civitatum: hoc eſt, quod Cicero dicit: *Quod eſt jus civile, non idem continuo gentium, quod autem gentium, idem civile eſſe debet.*

Civitas eſt Status in Religione.

Them XX. Per introductionem Status *Religioſi* non ſtatus religionis ponitur in ſtatu civili aut gentium, ſed Status civilis ponitur in Statu Religionis.

1. Atque hoc quidem fortiori jure contingit in religione. Cum enim familia aut civitas, aut gentes ingrediuntur Statum Religionis, hic ſtatus eſt quidem adventitius gentibus: ſed ob id ipſum Religionis jura à ſummo Domino conſtituta non ſubordinantur juribus gentium aut civitatum; ſed contra potius, uti ſupra probatum eſt. Ideoque religio non eſt Status in Statu vel Statibus his; imo hi Status & hæ ſocietates ſunt Status in Statu Religionis. Et Jus Religionis non abſorbetur in jure gentium, ſed Jura gentium abſorbentur in jure Religionis. Sive, ut idem aliis verbis dicam, Civitates vel gentes per hanc mutationem non acquirunt poteſtatem ſupra religionem & leges religioſas, ſed potius religio acquirit jus ſupra civitates & regna, quantum ad religionis modum neceſſe eſt & conveniens; & regna fiunt ſubdita religioni, non religio regnis. Sicut familia tranſiens in civitatem non acquirit jus ſupra civitatem; ſed potius civitas ſupra familiam, quoad communia & publica.

non religio ſtatus in civitate.

Regna ſubſunt religioni, non contra.

Religio eſt Status Latiſſimus.

2. Confirmatur id ex indole religionis, aliæ ſocietates junguntur arbitrio humano, unde formulam accipiunt. At Religio mere humano arbitrio non ſubeſt, ſed vi ſumma ligat omnium arbitria tam in particulari, quam in univerſum. Igitur Religio eſt ſtatus latiſſimus, & ſimpliciter neceſſarius. Latiſſimum autem & ſimpliciter neceſſarium exigit comprehendere arctiora & arbitraria, non ab his comprehendi.

Them.

Si vel arbitraria eſſet religio:

Them. XXI. Idque fieret, etiamſi à nuda hominis voluntate, nec ab ulla obligatione penderet ſuſceptio religionis.

Sicut hoc fit, quando familia accedit civitati, nulla obligatione ad accedendum ſtringente: ignobilius enim ſubjicitur nobiliori ac perfectiori.

multo magis ſi neceſſaria.

Them. XXII. Multo magis id verum eſt nunc, quando omnibus hominibus & hominum ſocietatibus ac ſtatibus incumbit indiſpenſabilis obligatio, ut libertatem voluntatis determinent ad ſuſcipiendum ſtatum veræ religionis, id eſt ad ſtatum perfectæ ſervitutis erga univerſalem Dominum ejusque leges.

Falſa aſſerta heterodoxorum.

Them. XXIII. Falſa ſunt igitur nova aſſerta multorum novorum Juris naturæ librorum: peccantque in ipſis principiis & eſſentiis rerum conſtituendis: unde ingens copia errorum poteſt profluere.

Nimirum falſum eſt 1. Statum civilem ex natura ſua habere imperium. Them. IX.

2. Falſum, repugnare Statum in Statu. Them. X.

3. Falſum, Religionem veram v. g. Chriſtianam non eſſe Statum. Them. XVII. &c.

4. Falſum, Religionem Chriſtianam eſſe Statum in Statu. Them. XIX. &c.

5. Falſum, Statum religionis repugnare ſtatui civili, vel hunc ſtatum periturum per ſtatum Religionis. Them. V. XIII. XIX.

6. Falſum, Statum civilem non reſtringi per Statum religionis. Them. V. XI. XIX. XX.

7. Falſum, Statum Religionis veræ ſubjici ſtatui civili. Them. XXI. XXII.

Religio eſt inabdicabilis; non civitas.

Them. XXIV. Nullus homo, nulla familia, nulla Societas ſimplex ſive complexa poteſt abdicare Statum religionis veræ ſeu jus ad illum; quamvis poſſet renunciare familiæ, civitati, aut gentium Societati, quemadmodum huic partim renuntiarunt Japanenſes.

1. Clarum eſt hoc thema ex themate XXII.

2. Si ſecus foret, contra naturam & contra fas egiſſent Idumæi ſuſcipiendo legem Moſaicam; Proſelyti gentiles eidem ſe aggregando; Quæſtor Candaces reginæ Æthiopum ſuſcipiendo legem Chriſti; Romani cives, ſenatores Antiocheni, Corinthii, Galli, Syrii, Judæi &c: eandem Chriſti legem ſuſcipiendo. Quippe ſubduxiſſent ſe juri, quod civitas in ipſos ipſorumque religionem nacta erat.

CAPUT II.

De Jure, & Modis communicandi Juris.

Jus eſt Juſſus.

Them. I. JUS vocabulum eſt Latinum, videturque reſiduum ab antiquo Oſca *Jouſus*, *Jouſum*, *Juſſus* vel *Juſſum*. Quod fere idem eſt ac *mandatus* vel *mandatum*.

active,

Them. II. Juſſum duo ſignificat, agens & patiens. *Juſſum active* ſumptum eſt actus ſeu voluntas jubentis; ut, Juſſu regis hoc eſt actum; id eſt, de voluntate regis. *Juſſum paſſive* eſt res vel actio commenſurata juſſo vel juſſui activo; ut carere parte pecuniæ eſt juſſum regis.

& paſſive.

Recht eſt rectum.

Them. III. Germanico noſtro vocabulo pro *Jus* dicimus *RECHT* ſubſtantive. Neque huic bene correſpondet latina vox *Rectum*, quæ tantum paſſivum aliquid ſonat.

activa;

Them. IV. Illa vox noſtra *RECHT* primo *active* ſignificat id, quod rectum facit; ut GOTT iſt recht, die Richt-Schnur iſt recht, hoc eſt DEUS eſt rectus, Regula eſt recta; potius regens. Deinde vox *RECHT* etiam *paſſive* ſignificat id quod eſt regulatum; ut, GOTT dienen iſt recht; der Weeg iſt recht: hoc eſt, DEO ſervire rectum eſt, via recta eſt, ſeu ad regulam exacta. *

& paſſiva.

* Gallice Jus dicitur *Droict* Italice *Diritto*. Hiſpanice *Directo*. Germani harum trium terrarum imperium ſeculo V. nacti cum partim linguam latinam ibi regnantem didiciſſent, partim ſuam Teutonicam iis impoſuiſſent, noluerant tamen aſſumere hoc vocabulum *Jus*, ſed ſervarunt ſuum *Recht*, quod Itali, Galli, Hiſpanique ſuo affini vocabulo exprimere utcunque potuerunt, nempe *Directo*: unde tandem à coalitis his populis acquietum eſt in voce *Droict*, *Diritto*, *Directo*.

Æquum etiam juſtum.

Them. V. Apud Latinos nominatur aliqua ſpecies Juris, quæ dicitur *ÆQUUM*. Per hoc non excluditur juſſum ſeu Jus: Attamen datur aliquis locus *æqualitati*.

1. E. g. *Jus* eſt ajunt, hoſtes victos igne ferroque delere: *æquum* non eſt. Quia tametſi per victoriam factus ſis ſuperior ipſorum viribus; tamen reſtat æqualitas humanæ conditionis, in qua cum illis ſuperior non ſis, hac parte decet æqualitatem conſervare.

2. Ariſtoteles quoque agnovit, æquum eſſe ſpeciem juris, V. Ethic. c. I. dicens: *Juſtum eſt, quod eſt legitimum & quod eſt æquum: Injuſtum vero, quod eſt contra leges, & quod eſt iniquum.*

Active & paſſive.

Them. VI. Hoc quoque *æquum* tam activæ eſt poteſtatis, quam paſſivæ. Ubi enim reperitur æquum, ibi eſt aliquod æquans, & aliquod æquatum.

Billig.

Them. VII. Germani id ipſum accommode ad res humanas explicant per verbum *BILLIG*, quod aliquo modo congruit cum verbo *WILLIG*. Et ſignificat aliquid ita rectum aut regens, ut ſuæ partes dentur arbitrio & voluntati. Eſt *Billig* parcere ſubjectis; quia tametſi juſtum eſſet occidere, tamen parcere relictum eſt voluntati & arbitrio circumpoſitis tamen cauſis ſufficientibus ad parcendum potius, quam occidendum. Contra cum DEUS præcepit Sauli, occidere omnem Amalec, nec juſtum amplius nec *æquum* fuit parcere regi Agag; quia voluntatis Saulis arbitrio nihil fuit relictum. 1. Reg. 15.

Jus active & paſſive.

Them. VIII. His ita præmiſſis *JUS active* eſt Juſſus jubentis; *Paſſive* eſt id, quod juſſui jubentis conformatur. Item *RECHT active* eſt Rectio regulæ; *Paſſive* eſt id quod ad regulam eſt exactum.

An detur Jus?

Them. IX. An detur *JUS?* quæſtio Platoni (& nuper etiamnum Leibnitio quoad *notionem* ſaltem) difficillima viſa eſt. Neque ullo modo reſolvi poteſt ab iis, qui Cauſam rerum primam & univerſalem, DEUM, aut non agnoſcunt, aut ab agnito abſtrahunt, aut eum plane abnegant.

Nullum jus, ſi non datur DEUS.

1. Nullus enim datur juſſus tranſiens ſi non datur unus permanens & principians. Item nihil poteſt conformari juſſibus tranſeuntibus, niſi hi conformentur uni uniformi.

2. Nulla etiam datur rectio regulæ ſecundæ, tertiæ, quartæ, ſi non datur prima, aut ſi ab ea abſtrahitur; ſicut non dantur quinque, ſi non datur unum. Item nihil poteſt eſſe exactum vi regulæ ſecundæ, tertiæque, ſi regula ſecunda non eſt exacta ad primam. Res eſt nota omnibus artificibus etiam, ne dicam Theologis, ICtis & Philoſophis.

3. Neque poteſt excogitari ratio, cur una creatura ex ſemet habeat poteſtatem in alteram, quam poteſtatem non aliunde acceperit, ſed ex ſua eſſentia quaſi habeat, adeoque abſtrahendo à DEO vel primo jubente.

Nullum æquum, ſi non datur DEUS.

Them. X. Ne *ÆQUUM* quidem datur ſive Romano ſenſu ſive Germano, ſi non datur DEUS, vel ſi ab illo abſtrahitur.

1. Nam ſi *æquum* dicit æqualitatem, illa æqualitas in humanis ex *origine* maxime vel ſolum apparet, quæ origo omnibus hominibus eſt eadem. Appoſite Seneca: *Nemo ab altero poteſt vinci, dum* (id eſt quamdiu) *aſcenditur: dum ad SUMMUM perveneris, paria ſunt.* Epiſt. 79.

2. Si autem æquum, *Billig*, dicit *arbitrium,* rurſus nullum eſt arbitrium, niſi à ſummo arbitro.

3. Niſi ſi dicamus aut hominem ſemetipſum facere alteri æqualem; aut hominem eſſe plane ſuummet arbitrum, à nemine pendentem. Quod contra eſt utrobique. Etenim ſi eſſet in noſtra poteſtate, æqualitatem cum aliis adipiſci, certe tanta eſt cupiditas, ut unusquisque etiam ſuperare vellet: *Quis autem veſtrum cogitando poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Si ergo neque quod minimum eſt poteſtis, quid de cæteris ſolliciti eſtis?* Lucæ 12, 25.

Jus naturale active & paſſive.

Them. XI. Jus eſſentiale ergo *active* eſt in DEO. Omnibus autem, quæ à DEO producta ſunt, incumbit eſſentialiter jus *paſſive*, ſive dependentia & obligatio eſſentialis; ita tamen, ut modificetur quoad exercitium varie, itidem pro voluntate DEI.

E. g. Alia creatura exercet ſuum ſervitium ſine libertate, ut bos, alia cum libertate à DEO participata, ut homo. Demonſtrationem ejusmodi thematum reſervamus ad ipſum noſtrum Jus naturæ.

Jus humanum eſt participatum.

Them. XII. Omne jus active ſumptum, quod habet homo quicunque, eſt participatum à DEO tanquam primo jubente.

Non eſt enim poteſtas niſi à DEO. Roman. 13. v. 1. Nec poteſt in tota natura creata aſſignari ulla cauſa, ſolida & neceſſaria, cur homini vel una ſtipula ſubjiciatur, ne dicam alius homo.

Them.

& relatum ad DEUM.

Them. XIII. Omne jus paſſivum ſeu obligatio, hominis erga hominem, refertur in DEUM tanquam primum obligantem.

Sive: Homo non poteſt ita eſſe obligatus alteri homini, ut ejus obligatio in illo altero ſiſtatur & finiatur, nec ulterius feratur. Aliàs ille alter eſſet primus obligans, & haberet jus activum imparticipatum ſeu à ſe, & eſſet eſſentialiter Dominus. Hinc recte Paulus Apoſtolus etiam ſine revelatione potuiſſet dicere: *Qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit.* Rom. 13. ℣. 2.

Homo poteſt jura aliis cedere.

Them. XIV. Quia DEUS omnes homines æquales natura fecit, & omnes fecit capaces ac participes multorum jurium activorum; ideo homo poteſt aliqua ſua jura participata cedere ac transferre in alios homines; ſic tamen ut non alienentur à ſupremo Domino.

1. Sicut enim homo non eſt auctor juris ſui ſuæve poteſtatis; ita nec abſolutus modificator. Et hic valet axioma philoſophorum: *Modus operandi ſequitur modum eſſendi.* Et aliud: *Nemo dat, quod non habet*, & in quantum non habet.

2. Poſſe autem ab homine aliqua jura in alterum transferri, cum ſit experientia certum, demonſtratione non eget.

3. Ratio vero juſtitiæ hujus translationis eſt; quia talis translatio de ſe convenit fini naturæ humanæ, id eſt Boni ſummi acquiſitioni, ac ſervituti erga idem Bonum tanquam dominum noſtri: id quod pariter experientia docet, & patebit in noſtro *Jure naturæ repurgato.*

Hinc variæ ſpecies juris humani.

Them. XV. Pro varietate talium translationum ac participationum oriuntur etiam variæ ſpecies juris humani.

Sicut ſpecies aliarum rerum per mutationes diverſificantur.

Fontes juris DEUS & homo.

Them. XVI. Duo itaque ſunt fontes juris omnis. Alter *ORIGINARIUS*, DEUS: alter *DERIVATUS*, voluntas hominis, aut ejus ratio.

Nec enim poſſunt plures excogitari.

Lex eſt ratio DEI.

Them. XVII. *LEX* quid eſt? Reſpondet Marcus Tullius, cum choro ſapientium: *Hanc video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, Legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regeret, imperandi prohibendique ſapientia. Ita principem legem illam & ultimam, MENTEM eſſe dicebant OMNIA RATIONE COGENTIS AUT VETANTIS DEI.* II. de Legibus. IV.

Lex idem quod Jus.

Them. XVIII. Idem eſt ergo Lex, quod jus, ex Sapientiſſimorum hominum ſententia: nempe *juſſus jubentis.*

Plerumque infrugiferæ ſunt litigationes de diſcrimine legis ac juris &c.

Dicta de jure conveniunt legi.

Them. XIX. Ergo quæ ſuperioribus thematibus de Juris natura, fontibus ac derivationibus diximus, eadem dicta ſunto de lege.

Lex vera non eſt arbitrium hominum ſed DEI.

Hoc præcipue iterum monentes: nullam legem eſſe aut intelligi poſſe non manantem à DEO. Pulcre Cicero: *A parvis didicimus, SI IN JUS VOCAT, atque ejusmodi alias, leges nominare. Sed vero intelligi ſic oportet, & hæc & alia juſſa ac vetita populorum VIM habere ad recte facta VOCANDI & à peccatis AVOCANDI: quæ VIS non modo ſenior eſt, quam ætas populorum & civitatum, ſed æqualis illius cælum atque terras tuentis & regentis DEI. - - - - Quam ob rem LEX VERA atque princeps apta ad jubendum & vetandum, RATIO EST RECTA SUMMI JOVIS.* II. de Legib. IV. *Quod ſi populorum juſſis, ſi principum decretis, jura conſtituerentur; jus eſſet latrocinari, jus adulterare, jus teſtamenta falſa ſupponere, ſi hæc ſuffragiis aut ſcitis multitudinis probarentur.* Cicero I. de Legib. XV. Qui, quæ hic de Jure dixerat, eadem dicit de Lege, capite ſequenti, in hunc modum: *Quid quod multa pernicioſe, multa peſtifere ſciſcuntur in populis, quæ non magis legis nomen attingunt, quam ſi latrones aliqua conſenſu ſuo ſanxerint? - - - - Ergo eſt Lex juſtorum injuſtorumque diſtinctio ad illam antiquiſſimam, & rerum omnium principem expreſſa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos.* Et ibid. c. 7. concludit: *Sit igitur hoc à principio perſuaſum civibus, dominos eſſe omnium rerum ac moderatores Deos, eaque quæ geruntur, eorum geri vi, ditione, ac numine; eosdemque optime de genere hominum mereri, &, qualis quisque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri; piorumque & impiorum habere rationem.*

Nomen legis ac juris diverſum.

Them. XX. Nomina tamen legis ac Juris, interdum pro diverſis ſumuntur: quæ etiam diverſitas uſus gratia ſervari poteſt.

Ita *LEX* plerumque ſumitur pro juſſu quodam activo generali, ſignis quibusdam prodito, inferente coactionem quandam. eg. Lex de non furando.

JUS vero poteſt conſiſtere ſine ſignificatione, ut jus ſumendi alimenta.

Rurſus Lex oritur à Jure: & iterum Jus ulterius oritur à lege. In quibus diſcutiendis multa poſſunt ſubtiliter ac metaphyſice & dici & cogitari: ſed quæ uſum vix habent. Illud ſtat, omne jus, omnem legem hominum ab uno ſolo DEO demum proficiſci.

Them. XXI. Uſus obtinuit, Jus ſumi pro complexu plurium juſſuum ac juſſorum, & fere pro ſtatu. Ita *Jus Naturæ*, eſt ratio vitæ in ſtatu Naturali:

Jus Civile, *Gentium* &c. quæ mox nonnihil explicabimus.

I.ma communicatio Juris divini creatio.

Them. XXII. Primus modus, quo Jus Summum per participationem transſcribitur in hominem, eſt ſitus in poſitione ipſius naturæ humanæ.

Cum enim DEUS conſtituit naturam hominis, hoc ipſo ſtatuit & facit eum capacem, *primo active* ad ulteriora juſſa edendum in multa, quæ ipſo inferiora ſunt; *ſecundo* paſſive facit eum eſſentialiter pendentem à Jure ſummo vero, id eſt à ſe.

Hoc jus congruit *Statui hominis naturali*, & eſt *JUS NATURÆ*: ſeu *Ratio certa vivendi in ſtatu naturali.* Vid. *Cap. I. Them. III.*

II.da communicatio hominis in hominem.

Them. XXIII. Alter modus ulterior communicandi juris eſt, cum homo jus ſuum à DEO acceptum iterum tradit æqualibus ſuis, aut ab iis accipit (Thema XV.) ut cum ſocium acquirit, v. g. conjugem, aut ſervum: Conjugi enim dat aliquam poteſtatem in ſe, & viciſſimi ab ea aliquam accipit.

Quod fieri *poteſt*, quia DEUS fecit homines æquales naturâ, & omnes capaces Juris alicujus dandi & accipiendi. *Them. XIV.* hoc cap.

Hoc Jus derivatum congruit *Statui Oeconomico*; vel potius eſt formaliter ipſe ſtatus œconomicus, ſeu ipſa certa ratio vivendi in familia. *Cap. I. Them. VII.*

III.tia communicatio familiæ in civitatem.

Them. XIV. Tertius modus communicationis eſt, quo familia non tantum aliqua jura ſingulorum hominum communicat cum alia vel aliis familiis, ſed etiam communicat jura familiæ communia.

unde Jus civile.

Hoc Jus congruit Statui ſociali ſecundo ſeu *Civili*, *Cap. I. Them. VIII.* & dicitur *JUS CIVILE*; quod pro varietate civitatum ſortitur nomen, ita ut *Jus Romanum*, *Jus Spartanum*, *Jus Longobardicum* &c. dicatur. Dirigit autem Jus civile *primo* actiones privatorum ſociorum inter ſe, ut contractus, lites, delicta &c.

Quid Jus publicum?

Them. XXV. Aliter & *ſecundo* Jus civitatis conſiderari ſolet, quando agitur de officiis perſonarum in civitate publicarum, de forma regiminis, de civitate ut eſt *aliquid totum* &c.

Dicitur enim hoc *JUS PUBLICUM* v. g. Romanorum, Imperii Germanici, Hungariæ.

Et quamquam revera Jus publicum æque ſit civitatis ac Jus civile, expedit tamen, illud ſeorſim diſci: quia ſunt in civitate perſonæ determinatæ, quæ maxime exercere negotia publica debent; & expedit talia negotia accurate intelligi ab iis, qui ea exercent, aut ad ea admovebuntur; ut etiam privati ſint ſecuriores ab injuriis per tales Ignorantes ſibi inferendis.

Jus Civile ac Publicum generale & peculiare.

Them. XXVI. Jus Civile tam Privatum quam publicum, ſeorſim aut ſimul ſumptum poteſt conſiderari ut univerſale ſeu *generale*, & ut *peculiare* aut ſpeciale.

1. Jus *CIVITATIS UNIVERSALE* nihil eſt aliud quam Excogitatus aliquis modus, quo qualiscunque innominata civitas bene & ſalubriter inſtitui poſſet, abſtrahendo à Romana aut Germanica, aut Hungarica aliave natione:

2. Tale jus ex publico & privato complexum plures deſcripſerunt. Primus *PLATO* quod à Socrate didicerat, docuit in Libris *de Republica*, ad quos omnino pertinent libri *de Legibus*: In prioribus jus magis publicum, in poſterioribus magis privatum continetur. Idem fecit *CICERO* in libris *de Republica*, qui nobis interciderunt; & libris *de Legibus*, qui extant. Idem præſtitit ſub annum Chriſti 1500. Thomas *MORUS* in libro de *Utopia*, involvens rem ſeriam fictioni, ut, pro ſtomacho etiam illius temporis, libentius legeretur. Idem denique quodammodo fecit elegantiſſimus *FENELONIUS* in *Telemacho* tota Europa celebratiſſimo. Multi præterea alii.

Jus autem publicum univerſale, ſeu officia publica civitatum in genere deſcribens ante annos 500. profunde exſecutus eſt *S. THOMAS* in libro de *Regimine Principum*, qui etiam Ægidio Romano egregio doctori Auguſtinianæ familiæ adſcribitur. Et ut plurimos prætercam, nuper illud ſolide & dilucide peregit Magnificus P. Franciſcus *SCHMIER* Univerſitatis Salisburgenſis Rector in ſua *Jurisprudentia Publica Univerſali.*

De Republica Platonis &c.

Them. XXVII. Omnes hi labores utut egregii, plurimum tamen incerti habent; & magnam reipublicæ noxam inferre poſſunt, niſi adſit cautela.

1. *In-*

1\. *Incerta* habent propterea, quia quilibet horum Doctorum deſcribit talem rempublicam, qualis *ipſimet* optima videtur. Hominum autem diverſa in his rebus particulatim conſideratis ſententia eſt, nunquam, dum orbis ſtabit, in unum conſpiratura. Unde factum ut alius in ſua deſcriptione probaret, quod alius abjecerat. Unde fit rurſus, ut, niſi multum tibi prudentiæ atque legitimi uſus adſit, ex talibus libris pluribus vix ſolidi quidquam pro temet elicias; quoque plures legeris, eo fies rerum tuarum incertior.

2\. *Noxam* etiam afferre poſſunt reipublicæ. Nam ſi juvenes hæc legunt, quorum avidum eſt novitatis ingenium, deprehendunt neceſſario quædam illic, quæ laudantur, quæ tamen in ſua civitate non inveniunt; quædam vero, quæ vituperantur, quæ in civitate ſua reperiuntur. In paucis enim conveniunt omnes de Republica ſcriptores: Item nulla eſt in orbe civitas ſeu populus, qui plane conveniat cum republica Platonis, nec cum illa Ciceronis, D. Thomæ, Bodini, Mori, Schmicrii &c. ut adeo neceſſario, quo plura leges, hoc plura invenias à tua civitate diſcrepantia. Jam vero qui tanta videt laudari, quæ ſuæ civitati deſunt, tanta vituperari, quæ adſunt, facile inclinatur ad novandi ſtudium: præcipue ſi juvenis ſit & ex ore doctorum audiat in ſuam civitatem cum ſalibus ſæpe ſpargi docta convitia. Ex quo naſcitur primo contemptus præſentis ſtatus, deinde odium, denique cupido abiiciendi, mutandique: cumque hoc animo deinde ad rempublicam gerendam accedunt. Initium autem malorum civilium eſt, odiſſe ſtatum ſuum; extremum vero malorum, eundem mutare, niſi ſumma prorſus circumſpectione & cauſſis maximis ac neceſſariis fiat. Quamobrem Plato inter omnes Lycurgi tantopere laudatas leges hanc ſolam agnovit optimam eſſe, ne *juvenibus* liceret de legibus patriis diſceptare, etiamſi deprehenderint emendatione dignas. Hinc nulla reſpublica permiſit, ut Status ſuus mutaretur, & induceretur forma Platonis vel alia ſimilis privati hominis & exteri præcipue; quamvis agnoſcerent pulcram eſſe formam reipublicæ à Platone vel alio excogitatam. Vid. Cap. III. & Cap. IV. Th. I.

Cautela circa libros Juris Univerſalis.

3\. *Cautela* ergo adhibenda hæc eſſet, 1. Ut ejusmodi libri, ſiquid novationis contineant, provinciis eijciantur. 2. Alii libri, novationis etiam non ſuſpecti, prælegantur juventuti jam confirmatæ in notitia & amore ſui Status. 3. Idque non perfunctorie, neque à quovis juvene pædagogo, ſed ab hominibus reipublicæ præſentis peritis. 4. Ut juventus non committatur in ſtatu reipublicæ inſtituenda talibus doctoribus, qui ſtatui præſenti infenſi ſunt.

Juris Publici partes.

Them. XXVIII. Jus Civile Publicum maxime opportune in plura velut membra diſtinguitur, propterea, ut tum diverſa objecta, tum diverſa officia accuratius perdiſci poſſint: niſi quod in his nimia ſæpe ſubtilitas hebetius ferme jus facit.

Sic habemus Statutorum & commentariorum vim de Jure *Criminali*, *Foreſtali*, *Camerali*, *Mercantillæ*, *Militari*, *Majeſtatico &c.* quæ omnia ſunt partes Juris publici.

IV. Communicatio juris.

Them. XXIX. Quartus modus communicandi juris eſt: cum plures civitates in unam majorem vel minorem, arctiorem vel laxiorem complexionem conſentiunt: ſive id fiat communi magiſtratu inſtituto, ſive legibus aut conventionibus ſcriptis, ſive rationabili more ac conſuetudine inter ſe ſervata.

conſtituit Jus Gentium.

1\. Hoc jus congruit Statui *Societatis complexæ*, ac dicitur *JUS GENTIUM* ſpeciale quando de complexione plerarumque gentium, quæ communicant, ſeu civitatum agit. Cum vero agit de paucis aliquot civitatibus, dicitur *SISTEMA Civitatum foederatarum*, v. g. Helvetorum, Batavorum. Imo tota ſère Europa tale jam eſt Syſtema, ſed laxius. *Cap. I. Them. X.*

Deſcriptum à Grotio.

2\. Ejusmodi Jus cum Jure Publico Univerſali commixtum deſcripſit *GROTIUS* in libro de *Jure Belli & Pacis*: Non vero deſcripſit Jus naturæ ſimpliciter, aut primigenium.

Jus Gent. Univerſale

Them. XXX. Jus gentium purum, *UNIVERSALE* omnino, id eſt, à particularibus gentibus abſtrahens, & tantum ea referens, quæ omnes gentes invicem præſtare debent, ſi deſcribere poſſibile eſt, tamen uſum omnino tenuem præſtare poteſt; poteſt etiam creare noxam.

Inutile jam eſt.

1\. *Utilitatis parum* habet. Nam 1. in negotiis, quæ cives privati unius civitatis cum civibus alterius civitatis habent, v. g. cum Hollandi in Japoniam merces exponunt, res decreta eſt, Hollandos & alios, qui in alienam terram privato nomine veniunt, ſe ac res ſuas ſubiicere legibus illius terræ: adeoque privati ſunt ac ſubditi quoad hoc: nec igitur eæ cauſæ deciduntur ex jure gentium, ſed civili illius terræ.

2\. Si gentes etiam de his rebus inter ſe aliquid ſanxerunt lege ſcripta vel conſuetudinaria, ita ut cauſam publicam faciant ex negotio privatorum; tunc ve-

ro ea cauſa decernenda eſt ex illa peculiari harum gentium ſanctione; non ex univerſali aliquo jure gentium, quod raro oſtendi poteſt; minime vero decernetur ex aliquo tali libro, quem homo privatus v. g. Grotius de Jure Gentium ſcripſit; qui decernere nihil poteſt, niſi poteſtate accepta ab utrisque gentibus.

3. Et ſi talis ſcriptor vel maxime putet, ſuam ſententiam foie regulam gentibus, propterea, quod dictamen rationis naturalis, aut omnino divinum juſſum poſitivum pro ſua ſententia habeat; nihilominus neque hoc facit tales libros utiles; quia rationum momenta peodent à mille adjunctis, quæ libro comprehendit adhuc nemo. Deinde quia ipſa divinæ legis poſitivæ applicatio pro emergente eventu, ea fere ſola eſt, quæ in diſceptationem plerumque venit.

4. Inutiles eſſe ad gentium pacem hos libros, clariſſime docet experientia. Ex quo enim tot libri tales prodierunt, quot à ſe primis ſcriptos maxime gloriantur multi D. D. proteſtantes, aliquis fructus ex iis debuiſſet redundare in rem publicam, ſaltem modice major quam ante hac. Talis vero fructus ex ſcriptis juris gentium libris proveniens non poteſt oſtendi: Vid. Cap. IX. Them. IV. &c. & Cap. IV. Them. XXIII. n. 3.

& poteſt nocere. 2. *Noxam* verò tales libri, ſi multi ſunt, aut nova ſpirantes, afferre omnino poſſunt;

1. Quia ingenia, alias ad technas accuta, magis exacuunt, Spiritum privatum ut jus naturæ ſovendo.

2. Quia etiam nil tale cogitantes ſcriptores argumenta ſuppeditant, quibus juſtificari videantur ea, quæ aliàs videbantur, injuriæ, fraudes, fœdifragia, perjuria.

3. Experientia quoque videtur oſtendere, per tot ſcriptiones facilius præſidium parari cuilibet violentiæ. Cum enim tot ſcriptoribus æque parum ac tot gentibus idem poſſit eſſe ſenſus in particularibus, ſcriptorum alteri album, alteri ſi non plane nigrum certe fuſcum placet, & unusquisque ſyllogiſmo vel ratiocinatione opinionem ſuam firmat. Ratiocinatio autem habetur pro ratione; ratio pro cauſa aliquid faciendi; cauſa aliquid faciendi jus dare cenſetur. Unde fit, ut tot in publicum oſtententur Jura ſibi plane adverſantia. Quo igitur plures ſunt qui iſta ſcriptis proponant, hoc major fiet ſententiarum diverſitas & pugna. Quo major erit in his pugna, hoc minor de jure gentium decernendi fiducia. 4. Subtilitate humanæque eruditionis opinione pauci principes, paucæ gentes retentæ ſunt ab inferendis injuriis: pluribus vero id perſuaſit nota alicujus viri probitas, æquitas, virtus, juſtitiæque tenax amor. Vid. Cap. IV. Them. XXIII. n. 3. &c.

V. communicatio juris Divini poſitivi. *Them. XXXI.* Præcipuus modus communicandi juris ſummi eſt per *revelationem divinam.*

Revelationem autem hic dicimus omnem modum, quo DEus homini ſignificat ſe, providentiam ſuam, atque alias proprietates. Hoc autem fit primo univerſaliter in omnes mediis ordinariis per creaturas, earum ordinem, gradus &c. *DEus enim illis manifeſtavit: Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas: Ita ut ſint inexcuſabiles.* Roman. cap. I. ℣. 19. 20. Neque manifeſtavit tantum ſpeculativam ſui agnitionem, ſed & inſtinctum & neceſſitatem parendi: quod qui non faciunt, inexcuſabiles ſunt. Sed de hac manifeſtatione ſeu revelatione naturali intelligendum eſt Thema hujus capitis XXII. Quia per hanc communicatur cum homine Jus Divinum *naturale.*

Secundò fit revelatio DEI non univerſaliter omnibus ſed aliquibus electis, per media quæ naturæ viribus ſuperiora ſunt, & ad finem eiſdem naturæ viribus altiorem. Et de hac ſupernaturali revelatione loquimur in hoc themate.

Hæc revelatio ſpecialis apta eſt ponere hominem in Statum *Supernaturalem* (Them. XIV. Cap. I.) & conſtituit *Jus Divinum*, quod *Poſitivum* dicitur; continetur que *Sacris literis.*

Jura ſubordinantur ſibi invicem. *Them. XXXII.* Quod Capite I. Them. V. XI. &c. de Statuum inter ſe ſubordinatione dictum eſt, dicendum idem eſt de ſubordinatione Jurium.

1. Status enim eſt Ratio certa vitæ: Ratio certa eſt Lex; & Lex eſt Jus: Igitur Status quoad formale eſt ipſum Jus.

2. Igitur Juri naturæ: Themate XXII. ſubordinantur cetera, quæ ſequuntur, quorum neutrum tollit jura naturæ, ſed tantum circumſcribit ac perficit. Omnia autem hæc ſubiiciuntur omnino Juri revelato, per quod ipſum rurſus Jus naturæ non tollitur, ſed vehementius reſtringitur tanquam à ſummo Domino, & immenſum quantum perficitur, ſeu potius elevatur.

Quid ſit Juſtitia. *Them. XXXIII.* Juris exercitium ſeu ejus exercendi conſtans voluntas eſt *JUSTITIA.*

1. Ju-

Legalis ſeu univerſalis

1. *Juſtitia naturalis UNIVERSALIS*, ſeu *legalis* eſt habitus animi diſponens ad *CUIQUE* ſuum tribuendum DEO, ſibi, ceteris. Hæc extendit ſe ad omnes virtutes, quas dirigit ad bonum commune univerſale ſeu finem totius naturæ. Atque hæc eſt proprie illa virtus, quæ ex diſciplina Juris naturæ condiſci debet, ſi utilis dicenda illa diſciplina eſt.

Juſtitia particularis.

2. Juſtitia *PARTICULARIS* eſt illa, quæ proprie ad alium hominem eſt, & jus civile tam publicum quam privatum ſervare docet. Vid. Ariſtot. V. Ethic. cap. II.

CAPUT III.

De Jure Naturæ ſcribendo.

Quid diſciplina Juris naturæ.

Thema I. JUris Naturæ diſciplina eſt practica ſcientia certæ rationis vivendi pro ſtatu naturæ.

Practicam dico, quæ apta eſt & ordinatur ad exſequendum quod ſcitur. *Ad virtutes autem ſcire quidem parum aut nihil prodeſt, cetera vero non parum, ſed omnia, poſſunt. - - Recte igitur dicitur, juſtum fieri agentem juſta, & temperatum etiam temperata. Qui vero hæc non agit, nunquam evaſurus eſt bonus. Verum plerique hæc quidem non agunt: ad ſermones autem confugientes ſeſe philoſophari putant, & Studioſos fore hoc modo: atque perinde ut ægroti faciunt, qui medicos quidem diligenter audiunt, nihil autem eorum agunt, quæ præcipiuntur ab illis. Ut igitur illis corpus non bene ſeſe habebit, ſi ita curantur; ſic nec his animus plane, ſi ita philoſophantur.* Ariſtoteles II. Ethicon Cap. III. Vid. infra Cap. IV. Them. XX.

Scripta pro nullo ſtatu otioſa.

Them. II. Juris Naturæ diſciplina, quæ ſcribitur pro nullo ſtatu exiſtente, otioſa eſt. Quia non eſt practica. *Them. I.* & infrà XII.

Status pure naturalis incircumſcriptus non exiſtit, aut vix contingit, v. g. homini in deſertam inſulam deportato. Igitur Juris Naturæ diſciplina pro tali ſtatu ſcripta eſſet otioſa.

Scripta pro ſtatibus diverſis.

Them. III. Juris naturæ diſciplina poteſt ſcribi pro diverſis ſtatibus humanis, quos Capite I. numeravimus, nempe pro ſociali 1mi 2di 3ti 4ti aut omnino ſupremi generis.

In omnibus his ſtatibus perdurat Status naturæ, non aufertur, ſed tantum circumſcribitur & perficitur (*Them. V. Cap. I.*) Similiter Jus ipſum & Lex naturæ perdurat in omnibus his ſtatibus (*Them. XXXII. Cap. II.*) Ergo cum in ſingulis detur jus naturæ, pro ſingulis etiam ſtatibus poteſt deſcribi diſciplina Juris Naturæ.

J. N. ſcriptum pro uno ſtatu non congruit alteri.

Them. IV. Jus naturæ diſcriptum ut conveniens uni horum Statuum, non mox congruit etiam alteri ſtatui.

1. Nam ſinguli ſtatus pure naturali poſteriores conſiſtunt in hoc, quod jus naturæ circumſcribant vel in paucis vel in multis (*Them. V. Cap. I.*) Quæ circumſcripta ſunt in poſteriore ſtatu, non amplius pertinent ad Jus Naturale hujus ſtatus; quamvis pertinuerint ad ſtatum priorem non circumſcriptum. 2. e. g. In ſtatu pure naturali erat Jus naturæ, ut Frater ſororem connubio duceret. In Statu civili hæc libertas naturalis & hoc jus reſtrictum eſt. Ideo qui ſcribit Jus naturæ pro ſtatu civili non debet docere *ESSE* jus connubii ſorori; ſed *FUISSE*. Vid. infra. *Them. XII.*

Scriptor J. N. profitetur, pro quo ſtatu ſcribat.

Them. V. Qui ſcribit diſciplinam Juris naturæ, debet profiteri, pro quo ſtatu ſcribat.

1. Scriptoris enim officium eſt prodeſſe, non nocere: Nocet, qui lectori occaſionem præbet faciendi aliquid, quod ſtatui quidem alicui convenit, non autem ſuo. Niſi autem prodat ſcriptor, pro quo ſtatu ſcribat jus naturæ, præbet hanc occaſionem: igitur facit contra officium.

2. E. g. Qui ſcriberet Jus naturæ pro Chriſtianis, non ſatisfaceret, ſi is leges Chriſtianas è ſua ſcriptione eliminaret. Quia doceret, eſſe aliquid Juris naturæ in hoc ſtatu, quod non eſt: nempe doceret, in ſtatu Chriſtiano eſſe libertatem à legibus Chriſti, cum nulla ſit.

3. Res exemplo poteſt declarari: Medicus ægroto debet præſcribere medicinam naturalem convenientem ſtatui. v. g. ei, qui actu æger eſt, præſcribit *curativam*: ei, qui convaluit, *confortativam* vel inſtaurativam: ei, qui ſanus eſt, *præſervativam*. Peccaret autem & officio deeſſet, ſi ægro præſervativam, ſano curativam adhiberet.

Juris diſciplina revera idem eſt animis, quod pharmacum corporibus: qui ergo docet, juſtum omne eſſe ægris, quod erat ſanis, fallit, nec eſt bonus Juriſconſultus, ſicut ille non eſt bonus medicinæ conſultus ſeu medicus.

4. Nec debet ab hac noſtra doctrina, quam ſalutarem credimus, abſterrere quemquam illa plauſibilis objectatio: *Jus naturæ eſt jus divinum, ideoque immutabile, & quod ſemel naturaliter juſtum eſt, æternum tale eſt.* Nam Cap. II. Them. IV. & VIII. vidimus jus eſſe *juſtum active & paſſive.* Themate autem XI. vidimus, *Jus eſſentiale* active eſſe in DEO, paſſive in homine. Quæ nemo ratione præditus negabit eſſe vera.

Hoc modo ſumptum jus naturæ *originarium* (Them. XVI. Cap. II.) plane eſt immutabile: nec enim poſſibile eſt DEum non eſſe eſſentialiter originem: hominem non eſſe eſſentialiter ſubordinatum.

Hinc quæ DEo debentur, immutabiliter debentur quoad eſſentiale; mutabiliter autem quoad modum, ſi conſtet de voluntate DEI, Them. XV. & XVI. Cap. I.

Quod autem attinet ad illa, quæ ſunt hominum inter ſeſe, adeoque juris non originarii, ſed participati (Th. XIV. &c. Cap. II.) ea ſunt mutabilia, quemadmodum ipſe homo talis eſt, circa particularia, & eatenus varietati ſunt obnoxia, ut tamen non alienentur à DEO; adeoque ab homine tunc in his nihil mutari poteſt, cum non conſtat de voluntate DEI tanquam Domini Confer. infrà *Them. XIX. n. 3.* & Cap. V. Them. XIII. Aliter Theologi dicunt: DEI voluntas ſemper eſt eadem; ſed ea, quæ vult, non ſunt ſemper eadem.

Thema. VI. Peccat ſcriptor Juris naturæ, qui præcipua officia illius ſtatus naturæ, pro quo ſcribit, omittit; gravius qui ea omittenda eſſe docet.

1. Ut qui ſcriberet pro ſtatu naturali quocunque, & omitteret officia erga DEum tanquam principium & finem ultimum. Aut profiteatur, ſe tantum partem ſcribere, non totum. Alias ſeducit, ſaltem incautum lectorem & juvenem, qui poteſt opinari, ſe toti juri naturæ ſatisfeciſſe, tametſi partem magnam vel maximam neglexerit.

2. Ita Worceſtriæ ille comes juvenis, & Atheus, cum rediiſſet ad cor, confeſſus eſt à Philoſophia ſeu Jure naturæ Hobbeſii ſe ſeductum. Qui Hobbeſius jus naturæ promittens, abſtrahendum dixit ab officiis erga DEum: unde comes primum officia illa omiſit, deinde nihilominus juſtum ſe reputans DEum etiam horribiliter contempſit & blaſphemavit.

Them. VII. Qui ſcribit Jus Naturæ pro moderno ſtatu civili, & abſtrahit à Jure civili Romano, is ſcribit pro populis illis, qui à jure Romano liberi ſunt, quique cives ſuos eodem jure Romano non circumſcripſerunt.

In moderno ſtatu non poteſt abſtrahi à Jure Civili.

Adeoque ſcribit fortaſſe pro Turcis, Sinenſibus, Huronibus &c.

Them. VIII. Scribens jus naturæ pro Turcis & Huronibus non poteſt abſtrahere à Turcarum vel Huronum legibus civilibus ſcriptis aut non ſcriptis: niſi ſiquid leges Huronum à DEO alienarent *Them. XVI. Cap. II.*

In ſtatu Turcarum itidem.

Nam Talis doceret forte non pauca, aſſerens ea Turcis civibus aut Huronibus civibus jamjam libera, quæ revera libera amplius non ſunt eorum ſtatui reſtricto: ſed libera *fuiſſent* ante reſtrictionem. Them. IV. n. 2.

Them. IX. Scribens jus naturæ pro ſtatu civili Turcarum aut Sinenſium, & in medio ſeu liberas relinquens aut abſtrahens leges civiles Sinenſium, is à Sinenſibus non reciperetur, ſed damnaretur, cumque libro ſuo ex Imperio eijceretur: niſi longe graviori tam authoritate quam ratione Sinenſes erroris convinceret.

Them. X. Scribens pro Statu Chriſtiano & liberas ſimiliter dimittens leges Chriſtianas, æque ac multo minus eſt audiendus, multoque magis damnandus; niſi poſſit afferre majorem auctoritatem & meliorem rationem.

In ſtatu Chriſtiano quoque.

Them. XI. Eandem damnationem ſubiret, qui Statum altiorem ſubijceret, inferiori, ut ſtatum religionis ſtatui civili: Statum gentium ſtatui civitatis. *Cap. I. Them. XIX. &c.*

Status altior ſubſit inferiori.

Them. XII. Qui modo edit Jus naturæ pro aliquo ſtatu qui non eſt, nec deinceps erit, is facit imprudenter, periculoſe & noxie.

Pro ſtatu nullo ſcribens.

Imprudenter; quia ædificat in nubibus; niſi faciat aut per modum poëmatis ad honeſtam delectationem; aut per modum formulæ bonæ, idque caute; ut *Morus* & *Fenelonius* fecerunt, & Cicero in Legibus. Imprudenter autem imo impie exſecutus id eſt Homerus, qui ſuo Poëmati, quo Jus naturæ explicat, inſeruit Idololatriam juri naturæ repugnantem: quo nomine etiam à Platone fuit damnatus, & in ſua Republica legi prohibitus.

Facit imprudenter.

Periculoſe facit; quia præbet occaſionem incautis, ut mores in ſtatu naturali non illicitos, licitos etiam putent

& periculoſe.

exer-

exerceantque in ſtatu ſuo moderno. Ex quo rebus publicis ac moribus publicis poteſt creari periculum. Repugnat autem Juri naturæ, periculo tali locum facere. Sic multi juvenes poſſunt ſeduci à Romanenſibus fabulis, tametſi illæ innocentes videantur, & ſtatum tantum naturalem exprimant. Abſtineo à nominandis, ne cui ſaliva forte moveatur. Nitimur in vetitum. Ignoti vero nulla cupido: & utinam eſſent hæ fabulæ ignotæ, per quas Galli fatentur olim corruptos fuiſſe populi ſui mores. Vid. Cap. II. Them. XXVI. & Cap. III. Them. IV.

Noxie faceret, præcipue qui pro ſcholis talia ſcriberet. Quia diſcipulares anni pretioſi ſunt, tanquam fundamentum reliquæ vitæ. Hos autem annos non tantum perderent, ſed inutilibus rebus tanquam pro jure aſſuefierent diſcipuli. Ne quid de aliis morum damnis memorem.

Jus N. inconveniens Europæ, malum eſt.

Them, XIII. Qui Jus naturæ ſcribit ſive pro ſcholis ſive pro populis Europæis tale, quod non convenit Syſtemati juſto Europæ, ſed potius convenit ſtatui extra Europam; is inconſulto facit.

Scribit enim pro iis, qui ipſum ignorant, & forte ſemper ignorabunt. e. g. Si ſcriberem Jus naturæ, quale eſt reſtrictum per ſocietates populorum qui terras incognitas incolunt, aut Gronlandiam novam.

Jus naturæ ſcriptum pro omnibus gentibus non debet negligere legem Chriſti.

Them. XIV. Scribens Jus Naturæ pro ſtatu ſocietatis complexæ *omnium gentium*, non debet negligere, multo minus excludere, omnium minime impugnare Statum omnium Statuum, nempe Eccleſiam Chriſti univerſalem, ſeu Catholicam, omnibus gentibus diſfuſam; ac talem, cui aggregari obligantur omnia regna mundi.

Multi J. N. ſcriptores ſunt periculoſi, noxii.

Them. XV. Hæc, quæ præcedunt themata, non ſine cauſa poſita ſunt: quæ ſi juſta, ut teneo, ſunt, *imprudentem, periculoſam, noxiam* operam locarunt plurimi, qui nunc circumvolant ſcriptores Juris naturæ per ipſos ita dicti. Aut enim in uno aut in altero aut in pluribus, aliquando etiam in omnibus offenderunt.

1. Aliqui ſcripſerunt Jus ſpeculativum tantum, nec exercendum modo ſine generis humani pernicie, quale eſt id, quod bellum omnium in omnes pro fundamento juris agnoſcit ut Hobbius contra Thema I. & II. & XII.

2. Alii deſcripſerunt Jus naturæ indefinitum, nulli ſtatui, qui nunc eſt accommodatum ut Puffendorfius: contra Thema III. &c.

3. Multi præcipuum Naturæ humanæ officium, cultum DEI omiſerunt, aut ab eo abſtrahendum docuerunt, ut primò Puffendorfius, & Wolfius contra Thema VI.

4. Alii profeſſi, ſe ſcripturos jus naturæ pro gentibus, ſcholas erexerunt inter Chriſtianos, & ut placere, ſua opinione, poſſent gentilibus, à quibus non audiuntur, prodiderunt Chriſti cauſam apud Chriſtianos, à quibus ſolis audiuntur: vel ſaltem cauſam Chriſti inferiorem fecerunt momentis illis quibus gentiles utuntur, nempe ratiunculis quibusdam ut Heinecius: contra Thema X. &c.

Hæc loco hoc breviter indicata, alibi exſequimur curatius, productis in medium auctoribus.

Jus naturæ pro hominibus præſcriptum debet ſcrib cum reſtrictionibus.

Them. XVI. Qui volet ſcribere Jus Naturæ ſimpliciter pro omnibus gentibus ſeu hominibus, ea tamen ratione, ut duo poneret: *primo* ea in quibus poteſt reſtringi Jus naturæ ſimpliciter dictum; & *ſecundo* ea etiam in quibus reſtringi non poteſt: Ille deberet propter *primum* caput ponere in ſuo libro omnes fere leges civiles omnium rerum publicarum, quæ ab initio mundi adhuc fuerunt, aut deinceps eſſe poſſunt. Quippe omnes leges civiles non ſunt niſi reſtrictiones & perfectiones legis naturalis.

Hoc autem ab uno homine non, à multis etiam vix fieri poteſt. Et *ſi vel maxime* fieri poſſet, cui bono?

Secundum autem caput, nempe ea, quæ lege civili reſtringi vel declarari non poſſunt, paucis forte paginis abſolveretur; certe ſi ea ſola ponerentur, de quibus non in utramque partem diſputatur. vid. Thema VIII. & XIX.

Igitur reſtat, ut ſcribat jus cum iis modificatioonibus, quæ conveniunt ſtatui illius juventutis aut ordinis, quem inſtruendum ſibi ſumpſit.

Non dentur principia in omni caſu ſingulari infallibilia.

Them. XVII. Ne quidem Principia poni poſſunt, ex quibus pro re nata decerni paſſim aut ſemper in particulari pro una parte poſſit, quid ſit juris naturæ.

Experientia id conſtat. Cum tot JCti, tot Theologi recentioribus temporibus, qui omnes in Jure verſabantur, non plura quam olim decreverint; & multo plures forte contentiones, ac olim, excitaverint. Videatur Cap. V. Them. VI. VIII. XI. XII. XIII.

Non tamen ſunt nulla principia. Sed à veteribus vix recedendum.

Them. XVIII. Nec tamen ſequitur, nulla principia eſſe: Sed non temere recedendum à veteribus uſu longo comprobatis; atque à novandi ſtudio, in practicis certe his diſciplinis quam fieri

poteſt abſtinendum: cumprimis in diſciplina Juris naturæ, qua corrupta aut periculo expoſita corrumpi, periculove exponi mores publicos, & cum his ſalutem generis humani neceſſe eſt.

1. Si enim nulla principia eſſent, nunquam in ulla re fuiſſet aliquid inter homines decretum: cum tamen experientia conſtet, apud omnes gentes pro bonis & virtutibus haberi temperantiam, fortitudinem, juſtitiam, DEI cultum, amorem proximi &c. Hæc ergo inter homines deciſa ſunt: nec potuerunt decidi niſi ex principiis, quæ omnibus hominibus nota ſunt. Vid. *Cap. VIII. Them. IV. &c.*

2. Si omnia, quæ nunc circumferuntur, principia eſſent, nihil decerni potuiſſet, ante quam iſta ab otioſis excogitarentur. Atque *nova principia* apta ſunt ad res deciſas in dubium revocandas. Confer. Cap. II. Them. XXX.

Sed de Principiis Juris naturæ alibi Cap. V. &c.

Them. XIX. Qui autem volet Jus naturæ ſcribere tale, quale ſupereſt, ſi omnes omnium ſtatuum reſtrictiones & modificationes abſtrahantur, ne ille paucis rem tantam abſolvet, ut oſtendo.

1. Paucis inquam aut numero aut mole ſcriptionis, ſed tanto gravioribus.

2. Scribet enim primum Duo illa mandata magna: Diliges Dominum DEum &c. & Proximum ſicut te ipſum. In his duobus reſtrictio nulla habet locum quocumque in populo.

3. Mox autem ut illa particulatim explicantur, digito etiam DEI deſcripta in duabus tantum tabulis, ita ut ex duobus fiant ſolummodo decem, haud lata partitione; tum jam locus eſt reſtrictionibus & exceptionibus. Etenim fas eſt aliquando ſabbatum non in ſanctificationibus ſed in cruentis cædibus peragere: fas per calcatam matrem ſalutis viam urgere: fas hominum ſtrages edere: ſas aliena auferre &c. Has autem modificationes non ipſum jus naturæ purum ſecum fert, ſed ex varietate *ſtatuum* demum apparet. Quomodo enim ſocio auferam ſua, ſi in ſtatu ſociali non ſum? aut quomodo apparebit, rem quam aufero, non eſſe ſocii ſed meam? & ſic porro. Confer. ſupra *Them. V. n. 4.*

4. A DEO ipſo ſcripta naturæ tam pauca præcepta admittunt exceptionem, interpretationem, comparationem: Et Heinecii totus liber mille præceptis refertus, promittit talia, in quæ conſentiendum ſit omnibus gentibus, *quæ non plane obbrutuerint! Vid. Cap. VII. Th. XV. Niſi decipis, eris Heinecci mihi magnus Apollo.*

CAPUT IV.

De Abuſu & Uſu

Juris Naturæ.

CApite priore jam non paucos abuſus expoſuimus. Jam alios perſequemur. Ceterum an corrupuerint jamjam rempublicam Chriſtianam Catholicam in Europa, an intra ſolum corruptionis periculum adhuc ſtetur, viderint Paſtores, & Cuſtodes legum publici, quorum id eſt muneris.

Inquirere! in rationes legum decet ſobrie.

Them. I. Omnes ſapientes legislatores nihil quidem ſine ratione fecerunt: inquirere autem *multum* in rationes legum prohibuerunt, præſertim *juvenibus*, propter defectum judicii magni & experientiæ, quæ ad hoc opus nempe ad judicium ſupra leges publicas ferendum, requiritur.

1. Qui enim inquirit in legis rationem, poteſt incurrere in rationem non unam ſed plures, quas dum ad examen vocat, facit ſe judicem illarum: & per hoc aſſueſcit etiam judicare de legibus iisque ſe ſuperiorem conſtituere, quibus debet eſſe ſubjectus. Confer. Cap. II. Them. XXVI.

Regnum rationis hodie tentatum.

2. Nunc autem videtur *REGNUM RATIONIS* ſic dictæ apertum eſſe à Juris naturæ doctoribus & aliquibus Philoſophis: qui cuicumque de quacunque re, etiam religione, poteſtatem ſaciunt libere judicandi; & quidquid *ſua privata* ratione non comprehendit, reſpuendi, mutandi, reformandi. Authoritatem autem à legibus & à Religione eliminatum eunt Vid. Cap. IX. Them. VII. VIII. &c.

Laxis enſem præbet ſubtrahendi ſe legibus.

Them. II. Laxis, & una ingenio pollentibus aperitur via ſubtrahendi ſeſe facile omnium legum poteſtati, ſaltem, interne, per has novas doctrinas, legem naturæ *ſola ratione* deprehendendam ſuadentes, quod Puffendorffii, Heineccii que libri & alii quaſi perpetuo urgent.

Nam ubi ſemel ratio privata prævalet ſola auctoritati publicæ, facile inveniuntur tot rationes contra obligationem

nem legis, quot pro illa. Illicia ad contraveniendum legi aliunde ſufficiunt. Illicia hæc ergo ratione aliqua ſuffulta pro lege habebuntur, & anteponentur legi; quia lex plerumque *tantum* rationem habet, Illicia vero præſentia pauca, nec ſenſum afficientia. Vid. Cap. XI. Them. XVIII. Cap. IX. Them. IX.

Præcipue ſi à DEO abſtrahendum docet.

Them. III. Quodſi inſuper infirmo animo ſuadeatur, ac forte perſuadeatur, à DEO pro actionibus juſtis ſeu legi ſubjectis nihil præmii propoſitum eſſe, præter ipſum virtutis exercitium; aut ſaltem ratione nullum tale præmium deprehendi poſſe; periculum videtur augeri.

1. Nam infirmus ſic poteſt arguere: Juſte obtemperandum eſt ſoli Rationi: Religio metienda eſt ratione: Religio docet quidem, præmium actionibus juſtis propoſitum eſſe DEUM; ratio vero hoc docere non poteſt, juxta Puffendorffii librum. Igitur rationi obtemperandum eſt, ſepoſita religione ſeu auctoritate. Vid. Cap. X. Them. IX.

2. Quodſi juſtitiæ nihil præmii tribuitur, Juſtitia res eſt vilis & indigna: & eouſque tantum exercenda, quousque coram hominibus valere poteſt.

3. Ratiocinium hoc totum equidem miſerum eſt, ſed talia in animis infirmorum fiunt: ſive infirmitas ſit in intellectu, ſive ea à ſenſuum aut paſſionum perturbatione veniat. Vid. Cap. XI. Them. XVIII. Nefas autem eſt, eum qui juris naturæ diſciplinam tradere promittit, tanquam medicinam animorum, talia dogmata pro fundamento locare, quæ adeo lubrica ſunt ut facile in venenum abeant.

aut ob animæ immortalitate.

Them. IV. Quando animæ immortalitatem non negant quidem, ſed tamen in jure naturæ ab ea abſtrahi bene poſſe aut debere contendunt; totumque jus naturæ intra terminos *hujus vitæ* concludunt; fundamenta ipſa Juris, Juſtitiæ Legum, fidelitatis, Religionisque convellunt.

1. Nam primo redit idem, quod antea poſuimus, ratiocinium: omnia noſtra ratione metienda ſunt: immortalitatem animæ ratio non attingit: igitur quidquid de hac dicitur aut ſcribitur aut creditur, ratione dijudicante ſuſpectum aut falſum eſt: neque ſervit ad regulandas actiones vitæ humanæ.

2. *Secundo.* Ratione non attingitur animæ immortalitas: ergo nec DEI providentia. Si hæc non; ergo nec jus aliquod, neque principium obligationis noſtræ, nec finis eſt DEUS. Aliaque noxia plura; quæ omnium confeſſione facilius ſuccreſcunt quam bona, etiamſi nulla à doctoribus ſemina ſpargantur. Videatur totum Cap. XI. præſert. Th. X. XVII. XVIII. XXI. &c.

Jus Naturæ traditur nimis perfunctorie ab heterodoxis

Them. V. Res tam grandis, ut eſt Jus naturæ & gentium, ſi vel bene traderetur, traditur tamen nimis brevi tempore, in ſcholis certe DD. Heterodoxorum, ubi menſibus aliquot totum opus abſolvitur.

1. Ex hac tamen ſchola egreſſi juvenes magnam ſapientiæ neſcio cujus opinionem ſecumferunt. Quæ poteſt eos reddere temerarios in decernendo de rebus ſummis etiam religionis, & præ ſe ſpernere facere annoſos etiam Theologos & ICtos, tanquam qui Juris naturæ callentes non ſint, cum in tali Academia non fuerint.

copioſiſſime à Catholicis.

2. Noſtro Theologi totos ac plures tractatus edunt multumque tempus inſumunt in iis tradendis, quæ heterodoxi doctores paucis pagellis abſolvunt de *Legibus*; de *Conſcientia*; de *Actibus humanis*; *de Juſtitia & Jure*; *de Reſtitutione*; *de Peccatis*; *de Virtutibus*; *de Præceptis*; *de Contractibus.* Eaque omnia accurate dividunt, demonſtrant, ab objectionibus vindicant: cum DD. Heterodoxi exiliter & nude aſſerendo hæc pleraque doceant. Et tamen hi noſtros ſpernunt? Vid. Cap. XIV.

Catholici ab heterodoxis conſcientiæ moderamen perperam diſcunt.

Them. VI. Videtur eſſe non parvus abuſus, quando Juvenes Catholici vim & moderamen conſcientiæ audiunt ac diſcunt ab heterodoxis; cum illud poſſent plene condiſcere à Catholicis.

1. Quis Catholicus ſeſe committeret parocho, qui Theologiam & Conſcientiæ curam didiciſſet à Lutheranis Quakeris vel Calvinianis? Nunc id faciunt multi noſtri nobiles, qui ſe viros committunt juventutis ſuæ ſpeciebus, quas ab heterodoxis ſcholis domum reportarunt.

Unde fieri poteſt, ut nimia juris hujus naturæ opinione, nec quærant conſilia ſapientum in rebus conſcientiæ, nec audiant. Imo paulatim Saluberrimum Confeſſionis & Pœnitentiæ Sacramentum faſtidiant & ſpernant: ipſi ſibi conſcientiæ omnino moderatores futuri. Ex quo cum barbaries oriri poteſt, cum omnibus tam variis ac pugnantibus hæreſibus ac noxiæ libertati via ampliſſima complanari.

cum contemptu SS Patrum &c.

Them. VII. In DD. heterodoxorum libris de Jure Naturæ, aut in eorum collegiis frequens regnat contemptus priſcorum Eccleſiæ Patrum, & omnium Theologorum, & ICtorum; qui arguuntur Jus naturæ penitus ignoraſſe; cum illud ante Grotium omnino incognitum fuiſſe

fuiſſe perſuadere volunt. Præterea falſe traducitur jam S. Auguſtini acumen; jam S. Hieronymi impetus; S. Chryſoſtomi Rhetorica, S. Thomæ barbaries, aliaque confinguntur & jactantur in Catholicos doctores omnes convitia.

1. Quid mirum ſi juvenis animus ab his redit minus amans religionem ſuam, cum ii tam atro carbone pinguntur, qui nobis doctrinam religioſam tradiderunt & adhuc tradunt? Ex quo quid non poteſt ſequi maiorum?

2. Si quis in Catholica civitate talia effutiret in ſoro aut circulo frequentiore hominum, denuntiaretur. Juvenes autem noſtri ſine impedimento mittuntur, ut ea his in ſcholis ediſcant. Vid. Cap. VII. Them. VII. &c.

In hæreſum monſtris.

Them. VIII. In ipſorum Juris libris, & quando non libris, certe in ſcholis docentur hæreſes.

1. Omnes homines eſſe ſacerdotes; nullum eſſe aut dimidium tantum arbitrium liberum. Nullum dari hominibus meritum apud DEUM: Eccleſiam Chriſti furtim tantum leges ex conventione ſibimet conſtituiſſe, adeoque Chriſtum non eſſe ejus Legislatorem; ex quo ſequitur etiam Synagogam non deſiiſſe; Vid. Cap. XII. Præcepta DEI ſervari non poſſe: Principes eſſe caput Eccleſiæ Chriſti &c.

2. Hæc aliaque docentibus committere juventutem, rogo, eſtne abuſus?

Hi libri ſunt prohibiti.

Them. IX. Iſti libri ſunt à Sancta matre Eccleſia prohibiti *non ſine ratione.* Quos legere ſine venia certe eſt abuſus. Quid ipſos loquentes audire, & magiſtros conducere? aut omnino ſcholis Catholicorum præficere?

Admittunt Poëtas, rejiciunt SS. Patres, & S. Scripturam.

Them. X. Abuſus videtur, quando Jus Naturæ traditur pro juvenibus Chriſtianis, aut ſcribitur pro viris Chriſtianis, maximeque Germanis, ſi in tali Jure admittuntur quidem ſententiæ Poëtarum, excluduntur autem ſententiæ Moyſis, Davidis, Salomonis, Jeremiæ, Pauli, ipſiusque adeo Chriſti.

1. Quaſi vero naturaliter juſta docuiſſet Horatius (Epicuri de grege porcum ipſe ſe vocat) & Ovidius vel ab Ethnicis in exilium miſſus ob violata Jura naturæ: Chriſtus vero cui tot gentes eruditæ ſanguinem & animas fundunt, nihil docuiſſet naturaliter juſtum, aut rationabile!

Objectio S. Scripturæ non admittitur à gentilibus.

2. Neque momentum habet excuſatio illa: nempe Sacram Scripturam non agnoſci ab omnibus gentibus ut *revelatam:* igitur gentibus non eſſe exponendam pro jure naturæ. Vid. Cap. X. Them. IV.

3. Nam oſtendatur aliqua gens, ſenſu communi gaudens, quæ doctrinas morales in S. Scriptura contentas (hæ autem ad Jus Naturæ ſpectant) non agnoſcat naturaliter juſtas: ut quod tibi non vis fieri, alteri &c? Sive igitur agnoſcant inſuper ut revelatas etiam, ſive ut tantum naturales, ſerviunt juri naturæ. Nam *ut revelata* ſerviunt Chriſtianis populis, apud quos revelatio agnita immenſum debet prævalere judicio labili rationis. Ut vero *naturaliter juſta* ſerviunt omnibus hominibus; ſervituræ iisdem etiam tanquam revelatæ, ſi revelatio ipſis prædicaretur, aut quomodocunque ſatis agnoſceretur.

4. Ut adeo injuria fiat Europæis gentibus, quando Jus naturæ ipſis traditur ſine Chriſto, extra quem nullum jus ſolidum, ſtabile, & æternum, ſicut nullam ſalutem agnoſcunt.

Sophiſma reſolvitur.

5. Deinde peccant iſti libri etiam Philoſophice, committuntque ſophisma ſeu falſum ratiocinium. *Chriſti* ajunt, *doctrina eſt revelata: ergo non eſt pro jure natura.* Nam quilibet facile diſtinguet, notiſſima phraſi & vera: Chriſti doctrina eſt Revelata; *Etiam*, concedo; *Tantum*, nego. Vid. Cap. X. totum, præſertim Them. II. III. VI.

Scriptura Patres &c. non excludendi.

Them. XI. Abuſus videtur, quando à comprobando Jure naturæ excluduntur Sancti Eccleſiæ Patres, Theologi atque Juriſconſulti ac Philoſophi Catholici.

1. Quippe ſi docuerunt naturaliter juſta, cur non ſint teſtes idonei ſenſus communis naturæ de juſto; præcipue cum pro teſtibus recipiantur Poëtæ?

2. Si vero non docent naturaliter juſta, quis ergo præter hos docuit aut agnovit naturaliter juſtum, inde à Chriſto uſque ad Grotium? Si tam multi fuerunt doctores, & nullus juſta ſenſit ac docuit, ſequitur omnia ad huc uſque injuſte facta eſſe, & mundum re tam neceſſaria caruiſſe, donec Grotii & Puffendorffii libri ſcriberentur.

3. Deinde ſi tot millia Doctorum in tantis voluminibus non docuerunt naturaliter juſta; unde nobis fidem faciet Puffendorffius aut Heineccius & ceteri, ipſos verum jus naturæ tradere? Nam ſi hactenus incognitum fuit jus naturæ, non habemus exemplar ullum, cum quo conferre ipſorum doctrinam poſſimus & examinare, an ſit juſta? Non S. Scripturam, non Patres, non Theologos &c.

4. Si dicunt, conferri debere cum recta ratione, aut cum ſocialitate, aut cum amore, aut cum ſtudio conſervandi ſeſe. Reſpondebo: Ergo ante Grotium nemo habuit rectam rationem? nemo ſocius fuit? nemo amavit DEUM ac proximum? omnes ſeſe interemerunt?

Dilemma. Aut ergo debent aſſerere, omnes Patres & Catholicos Doctores, ſi ad hæc prædicta conferantur, erråſſe: Aut non erraſſe. Si non errarunt, non ſunt excludendi à Jure naturæ; quia naturaliter juſta docuerunt. Si errarunt Patres & doctores Catholici omnes, multo pejus errarunt iſti; quia quidquid ſani docent iſti, illud omne prope ad verbum millies docuerunt Patres & alii Doctores Catholici, & ſine ulla comparatione melius. Igitur ſi Patres & Doctores Catholici à jure naturæ ſunt excludendi, multo longius inde ablegandus eſt Puffendorffianus aut ſimilis alius liber, qui longe jejunius, longe debilius, adhæc etiam non ſine periculo de naturaliter juſto differit, & falſô. Vid. Cap. VII. Them. VII. &c.

Germaniæ leges ſunt naturaliter juſtæ. *Them. XII.* Abuſus videtur, quando in re publica Germaniæ (quæ pluribus legibus inſtructa eſt, quam ulla in toto orbe reſpublica) publice neceſſaria eſſe docetur aliqua naturalis juſtitia, diverſa ac diſtincta, nec contenta in tot legibus antiquis & minus antiquis:

1. Imprimis enim hoc arguitur tam inſtructa reſpublica, leges eam nondum habere, quæ ſint naturaliter juſtæ.

Dilemma. 2. Quodſi leges noſtræ ſunt naturaliter juſtæ, doceantur illæ, exerceantur illæ, & doctum exercitumque erit jus naturæ.

3. Si leges noſtræ non ſunt naturaliter juſtæ, ne novorum quidem Naturaliſtarum juſtæ ſunt, quæ nihil aliud docent. Et præterea illi Naturaliſtæ pœnas debent inſignes Imperio Germaniæ, qui audeant in patriam ſuam hanc effundere blaſphemiam, ut illum populum qui in toto orbe eſt legibus inſtructiſſimus, naturali juſtitia ante paucos iſtos heri natos caruiſſe criminentur. Vid. Cap. IX. Them. VII. n. 4.

4. Si autem legibus noſtris tam ſacris quam civilibus forte deeſſent adhuc aliqua naturaliter juſta, in illis legibus non comprehenſa, certe ea erunt adeo pauca, ut neque tantos clamores, neque tanta innocentium chartarum detrimenta, neque tantas in rem Catholicam vociferationes, neque omnino vel unam in tota Germania Cathedram commereantur.

5. At enim, ajunt, prodeſt, ſeorſim docere rationes naturales, ob quas juſtæ ſunt leges Civiles. ℟. Non prodeſt, ſed nocet. Quia hoc eſt in dubium vocare vim legum & auctoritatem Legislatorum, quo ſemel in juventutem admiſſo non poteſt non periclitari reſpublica. Vid. Them. I. h. cap. & cap. II. Them. XXVII.

In Germania non ſunt cathedræ pro Tartaris. *Them. XIII.* Abuſus videtur, in Germania tot è cathedris docere velle jus Naturæ exteris & Sinenſibus & Japonibus, quod promittit Heineccius.

Prius quod ante pedes eſt diſpiciamus: Si deinde noſtra placeant Japonibus, bene: Sin: ipſi viderint. Præterquam quod Japonibus iſtorum libri, quippe ignoti, nihil proſint. Et ſi quid Germani annuntiare Japonibus debemus, annuntiemus eis JEſum Chriſtum, ejusque Apoſtolorum ac Eccleſiæ traditiones, non Naturaliſtas novos. Civiles autem eorum leges, niſi ubi Chriſto repugnant, mittamus intactas, quia probabilius ſunt naturaliter juſtæ, & nullo doctore ex iſtorum numero indigent.

* Hæc pauca de Abuſu. De Uſu autem juris naturæ ſimiliter pauca dicenda ſuperſunt.

Quis uſus Juris naturæ heterodoxis. *Them. XIV.* Uſus Juris naturæ, quale à plerisque novis conſarcinatum eſt, optimus eſſet non uſus.

1. Nec deberet pœnitere mundum ac genus humanum, ſi nunquam vel ipſe Grotius ſcripſiſſet, qui tamen multa, ut ferunt, habet meliora iis, qui eum corrigere poſtea ex DD. Proteſtantibus voluerunt. Quæ vero Hobbeſius, Thomaſius, Puffendorffius ſcripſerunt, eorum juſte pœnitere mundum poteſt: id quod tota hac noſtra ſcriptione comprobandum ſumpſimus.

2. Hunc tamen uſum poſſunt præſtare ſapientibus, ut appareat vis juſtitiæ: quia quantumvis odio acti ſæpe tamen non potuere diſſimulare viritatem.

qui nihil aliud intendunt, quam Catholicæ rei everſionem. 3. Odio, inquam, acti. Nam ſi omnia expendimus, nonniſi rei Catholicæ odio has ſcriptiones ſuſcepiſſe videntur; quod quidem de ſe fatetur Puffendorffius in Apologia, & in libello de habitu Religionis. Imo Heineccius quoque & alii, tametſi diſſimulare conentur: vix enim ob alium finem ſolos Catholicos à ſuis libris excludunt, & ignorantes hos ſolos fere calumniantur, quàm ut juventus ab his legendis vel audiendis contemptu, tædioque avertatur, neve ipſorum errores deprehendantur. Hoc autem argumentum à C. P. Schwartz uberius tractatum nolumus iterato tractare.

Heineccii libellus parum utilis.

Them. XV. Heineccii libellus modicum tantum uſum præſtabit.

1. *Primo* demerem ex eo, quidquid habet de Conſcientia & actibus humanis: non tantum quia Catholicus Juvenis non debet hæc ab iſto diſcere, qui tot habet præceptores Catholicos; ſed etiam quia ad neceſſitatem nimium eſt, ad utilitatem parum, quod dicit. Si enim *nuda neceſſitas* ſpectatur, ſufficit docere: Conſcientiam à certis transgreſſionibus puram ſervandam timore DEI, & obſervantia præceptorum: In dubiis, ſcrupuloſis &c. requirenda conſilia: Laxam conſtringendam obtemperando iisdem conſiliis, & noviſſimorum meditatione; Et pauca talia. *Pro perfecta* autem inſtructione nimis parum & lubrice de his dicit Heineccius. Legatur à viro Catholico, qui putabit ſibi hanc ſcientiam eſſe neceſſariam, quilibet ex noſtris Theologis, qui hæc petractant accurate, alii breviter, mediocriter alii, alii ampliſſime.

2. Deinde demerem, quæ de officiis hominis erga DEUM habet. Si enim confero ea cum his quæ Patres de his ſcribunt, illa Heineccii ſunt plane exſucca, & inſipida, præſertim quod nullum DEI verbum in ipſis ſonat: unde autem officia erga DEUM diſcemus melius quam ex ipſo DEO, & à Chriſto, qui utique juvenibus noſtris non eſt ignotus ſicut Tartaris? Quodſi iſta Heineccii confero cum illis, quæ Theologi noſtri de præceptis primæ tabulæ ſcripſerunt, & de virtute Religionis &c. eaque non tantum ex principiis revelatis, ſed etiam naturalibus; rurſus tenuia & exilia ſunt iſta Heineccii.

3. Demerem etiam illius Officia Hominis erga ſe ipſum, ob eorum ariditatem. Rectius iſta diſcuntur ex tractatibus de Virtutibus moralibus, & de Vitiis, & peccatis. Affectuoſius autem & ſapidius vel ex ſolo auctore de Imitatione Chriſti.

4. Adhuc demerem, quæ de contractibus, de rerum Dominio & hujuſmodi conciſe refert. Quid enim hæc ſunt ad illa, quorum pleni ſunt Juriſconſultorum & Theologorum libri?

5. Idem ſtatuerem de multis ceteris. Quæ autem ſunt *Juris gentium* ab ipſo ſic dicti, à Cap. VI. Lib. II. magnam partem poſſent ſervari. Pleraque plene ſunt apud ICtos & Theologos explicata de Legibus, de Conſtitutionibus, de Imperio mero & mixto. Alia Heineccii, etiam in his, Catholicæ Religioni adverſantur: ut dum & ipſe Eccleſiam nonniſi pactitiam & ex hominum phantaſia natam facit &c.

6. Neque poterit graviter id ferre, neque queri Heineccius hæc duo: nempe *primo*, detrahi ſibi, ac ſpoliari jus ſuum Naturæ: quin potius queritur Theologia noſtra atque Jus utrumque, ſibi per iſtos Juris naturæ ſcriptores detrahi atque eripi principia, quibus ſua omnia ſuperſtruxerant. Queritur etiam Juventus & reſpublica Chriſtiana, ex adminiſtratione juris eripi ſibi per hos doctrinam Chriſti ſui, quaſi ex ejus præceptis non poſſet, nec deberet adminiſtrari jus naturæ.

7. Neque poteſt Heineccius queri *ſecundo*, jus ſuum ſic caſtratum non amplius agnitum iri à Sinenſibus & Japonibus, ſi detrahantur ex libro Heineccii ea, quæ ſupra diximus, & in eorum locum ſubſtituantur alia ex Theologis, ICtis, Patribus. Nam ſi Jus Romanum nihil aliud eſt, quam *Jus Naturæ actionibus hominum applicatum*, ut fatetur Heineccius in Præfatione: Si idem dicendum eſt etiam de Theologia morali; ſi deinde Jus naturæ tale eſt, ut ab omnibus gentibus, quæ non obbrutuerint, agnoſci poſſit ac debeat; certe etiam Principia illa, quæ ex Theologia & Juris Prudentia ſubſtituenda diximus, agnoscentur à Sinenſibus, ſi non obbrutuerunt. Quodſi hæc non agnoſcent, vix etiam Heineccii leges recipient. Exiſtimo enim, ſi Sinenſes legibus carerent, parati tamen eſſent aliquas accipere, illas potius accepturos, quibus tum Chriſtiana Eccleſia mirabiliter per orbem propagata eſt; tum etiam illas, quibus Romanum Imperium toto orbe quondam maximum diutiſſime ſalvum ac potens ſtetit, quàm leges iſtas Heineccii.

Jus naturæ maxime neceſſarium eſt Catechiſmus.

Them. XVI. Si quis igitur quærat, qualem Naturæ tractationem exiſtimen *NECESSARIAM OMNIBUS*? Reſpondeo: Nullam eſſe magis neceſſariam *CATECHISMO CATHOLICÆ ECCLESIÆ.*

Sine hac enim doctrina nec in ullo terræ angulo juſtitia ulla reperiri poteſt; & ſiqua alicubi reperta eſt, ea huic catechiſmo plane conformis eſt. Quod vero attinet ad illos articulos, qui *non niſi fide ſupernaturali*, quæ donum eſt gratuitum DEI, poſſunt attingi, etiam hi ipſi articuli Gentibus quibuscunque non tantum poſſunt proponi, ſed debent. An autem iis aſſentiantur, pendet à gratia DEI gratuita, & ipſorum libero conſenſu. Sive autem aſſentiantur, ſive non; reliquos tamen articulos Catechiſmi ad Jus naturæ ſpectantes, inficiari non poterunt, *niſi plane obbrutuerunt*: id quod de hoc Catechiſmo

longe

lònge fortiori jure dicimus, quam de ſuo libro Heineccius.

Jus naturæ explicatius eſt in S. Thomæ.

Them. XVII. Siquis quærit Jus naturæ non tantum ſimpliciter neceſſarium, ſed *explicatius*, ita ut multæ etiam dubitationes circa hæc occurrentes expediantur, is legat Catechiſmum Domini Auguſtini *HUNNÆI* Doctoris Lovanienſis an. 1566. à facultate Theologica approbatum, & Summæ S. Thomæ ſubnecti ſolitum. Hic enim reperiet indicata loca Summæ Thomeæ, in quibus locis ſingula capita hujus doctrinæ amplius excutiuntur.

1. Atque ſive juvenis ſive vir hic inveniet plurima, quæ eum tuto dirigere poſſint; quia fundata tum in ratione naturali, quam ſingulariter excoluit S. Thomas, tum etiam in doctrina Chriſti, Apoſtolorum, & Doctorum Chriſtianorum; qualia fruſtra in omnium Proteſtantium Naturaliſtarum libris requiſiveris.

2. Cui hæc non ſufficiunt ille tam commentaria ſapientiſſimorum hominum in D. Thomam adeat; quam Jurisconſultos.

3. Neque albos quisplam dentes nobis oſtendat, cum Catechiſmum viris nobilibus pro jure naturæ diſcendo offerimus. Jure enim naturæ imbutos eos volumus non ad hoc modo, ut in hac tantum vita beati ſint, ſed ut ad veram beatitatem pertingant. Quid enim prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Multi in illo rerum articulo peroptabunt præ Puffendorffio legiſſe Catechiſmum.

Jus naturæ ſecundum diſciplinam Chriſtianorum

4. *LEIBNITIUS*, quo non facile doctiorem Germania tum habuit, in præfatione ad Codicem Juris Gentium diplomaticum, prodit: „A viris doctis „ recte inter deſiderata relatum eſt „ *JUS NATURÆ ET GENTIUM TRADITUM SECUNDUM DISCIPLINAM* „ *CHRISTIANORUM*, id eſt „ (ex Chriſti documentis) τὰ ἀνώτερα „ *SUBLIMIA, DIVINA SAPIENTUM.* Equidem de Jure naturæ ſecundum diſciplinam Chriſtianorum inter deſiderata numerato fallitur Leibnitius; quippe Theologi noſtri millies illud copioſiſſime tradiderunt. De Jure quoque Gentium ampliſſime quamplures tractarunt, quamquam forte pauci ſeorſim. Inter Heterodoxos tantum hæc deſiderantur, non inter noſtros. Tale autem Jus naturæ ac gentium ſecundum diſciplinam Chriſtianorum divina ſapientium utique non ſpeculandi

practice ſervandum.

ſolum cauſa ſcribendum eſt: imo tale ab omnibus Chriſtianis reipſa obſervandum, quippe degentibus in ſtatu non jam puræ naturæ, ſed adventitio, reſtricto, modificato, ac perfecto. Vid. Cap. X. Them: XII.

Jus publicum Univerſale Grotii

Them. XVIII. Ad Jus publicum univerſale multa utiliter congeſſit Grotius. Non poteſt tamen à quolibet inoffenſo pede decurri.

1. Id tum Catholici multi hactenus demonſtrarunt, tum heterodoxi. Vid. Cap. XV.

deterius illo P. Franciſci Schmier.

2. Suaſerim Magnifici P. Franciſci *SCHMIER* Jus Publicum univerſale; cui fidere ſine periculo poſſis, viro in omni jure ſacro & profano verſatiſſimo, atque elegantiſſime docto.

Jus Gentium univerſale

Them. XIX. Jus gentium univerſale obtinebitur ex hiſtoria pragmatica omnium gentium.

in exhauſtum.

1. Quoniam vero vix eſt, qui cum omnibus gentibus rem habeat, laborem inutilem ſuſciperet, qui huic ſeſe negotio nunquam exhauriendo traderet.

Juvenculi ſemeſtri abſolvunt.

2. Quocirca ſubit ridere unaque miſerari, quoties intelligo, juvenes ex academia reduces laudari tanquam jura naturæ ac gentium pulcre doctos, per anni videlicet dimidium, idque præter tria aut quatuor alius argumenti collegia: cum redeant utriusque hujus juris quolibet ovo nudiores; niſi quod una alterave plumula hæreticæ opinionis, aut temeritate leges omnes judicandi ſpernendique revertantur audaces.

Uſus Juris naturæ eſt ſitus in virtute non doctrina.

Them. XX. Uſum præbet Jus naturæ ac Gentium non tunc, cum multa ſubtilitate acuitur mens, ſed cum animus juſti & æqui amore firmatur, & experientia cautus agnoſcit, felicitatem hujus vitæ eſſe, quaſi non ſit.

1. Videmus enim homines acutos multaque doctos reipublicæ gerendæ minus idoneos. Grotius infelix legatus fuit, & infelicior civis. Vid Cap. III. Them. I.

2. Admirabilis eſt pro hoc argumento Peroratio illa, qua Ariſtoteles ſuum caput Ethicum concludit. Quæ quia prolixior eſt, non illam, ſed argumentum ſaltem ejus exſcribo, quale Cardinalis Aguirre in ſuo commentario contraxit: Dividit vero caput in ſex partes: In prima monet, non ſatis eſſe homini addiſcere, quæ hiſce libris tradita ſunt, niſi & probus fieri ſtudeat. In ſecunda docet, hominem probum fieri per conſuetudinem bonam. In tertia obſervat, bonam conſuetudinem effici per inſtitutionem legis. In quarta tradit, neceſſariam eſſe legem homini, ut

probus fiat. In quinta, oportere hominem idoneum fieri ad leges condendas. In ſexta præſcribitur modus, quo homo ad id ſe efficere poſſit idoneum. Profecto qui rem tantam ſex menſibus didicerit, tertius mihi de cælo Cato ceciderit, præcipue ſi juvenis ſit: cum Ariſtoteles, expertus utique regum magiſter, juvenes omnino ineptos judicet ad ſcientiam juſti honeſtique diſcendam, niſi jam prius pie educati ſint & affectuum ſuorum victores.

Ad Jus gentium libri peculiares

Them. XXI. Sunt etiam libri ad jura gentium diſcenda peculiares quidam: tum potiſſimum ſcrutandi, cum res monet; quia tenere omnia mente paucorum eſt.

1. Sic ſcribunt aliqui non inepte de bello, alii de pace, de legationibus alii, alii de navigatione, mercatu, repreſſaliis, æquilibrio &c.

pleni fallaciis

2. In his tamen non pauca ad gratiam, multa ad ſpeciem dicta reperiuntur: multa dicenda diſſimulantur, falſa afferuntur, vera ignorantur, recta detorquentur, fucantur inquinata.

unde difficile diſtus

3. Ex his igitur æque facile injuriam ac jus didiceris gentium, niſi cum magna ſolertia multam experientiam, grave judicium, & invictum attuleris juſtitiæ amorem.

Auctoritas Principum quid hic valeat.

4. Huic diſcrimini eo magis objiceris, ſi auctoritati omni renuntiaveris ſuperiori, præterquam ſolorum Principum; quod ſuadent multi novi adulatores, invita ſaoe ratione. Namque Principes, cum de jure gentium agitur, plerumque ipſi ſunt partes contentioſæ. Si igitur ex horum ſolorum auctoritate indagabis jus gentium, nunquam ad idem aliquid pervenies, ſed ſemper jus gentium hac via à te inventum ſecum pugnabit, ſicut ipſi inter ſe principes pugnant.

Ante Civile non eſt diſcendum Jus naturæ ex heterodoxo libello.

Them. XXII. Juvenes non eſt neceſſe ante Jus Civile ſeorſim audire Jus naturæ ex aliquo eorum libellorum, qui circumferuntur.

1. Nam quid qualeve ſit Jus naturæ omnes ſtringens, ſtatim in principio explicant omnes Juris Civilis interpretes.

3. Deinde, quæ ſint ſingulorum obligationes præcipuæ naturales ad DEUM, ad ſeſe, ad alios, debuere diſcere ex Catechiſmo.

3. Jura autem naturalia ut congruant *Civitati*, ſive ut ea in moderno ſtatu exercenda ſunt circumſcripta legibus poſitivis, conſiſtunt in ipſo jure civili, neque adeo ante jus civile diſcenda ſunt. Ex ipſius enim Heineccii ſententia *JUS CIVILE ROMANUM EST IPSUM JUS NATURÆ actionibus hominum applicatum.* Utquid ergo primum hoc jus diſcant ex Heineccio, ſi id multo melius eſt in ipſo jure Romano? perturbat ingenia nondum firma diſcolor hoc ſtudium.

Quia jus Romanum eſt ipſum Jus Naturæ.

4. Quodſi jam contendat quis, Jus naturæ *purum* condiſcendum eſſe ante jus civile; id quoque pernego. Illud enim purum jus difficiliores habet diſceptationes quam jus civile, & in quibus errorem committere aut imbibere majoris eſt momenti ac noxæ. Non ergo huic difficultati objicienda eſt juventus tenera, non objicienda diſcrimini mens cerea in vitium flecti, & teſta nova odorem adulterinum diu ſervatura.

& Jus naturæ purum eſt difficilius jure civili.

Ariſtotelis ſententia.

5. Ariſtoteles melior Heineccio magiſter meliora conſulit. *Juvenis*, inquit I. Ethicor. Cap. III. *Civilis diſciplinæ non eſt idoneus auditor: eſt enim rudis actuum vitæ. Ex his autem & de his IPSÆ RATIONES efficiuntur. Præterea cum perturbationes ſequantur, incaſſum, & ſine fructu audiet: quippe cum finis non COGNITIO ſit, ſed ACTIO. Intereſt autem nihil, juvenis ſit ætate an moribus juveni ſimilis. Non enim defectus eſt ob tempus, ſed quia vivit & perſequitur ſingula cum perturbatione. Iis autem, qui ſuas rationi ſubjiciunt appetitiones cum rationeque agunt, magnam afferre poteſt utilitatem.* Ubi Ariſtoteles per *doctrinam civilem* nihil aliud intelligit, quam *Moralem Doctrinam* totius vitæ humanæ & omnium agendorum, quod eſt ipſum jus naturæ, à cujus auditione Philoſophus juvenes arcet, ſeu moribus juvenes ſint ſeu annis. Et Cap. IV. ait: *Bene inſtitutum moribus eſſe opportet, qui de honeſtis & juſtis & omni civili ratione eſt ſufficienter auditurus.* Ex quo ſequitur, de Ariſtotelis conſilio juvenibus non eſſe ante Jus civile explicandum aliquod miſerum ex heterodoxis juris naturæ compendium; quia juvenes ſunt rudes actuum vitæ. Igitur prius debent actuum vitæ notitiam acquirere, quam ſtudeant juri naturæ. Actuum autem vitæ notitiam acquirunt per juris civilis doctrinam.

Jus Gentium indiget apparatu.

Them. XXIII. Ad Jus Gentium aliquo modo intelligendum opus eſt aliquo apparatu, quem in medio tempore dum per annos duos Juri Civili operam dant, extraordinaria ſolertia ſibi poterunt comparare, ſi volunt homines uti-

les eſſe, nec vanitatis ſolum cauſa Academias pertranſiſſe.

1. Is autem apparatus eſt 1. Geographia. 2. Hiſtoriæ univerſalis quædam idea. 3. Idea ſaltem mediocris Revolutionum ſeu mutationum, quas terræ, populi, ſeu regna ſubierunt; illa ſaltem quæ huic juventuti ſcitu ſunt, propiora e. g. pro Germana juventute Revolutiones Germanorum, Gallorum, Francorum, Gothorum Longobardorum, Bojorum, Saxonum.

Poſt jus civile diſcendum.

2. Sic inſtructis facile erit condiſcere ſaltem multa ac præcipua capita Juris gentium; nec tam ſæpe hærebunt, quam ſæpe debebunt hærere, ſi Jus gentium ante hiſtoriam & Jus Civile diſcent, ubi vel nomina multa non intelligent ſine Jure civili & hiſtoria.

Jus Gentium abſtractum vanum eſt.

3. Nemo contendat, Jus gentium tradi poſſe abſtrahendo ab omnibus gentibus peculiaribus. Quippe vanum id eſt, ut ſi quis te gladiatoriam doceret absque omni figura brachii, aut pedis. Jura gentium non in nubibus, nec in abſtractis ideis ſed in ipſarum gentium moribus ſita ſunt.

4. Quomodo enim oſtendes, juſtum videri omnibus gentibus, legationes recipere, niſi ſaltem per commodam enumerationem tibi conſtet de ſingulis, ut Germanis novis & antiquis Romanis, Græcis, Barbaris? Et quomodo oſtendes Legationes eſſe juris naturæ, niſi ex ſenſu communi? Nam rationem, quæ gentibus hunc ſenſum indiderit, ipſam invenire fortaſſe difficile privato: cum alius aliud in legationibus ſpectare poſſit, ſicut in ceteris. Vid. Cap. II. Them. XXX.

CAPUT V.

De Principio Juris aut Legis Naturæ.

Capitalis lex naturæ quæ:

Them. I. LEx naturæ ſeu effatum illius, qui naturæ Legislator eſt, hoc eſt: *Diliges DEum ſuper omnia: Proximum ſicut teipſum, utrumque propter DEum.*

1. Chriſtiano nemini licet de hoc dubitare, poſtquam ipſe DEus nos hoc docuit, & Chriſtus in his univerſam legem pendere edixit: Nec ulla ratio adduci contra valet:

2. Japanes autem in his cathedris non inſtruimus neque Tartaros. Sed ne pro his quidem neque ab his excogitari alia lex naturæ poteſt.

Principium Juris naturæ aliud.

Them. II. Principium Juris ſeu Legis Naturæ duplex conſiderari poteſt: *Conſtitutivum* & *Indicativum.*

Conſtitutivum Ratio DEI.

1. Primo *PRINCIPIUM CONSTITUTIVUM* eſt illud ens, à quo lex procedit ſeu fertur. Hocque Principium eſt *DEUS* ſive *voluntas DEI, aut RATIO DEI.*

2. Fieri enim nequit ut natura ab alio creetur, & mox à creatoris poteſtate aliena ab alio legem accipiat. Is qui eſſentialiter eſt auctor, eſt eſſentialiter dominus: Eſſentialiter Dominus eſſentialiter jubet, ac legem fert. Vid. Cap. VI. Them. IV. & Cap. II. Them. XIII.

Quod Chriſtus clare docuit.

Them. III. Miſerabilis eſt, qui cum habeat manifeſtum indicem hujus principii, Chriſtum, hoc neglecto aliunde illud quærit.

Heineccius in Præfatione, & Lib. I. §. 61. gloriatur ſe in hanc ſententiam de DEI voluntate incidiſſe, quam defenderit *Coccejus* anteceſſor Hallenſis. Tandem! Quæ infelicitas hominis Chriſtiani, qui cum habeat clarum evangelium, tam neceſſariam doctrinam in eo non invenit, ſed demum ex lacunis Coccei expiſcatur.

Diſcrimen conſtitutivi & indicativi perperam neglectum.

Them. IV. Qui diſcrimen inter principium conſtitutivum & indicativum non fecerunt, incerta ac deſultoria docuerunt.

Puffendorffii liber hic varia turbat, quod alibi docebimus, Cap. XIII. Them. XII.

Principium Indicativum Juris naturæ.

Them. V. PRINCIPIUM INDICATIVUM, ſeu Principium cognoſcendi Juris vel rectius loquendo *MEDIUM deveniendi ad agnitionem obligationis homini naturalis* eſt omne illud quod juvat vel illuſtrat intellectum ad agnoſcendam obligationem ſuam ſeu voluntatem Legiſlatoris.

Sic E. g. in Jure *Civili Romano* principium agnoſcendi illius Romani Juris pro antiquiſſimo ſtatu poſt Numam, fuit mos publicus, ſenatus placita, regum juſſa. Poſtea idem indicium fuere duodecim æneæ tabulæ. Noſtro ævo eſt Codex Juſtinianæus, quo inſpecto agnoſcimus, num hoc aut illud ſit Juris Civilis Romani.

Principium Indicativum J. N. non eſt Unum.

Them. VI. Tale principium Indicativum ſeu promulgativum Juris naturalis non eſt *UNUM* tantum.

1. Quia DEO non poteſt præſcribi, ut uno tantum modo ſignificet voluntatem ſuam.

2. Si unum eſt & obſcurum, quis illud deprehendet, inter tot dictamina homini occurrentia.

3. Si unum eſt, & illud evidens, unde tot dubitationes de Jure Naturæ? Habemus Decalogum manifeſtum: cum tamen ad applicationem venitur, mille modis dubitamus, num hoc num illud ſit voluntatis divinæ: Ergo præter decalogum requiritur aliquid.

4. *Infirmitas voluntatis*, *obſcuritas intellectus* noſtri, *tumultus paſſionum*, *curæ hujus ſeculi* retrahunt nos & impediunt ab audiendo verbo DEI ſive intelligenda ſupremi Domini voluntate. Decet inter tot nebulas non unicum radium luminis ab auctore noſtro emicare.

5. Experientia docet, doctos, ac pios homines ſæpe non deprehendere voluntatem DEI. Quod fieri non poſſet ſi *UNUM* & *EVIDENS* eſſet ſignum voluntatis divinæ. Hinc docti ac pii ſolliciti ſunt ad *plura ſigna* conquirenda, nec ob id vituperio digni habentur.

6. Experientiam præbent Juris naturæ Doctores maxime Heterodoxi, qui in hunc diem *jurgantur* de hoc *UNO EVIDENTE* principio, jurgaturi & deinceps. Ergo *nec hactenus* inventum eſt illud unum, *nec deinceps* forte invenietur. Ergo miſerrima adhuc fuit, & ſemper erit miſera generis humani conditio, re tam neceſſaria ſemper carens: aut potius rei hujus inventio non eſt ita neceſſaria, ut vulgo jactant.

7. Dici nequit, alia viá devenire nos in notitiam ipſius DEI, & rurſus aliâ in notitiam Imperii ac domini divini. At via, qua devenitur in notitiam DEI, non conſiſtit in uno medio ſed multis, nempe in omnibus effectibus, operationibus &c. Igitur etiam via perveniendi in notitiam Imperii divini non conſiſtit in unico medio, ſed in pluribus.

Unum ſignum non ſufficit.

Them. VII. *UNUM* ſignum non poteſt ſufficere generi humano.

1. Quia unum pro omnibus datum debet eſſe generale. Sed de generalis hujus principii *applicatione* infinitæ dubitationes oriuntur. Hæ dubitationes non tolluntur per ipſum generale principium, cum circa illud ipſum naſcantur. Ergo debent tolli per aliquid aliud ſignificativum voluntatis DEI pro caſibus particularibus, cujus indicii adjumento fiat applicatio: ſi nempe generale ſignum & particularia conſpirent.

Objectio.

2. Neque hinc ſequitur proceſſus in infinitum, ut detur ſignum ad ſignum. Experientia ſuffragatur. In Jure civili ſignum unum habemus codicem: ubi de ejus applicatione dubitatur, quid fit? Uſus, Conſenſus interpretum, arbitrium boni viri, ratio temporum locorumque & alia vocatur in conſilium; & ſic demum ſtatuitur de voluntate legislatoris, abſque metu proceſſus in infinitum. Vid. Cap. IX. Th. I.

Signum non debet eſſe omnium primum.

Them. VIII. Neque deveniri debet ad illud ſignum, quod ex pluribus principiis vel ſignis eſt *omnium primum*, ad quod velut fundamentum cetera reducantur. Vid. Cl. P. *SCHWARZ* S. J. Juris Nat. Tit. II. Inſtruct. III. §. I. Quæſt. II. Reſponſ. II. num. 2.

1. Non conſtat, utrum DEus ſignificationes voluntatis ſuæ ita ſibi invicem ſubordinet, ut omnes ceteræ per ſeriem quandam fluant ex *una*.

2. Quodſi etiam conſtare hoc poſſet, nihil intereſt Juris naturæ, devenire ad primum; ſed hæc forte Metaphyſici aut Logici poſſet eſſe cura. Jus naturæ *practicum* eſt, in quo nemo deſiderat prima omnium principia, ceteris omiſſis, adhiberi.

3. Jus naturæ plures tangit rudes quam doctos. Ergo maximæ hominum parti difficultas ſervandi Juris inſuperabilis iniiceretur, ſi neceſſe foret ad primum deveniri: Vid. Them. XII. XIV. &c. infra.

4. Doctiſſimi nondum potuere *ratione* pervenire ad primum, cum de eo adhuc diſſentiant, interque ſe certent. Ergo Juris naturæ nihil attinet. Imo nocet; quia Labyrintho nos horum labor includit.

Sine omni revelatione DEI ad nullum pervenitur J. N. principium.

Them. IX. Illi omnes, qui in Jure naturæ abſtrahere volunt à *quacumque revelatione* DEI, impoſſibile eſt ut vel ad primum vel ad qualecumque indicium voluntatis divinæ perveniant.

Indicium enim voluntatis DEI, & *Revelatio DEI quæcumque*, idem prorſus ſunt. Ergo qui alterutrum excludit, utrumque amittit.

Sed nec ſine revelaitone ormali.

Them. X. Omnes, qui in inquirendo principio indicativo voluntatis DEI plane abſtrahi volunt *à Revelatione* formali, quæ vocatur *& extraordinaria*; ne hi quidem unquam aſcendent ad primum.

1. Percurrat quiſquam omnium gentium hiſtorias; omnes gloriantur ultimo ſeu primo tempore doctrinam Sanctitatis & Juſtitiæ ſe accepiſſe à Diis, vel ab hominibus, qui Deo familiares fuerint,

rint, aut Deorum filii. Qui locus amplior eſt, quam ut hic tractari poſſit vel debeat.

Senſus ergo communis hominum percipit, voluntatem DEI tandem & ultimo non niſi ab ipſo DEO immediate ſignificari.

2. Quis eſt, qui in re dubia non optaret, ſibi immediate à DEO ſignificari voluntatem ſuam? Hinc ad DEUM ſe vertunt, oculos quoque & manus ad ſidera tollunt. Qualibus formulis pleni ſunt etiam poëtarum libri. Et Tertullianus id familiare ſuo tempore gentilibus fuiſſe ſcribit in Libro de *Teſtimonio animæ*. Repugnat igitur appetitui communi generis, revelationem plane excludere ab indagando jure naturæ.

Ad primum deveniri debere eſt contra ſenſum communem. *Them. XI.* Eſt contra ſenſum communem, in actione deliberanda neceſſe eſſe devenire ad principium ſcientificum agendi ceterorum *omnium primum naturale*.

1. Qui in deliberatione ſunt, illos experimur non ſuo tantum dictamini credere, ſed jam hunc jam illum vocare in conſilium. Vixque unquam venit in quæſtionem, quodnam ex propoſitis argumentis ceterorum omnium ſit primum, ex quo cetera deriventur ſcientifice: ſed potius quod ſit optimum, graviſſimumque?

2. Rurſus perraro quæritur, quodnam propoſitorum ſit generaliſſimum & maxime abſtractum à caſu? Imo potius exquiruntur particulariſſima & caſui accommodatiſſima.

3. Ergo ſenſui communi non ſuccurrunt, neque juvant aliquid ad Quæſtiones Juris naturæ ſolvendas, qui tale principium ſtatuere volunt, aut multum laborem ad hoc impendunt.

Et ratio id prohibet. *Them. XII.* Ratio etiam prohibet, tale principium inveniri vel adhiberi, excepta revelatione.

1. In ſcientiis ſpeculativis tale quid neceſſarium eſt, ut concluſiones particulares reducantur ad principium univerſale, v. g. *Eſt vel non eſt:* quia ſcientiæ ſunt univerſalium, & à particularibus abſtractorum. Jus autem omne in actionibus ſitum eſt, quæ *omnes* ſunt contingentes & particulares. Et ſi reducantur, reductio eſt metaphyſica non practica nec Jurisprudentialis. Jurisprudentis enim eſt, regulas, quas etiam habet, generales applicare ad agendum in particulari; non vero peculiare reducere ad univerſale. Hoc poſterius facile eſt, & poſſunt illud maxime otioſi: Illud prius difficile, & non poſſunt niſi experti.

2. Actio moralis non requirit certitudinem Phyſicam, aut demonſtrationem Metaphyſicam, vel Mathematicam; cum eam ne poſſit quidem habere, quippe quæ verſetur in contingentibus: ſed ad agendum ſufficit certitudo moralis, id eſt talis, quâ majorem *nunc* non poſſum habere. Imo ſæpiſſime ne tanta quidem certitudo requiritur. Tot enim ſunt negotia & actiones humanæ levioris etiam momenti, ut homo ille, qui ubique certitudinem maximam aut majorem vellet ſectari, vix non neceſſario ſtupidus fieret; niſi prorſus extraordinario lumine divino adjutus eſſet. Videatur etiam Cap. IX. Them. I.

Them. XIII. Principium indicativum voluntatis divinæ ſeu legis naturæ non debet eſſe *INFALLIBILE* quoad nos, bene autem debet ſaltem aliquid eſſe infallibile quoad ſe. *Signum non debet eſſe infallibile quoad nos.*

1. Quoad ſe debet eſſe infallibile, alias DEUS conditor, & obligator noſter falleret nos; ſicut falleret Imperator proponens legem talem, in cujus verum ſenſum *nunquam* poſſet perveniri. Sicut feſellerunt oracula dæmonum, v. g. *Crœſus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.* Vel *Ajo te Aeacida Romanos vincere poſſe.*

2. Non debet eſſe infallibile quoad nos. Id eſt, nos non debemus eſſe infallibiles in attingendo principio agendi. Experientiâ certa eſt ignorantia noſtra; ergo experientiâ conſtat, DEUM à nobis in eo ſtatu, quo nunc naſcimur, non abſtuliſſe ignorantiam per legem naturæ, perque ejus promulgationem. Si ſignificatio, intellectui noſtro à DEO facta, eſſet *nobis* evidens quoad omne juſtum, auferret ea ſignificatio omnem ignorantiam noſtram. Sic quia evidenter nobis indicatum eſt à natura, *Totum eſſe majus parte ſeorſim*, nulla ignorantia hic locum habet. Vid. Cap. IX. Them. I. & Cap. III. Them. V. n. 4.

Them. XIV. Hæc ſententia, quod plura ſint ſigna voluntatis divinæ, non facit perplexos & irreſolutos: ſed contraria perplexos facere poteſt. *Plura ſigna non faciunt perplexos.*

1. Nemo propterea quod *ultimam* rationem invenire non poſſit, ceſſat ab agendo. Ceſſarent autem multi & deberent ceſſare, ſi exiſtimarent, ultimam eſſe neceſſario inveniendam, quam tamen vident vix inveniri a doctis.

2. Nec agens manet dubius, quale ex pluribus ſignis ſit hic vel ibi adhibendum ad hoc, ut per *rationem ſolam* demonſtretur, hanc vel illam actionem divinæ voluntati eſſe conſentaneam. Vid. P. Schwarz. J. Nat. Tit. II. Inſtruct. III. Quæſt. III. Reſp. II. n. 2. Nam De-

Demonſtratione, niſi morali, non opus eſt. Deinde non eſt *neceſſarium* creaturæ rationali, ut ex *ſola ratione* procedat, *rejecta revelatione*. Denique ſi dubium remanet de uno omnium primo, manet id dubium ſalva juſtitia actionis: modo adſit motivum ſufficiens proximum, non primum; quod proximum niſi adeſſet, ſalva neutiquam eſſet juſtitia actionis. Quodſi vero primum requireretur, nemo unquam in ſua actione poſſet acquieſcere, quia nunquam eſt certus, an primum adhibuerit:

Si unum ac primum requiritur, Genus humanum hactenus eſt miſerum.

Et ſi eſſet obligatio naturalis inveniendi primi, totum genus humanum in hunc diem eſſet miſerrimum, præſertim à tempore, quo DD. Heterodoxi ſcribunt; quia hi illud primum ſemper magis incertum ſuis diſputationibus reddunt.

Sententia de uno ſigno, remota revelatione, eſt periculoſa.

Them. XV. Qui ſtatuunt, actiones juſtas ad unum primum principium *indicativum* reducendas eſſe, remota tamen revelatione, periculoſam humano generi ſententiam dicunt.

1. Cum enim quilibet iſtorum dicit, *unum* eſſe principium, conſentiunt in quæſtione *AN?* & ita obfirmant legentes vel audientes. Deinde cum alius dicit, Principium illud eſſe tale, alius tale, viam faciunt, ut diſcipulus eligat ex his illud quod ſibi commodius eſt, v. g. Conſervationem ſui, vel Socialitatem: modo non eligat Revelationem, quam omnes iſti excludendam ajunt, qui gloriantur, ſe verum jus naturæ docere.

2. Magis autem infirmi ad deſperationem, & per hanc ad noxiam libertatem poſſunt ſeduci. Si enim tot doctores, verum jus naturæ à ſe ſolis inventum gloriantes, nondum invenerunt principium illud evidens, quomodo ego infirmus illud inveniam? Vid. Cap. XI. Them. XVIII. n. 4.

Signum Juris naturæ non debet eſſe *proprium*.

Them. XVI. Principium illud primum & unicum indicativum non debet neceſſario eſſe *Proprium*, id eſt, ſignum indicans voluntatem obligatoriam DEI non debet eſſe plane diverſum

Nec diverſum à ſigno *honeſti* ſeu Ethicæ.

1. A ſigno per quod ſignificatur, actionem eſſe *HONESTAM*, ſive tendere in DEUM tanquam *ſummum bonum*, quod ſignum vulgo aſſignatur Ethicæ? Nam ſignum hoc ipſum indicat voluntatem DEI obligatoriam, ſeu *JUBENTEM* nos *tendere ad ſummum bonum*. Ergo Jus naturæ non habet proprium ſignum diverſum à ſigno Ethicæ.

Nec à ſigno obligationis *civilis*.

2. Non debet hoc ſignum eſſe plane diſtinctum ab illo ſigno, quo nobis indicatur eſſe parendum legi *CIVILI*, quod principium vulgo referunt ad Jurisprudentiam civilem: nam tale diſtinctum principium verum Juris Civilis non datur; ſed verum principium Juris civilis eſt ipſum principium Juris naturalis (Them. XXXIII. Cap. III.)

Nec *Theologica*.

3. Non debet hoc ſignum eſſe diſtinctum neceſſario à principio *THEOLOGIÆ*, ſive per quod nobis innoteſcit revelata DEI voluntas. Quia voluntatis divinæ ſignificatio per ordinariam aut extraordinariam viam differt tantum quoad *modum*: & eadem præcepta naturalia, quæ DEUS revelavit per naturam, revelavit etiam per inſpirationem extraordinariam & miracula. Ergo ad intelligendam naturalem obligationem, ſeu voluntatem DEI non bene requiritur *ſolus modus* ſignificandi *naturalis*, rejecto ſupernaturali. Vid. Cap. X. Them. VIII. n. 4.

quia revelatio eſt perfectius ſignum.

4. Qui volunt Jurisprudentiam Naturalem perfectam tradere, & talem, ex qua genus humanum ſecure dirigatur, illi debent non tantum imperfecta principia ſectari, rejicere perfecta. At principium revelatum, ſive revelatio DEI indicans quid ſit naturaliter juſtum, eſt perfectius: ergo ab eo omitti non debet, qui Chriſtianis præſertim populis jus naturæ perfecte tradere promittit, quo jure ſeſe ac res ſuas publicas dirigant practicè.

Objectio. Niſi J. Naturæ habeat *proprium* principium, ſcientiæ confundentur.

5. Ajunt, niſi Jus naturæ proprium principium habeat, omnes ſcientias confundi, Jus naturæ cum Ethica, Politica, Theologia morali, jure poſitivo &c. ℞. Magnum ſcilicet Generi humano periculum imminebit, ſi ludimagiſtrorum termini non ſatis ſubtiliter definiti ſint.

℞. diſtinctio ſcientiarum peperit confuſionem viæ ſeu Juris naturæ.

Antequam doctores ita inter ſe partirentur ſpeculationum fines, fuitne Jus naturæ cum proprio principio? Imo olim ſolum jus naturæ fuit, & totius Ethicæ, Theologiæ, Politicæ &c. idem fuit principium. Ergo, ut ludis litterariis ſerviatur, conturbanda ſunt jura DEI; & periculoſis abſtractionibus ab illo alienandi ſunt tam fortes ſpiritus quam infirmi; & genus humanum, maximeque Chriſtianus populus auxilio ſuo unico & ſpe firmiſſima, revelatione inquam divina, privandus?

6. Ad extremum, qualecunque principium Juris naturæ *proprium* aliquis doctor deprehendiſſe ſibi videatur, ſi eidem obſtaret ſignificatio DEI per revelationem, eſſet omnino falſum & abjiciendum. Ex quo patet, Hæc Jurisprudentum principia non eſſe prima, ſed regulanda ſecundum regulam altiorem, nempe revelationem. Qui ergo primam & propriam inquirit, debet inqui-

quirere revelationem, *ſi qua poteſt haberi.*

7. Scandalo ſumus gentilibus & barbaris, ſi hic intelligent, apud nos Chriſtianos naturalem juſtitiam agnoſci, qua ſinguli regamur, qua univerſi; ad illam tamen juſtitiam definiendam nihil valere Doctrinam Chriſti noſtri, quæ non pro terris ſed pro ſolo cælo data ſit: quaſi etiam præter legem Chriſti viventes nihilominus æternam ſalutem conſequi poſſint: aut quaſi alius eſſet finis ultimus hominum Chriſtianorum, alius civium Chriſtianorum; ita ut hominibus quidem vivendum ſit ſecundum Chriſtum, civibus autem ſecundum Puſfendorffium, aut alium. Videatur etiam infra *Cap. IX. & Cap. XI. Them. XVIII. num. 4. & Cap. X. Them. IX.*

Signum unicum non eſt *Amor ſui maximus,*

Them. XVII. Principium indicativum Juris naturæ primum & unicum non eſt *amor ſui:* minime vero *amor ſui ſuper omnia.*

Nam ſi hoc eſſet verum, illud ſolum juſtum eſſe, quod ex hoc amore inferimus, non dabitur juſtitia erga DEUM, nec erga homines. Sed ſequetur bellum omnium in omnes.

Neque Socialitas.

Them. XVIII. Neque hoc Principium conſiſtit in *appetitu Socialitatis:* ſive, ut melius interpretemur, in *amore proximi* ſolo.

1. Quia, ſi in officiis ex ſocialitate tantum manantibus conſiſteret juſtitia hominis, hominis totum officium eſſet impletum per ſocietatem: ergo per ſocietatem fieret perfectus, obtineret per eam finem ſuum ultimum, & eſſet beatus: Ergo Beatitudo hominis abſolveretur in hac vita; quod & Puffendorffius docet. Hoc autem repugnat juſtitiæ ac providentiæ DEI; quod alibi demonſtramus, Cap. XI.

2. Hæc ſententia nulla poteſt agnoſcere officia erga DEUM. Id quod jam Leibnitius, etſi Lutheranus, in hac Puſfendorffii ſententia damnavit. Vid. Cap. XIII. Them. XII. & alibi.

3. Ex hoc peccarent illi, qui ſocietatem declinantes vitam eligunt ſolitariam: qui tamen ab omni ævo & populo habiti ſunt ſanctiores & juſtiores.

4. In hac ſententia ſatisfaceret Juſtitiæ is, qui tantum externa ſua ordinaret ad ſocietatem; nam principium ſocialitatis animum internum non ligat. Hoc ipſo vero non poteſt conſtare fides ſocialis, cum nemo ſit ſecurus, num ſocius ſuus, externe ſibi promittens aliqua, interne ſe liberum forte nullisque

promiſſis obligatum ſentiat. Vid. Cap. XI. Them. XVIII. n. 7.

Puffendorffii de ſocialitate miſera turba.

5. Puffendorffius Lib. II. Juris Nat. Cap. III. §. 14. Socialitatis principium deduxit ex aliis tribus conditionibus naturæ humanæ, nempe ex amore ſui ſuper omnia ſeu maximo: ex egeſtate omnimoda: ex propenſione omnium ad nocendum alteri. Quis autem non videt, ex primo ſequi, ut homo ſocietatem omnem præ ſe parvipendat: ex altero rurſus, ut ſocietatem non alterius ſed ſui unius cauſa requirat: ex tertio ut ſocietatem omnem, nocituram utique, potius abhorreat. At hæc nos accurate refellemus Cap. XIII.

6. Tandem §. 15. advertit id ipſum Puffendorffium, amorem ſui ſuper omnia conſtare non poſſe cum ſocietate: quare ait hæc duo ita *temperanda* eſſe, ut ne per illum hæc perturbetur, aut evertatur. Sed unde, à quo, aut ex quo principio fortiore hæc temperanda ſint, altum tacet. Tam ſubito illum ſtatim in limine ita deſtituit ſuum principium, ut coactus fateatur, ſuum principium alio fortiori indigere; illud autem fortius neſcit ipſe. Igitur Socialitas quidem ab eo ſtatuta non eſt principium: & alterum Puffendorffius ignorat. Itaque in eum cadit, quod Heineccius de Anteceſſoribus ſuis dixit; eos jus naturæ *nullis* principiis inædificaſſe. Vid. uberius Cap. XIII.

Signum unicum primum non eſt *eſſentia humana* independenter à DEO.

Them. XVIII. Principium unicum primum indicativum non eſt *eſſentia humana*, præſertim independet & *ante DEI voluntatem* ſpectata, ut vult D. Wolfius Philoſophiæ practicæ Parte I. §. 122. 131. Quamvis longiſſimis de more circumlocutionibus alio loco mitigare quærat.

1. Si enim poteſt concipi aliquod principium *juſti* independenter à DEO, poterit etiam concipi principium boni, pulcri, entis &c.

2. Suam doctrinam Atheis profuturam ſuadet D. Wolfius, quia his demonſtrari poſſit aliqua juſtitia, etiam non demonſtratâ exiſtentia DEI. At vero hoc ipſum aptiſſimum eſt atheos in errore confirmare: quia hoc modo DEI exiſtentia haberi poteſt pro ſuperflua. Contra Atheum potius demonſtrandum eſt, nullam dari juſtitiam, nullam bonitatem, nullam veritatem, quæ non pendeat ab eſſentiali prima juſtitia, eſſentiali bonitate. Hocque medio ſemper uſus eſt Plato. Vid. infra cap. X. Them. II.

3. Contrà Stoici, qui ponebant principium hoc: *Naturam ſequere*, congruens huic Wolffiano, per hoc prin-

cipium ad multa abſurda ſeducti ſunt, ut quod homo ſibi ipſe ſit lex, ipſe finis, ipſa beatitudo, ipſe DEUS, adeo ut ſapientem aliquando etiam DEO meliorem jactare videantur. Vid. Lipſii Manuductio ad Stoicam Philoſophiam, & ejusdem Paradoxa. Tale ſeductionis periculum poteſt etiam ex Wolfiano principio creari aut imbecillis, aut nimium ſubtilibus, aut pravis: tametſi D. Wolffius id non intenderit. Vid. Cap. X. Them. VIII. n. 2. D. Wolffium Cap. XVI. excutiemus accuratius.

Neque *Amor* in genere

Them. XX. Qui *amorem* in genere pro principio ſtatuunt ut Heineccius; aut *Amorem DEI, ſui, ac proximi*, ut Cl. P. *SCHWARZIUS*, ſane quidem ſentiunt, & apicem tangunt. Hi tamen pro principio cognoſcendi legem ponunt ipſam legem. Namque amor hic eſt ipſum effatum jubentis DEI, ſeu ipſa lex (Them. I. hoc Cap.) cum nullum ſit officium hominis, quod non ſit pars aliqua vel obſequium hujus amoris.

cum hic amor ſit ipſa lex præcepta.

1. Quiscumque tamen ſit hic error, non eſt opus illum impugnare, quia eſt mere ſcholaſticus, nec noxias ſequelas, ſi rite applicetur, habet, ſicut habent alia principia præcedentibus Thematibus rejecta.

2. Incidunt autem ſæpe dubitationes, an & quid obſtringat charitas? Ex quo videre eſt, hoc principium, amoris non eſſe tale, quale Auctores exiſtimarunt, nempe *unicum*, *primum*, *evidens*.

3. Deinde hæc quidem lex certa eſt: ſed reſtat quærere *ex quo indicio* agnoſcimus, hanc legem naturæ noſtræ impoſitam eſſe? aut eam hic & nunc obligare?

P. Franc. Schmier tria ſigna Juris Nat.

Them. XXI. Magnificus P. *SCHMIER* vir ſane doctus & Catholicus, & Sereniſſimæ mentis (quæ in indagatore Juris naturæ turbida fugientis plurimi ſunt facienda) tum in Jurisprudentia ſua Canonico-Legali, tum in Jurisprudentia publica Univerſali Diſſertat. præamb. Sect. II. n. 42. luculentiora prodit principia indicativa Juris naturæ.

1. Unum à poſteriori: nempe *DECALOGUM*, ubi omnia præcepta naturaliter juſta ſunt, ſi circumſtantiam Sabbati excipias.

2. Alterum à priori hoc: Juris naturæ eſt, ***quidquid ſimpliciter expedit eſſe licitum aut illicitum ad felicem humana natura ſtatum.***

3. Tertium, unde, quid ad hanc felicitatem expediat, cognoſci valeat, eſt *proprium cujuscumque hominis dictamen, ſi in ſtatum plane indifferentem ſe ponat, & ſe ipſum examinet, quid Auctori Naturæ, de licita vel illicita actione ante omnem caſum particularem quærenti, conſuluiſſet.*

Sufficiunt bonis animis.

4. Has regulas in caſibus obvenientibus nunquam à ſe repertas eſſe fallaces, ait Doctiſſimus Auctor. De tertia tamen id tum demum crediderim, ſi in animam tam illuſtrem inciderint, qualis fuit P. Franciſci. Sunt tamen aliæ animæ carni immerſæ, crudæ, degeneres, refractariæ, quas fortioribus indiciis præſtringi ſæpe eſt neceſſe.

Non carnelibus.

Ciceronis ſigna quinque.

Them. XXII. Cicero Lib. I. de Legibus Cap. V. largior eſt, & bene, in deſignandis juris naturæ cognoſcendi principiis. 1. *Quid ſit homini tributum naturâ:* 2. *quantam vim rerum optimarum mens humana contineat:* 3. *cujus muneris colendi efficiendique cauſa nati & in lucem editi ſimus:* 4. *quæ ſit conjunctio hominum:* 5. *quæ naturalis ſocietas inter ipſos? His enim explicatis fons legum & juris inveniri poteſt.*

Hanc ſententiam partim lubentes amplectimur, uberius deinceps capite ſequenti explanaturi, addituri etiam, quæ libenter amplexus fuiſſet Cicero, ſi homini Ethnico contigiſſet ea quoquam audire.

DEUS ipſe conſtituit plura ſigna.

Them. XXIII. DEUS revera ipſe conſtituit nobis plura ſigna ſeu principia, ſeu media, ex quibus cognoſcere poſſimus ejus voluntatem.

Incaſſum igitur laborem conſummunt, qui unicum idque primum exquirunt. Ita DEUS juſſa ſua naturaliter nobis cognita, iterum eadem etiam ſcripta dedit in lapidibus electo ſuo populo Judæorum: & iterum miſit Chriſtum qui eadem omnino voce viva humana promulgaret: rurſus Evangeliſtas qui ſcriptis codicibus exponerent: Denique conſtituit Eccleſiam invictam, cui dedit ſpiritum ſuum invictum, ut eadem perpetuo, clare, ac palam omni creaturæ denuntiaret.

Them. XXIV. Heterodoxi etiam hoc agnoſcunt. *GUNDLING* Diſcours über das Vernunfft-Recht, Cap. II. §. 1-5. fatetur methodum Juris naturæ docendi ex *particularibus determinatis* aſcendendo ad unum principium eſſe meliorem, & ea ſe uſurum fuiſſe, niſi conſuetudo eum alio rapuiſſet, & reſpectus humanus. Particulares veritates multæ ſunt, & ex his, ſecundum Gundlingium, rite ac melius agnoſcitur lex naturæ, quam ſi poſita generali veritate pro-

procederetur ad particularia. Certe in practicis moralibus aliter fieri non poteſt.

Thesis. XXV. Sacrificate Sacrificium JUSTITIÆ ſperate in Domino.

Lumen rationis ut participatum eſt ſignum Juris naturæ.

Sic juſſit Rex David, Pſalmum 4. cum canens ℣. 6. ſtatim vero *Multi dicunt: QUIS OSTENDIT NOBIS BONA?* ſive unde intelligemus, quid ſit juſtum, quod ſacrificemus DEO? Et reſpondet illis rex: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* S. Thomas hoc explicans ſic habet: *Quaſi diceret* (Pſalmiſta) *Lumen rationis, quod in nobis eſt, in tantum poteſt nobis oſtendere bona, & noſtram voluntatem regulare, in quantum eſt lumen vultus tui, id eſt à vultu tuo derivatum.* I. 2. Qu. XIX. Art. IV. in Cor.

Declaratur.

Thesis. XXVI. Non quodlibet Rationis apparens lumen eſt Recta ratio: ſed illud tantum eſt recta ratio, quod eſt radius communicans inter DEum & hominem ſive quod à DEO proficiſcitur, & homini DEum oſtendit. Quodcumque autem DEum non oſtendit, non eſt lumen vultus DEI.

Unde monet Chriſtus: *Vide ergo, ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint.* Luc. XI. ℣. 35. Unde reijciuntur omnia principia juris naturæ, quæ non ex ſe tendunt ad DEum, ut ſocialitas, conſervatio mera ſui, aliaque ſuprà rejecta. Item quamcunque obviæ ratiunculæ ex proprio cerebro natæ, & ſpiritus privatus, & jus aliquod cerebrinum.

Hinc diſcordans à ratione eſt malum.

Thesis. XXVII. Omnis voluntas diſcordans à ratione ſive recta ſive errante ſemper eſt mala.

Conſcientia nihil aliud eſt, quam applicatio ſcientiæ ad aliquem actum. Scientia autem in Ratione eſt: voluntas ergo diſcordans à ratione errante eſt, contra conſcientiam. Sed omnis talis voluntas eſt mala: dicitur enim ad Romanos. XIV. Omne quod non eſt ex fide (id eſt, quod non perſuaſum mihi eſt tanquam bonum) *peccatum eſt, id eſt, omne quod eſt contra conſcientiam.* Hæc S. Thomas 1. 2. Quæ XIX. Art. V. latius ea ſtabiliens.

Thesis. XXVIII. Quamvis autem aliquando non liceat voluntati diſcordare à ratione etiam errante: ex hoc tamen non ſequitur voluntatem, quæ ita concordat rationi erranti, eſſe bonam ſeu juſtam.

1. Ut *Voluntas occidentium Apoſtolos erat mala: ſed tamen concordabat rationi erranti ipſorum, ſecundum illud Johan. XVI. Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitrētur obſequium ſe præſtare DEO. Ergo voluntas concordans rationi erranti poteſt eſſe mala.*

Hæc rurſus S. Thomas Articulo VI. qui cum paucis fere totum hoc argumentum exhauriat, non debeo Studioſum lectorem fraudare iis quæ ibidem ſequuntur.

Explicatur ex S. Thoma.

2. „Dicendum (ita pergit) quod ſicut præmiſſa quæſtio eadem eſt cum „quæſtione, qua quæritur: *Utrum con„ſcientia erronea liget?* ita iſta quæſtio „eadem eſt cum illa qua quæritur: „*Utrum conſcientia erronea EXCUSET?*

3. „Hæc autem, poſterior quæſtio „dependet ab eo, quod ſupra de Igno„rantia dictum eſt Qu. VI. Art. VIII. „Dictum eſt enim ſupra, quod ignoran„tia quandoque cauſat *involuntarium*, „quandoque autem non.

De Ignorantia antecedente.

4. Eſt enim ignorantia (1 voluntatem *antecedens*, quando voluntas nihil contribuit ad illam ignorantiam; cujus antecedentiæ ſignum hoc eſt, ſi voluntas non ageret, quando ſciretur res aliter. v. g. ſiquis diligentia adhibita neſcit aliquem tranſire per viam, & ita proijcit ſagittam, qua interficit tranſeuntem. Non enim voluiſſet proijcere, ſi ſciviſſet tranſeuntem. Et hæc ignorantia facit eſſe *involuntarium*, ſeu contra voluntatem.

Concomitante.

5. Altera ignorantia eſt *Concomitans*, quando ſic volumus aliquid quod ignoratur, ut vellemus nihilominus, etiamſi ſciretur: e. g. Si quis habens animum occidendi inimicum perluſtrat ſylvas, & forte occurrens inter Fruteta animal conſpicatur, illudque traijcit; cum revera id, quod putabat feram eſſe, ſit ipſe inimicus. Hæc ignorantia non facit actionem *involuntariam*, ſeu contra voluntatem eſſe: Sed *fuit tale homicidium non voluntarium; quia non poteſt eſſe actu volitum, quod ignoratum eſt.*

Conſequente.

6. Tertia ignorantia eſt *Conſequens*, in quantum ipſa ignorantia eſt voluntaria idque dupliciter: uno modo intellectus poſſet aliquid repræſentare voluntati, quod tamen voluntas non admittit ne retrahatur à peccato, vel ut excuſationem putatitiam habeat e. g. cum quis ſcit, Chriſtiani vitam dirigendam ex Decalogo & Evangelio, tamen docet hæc ad directionem vitæ non adhibenda, ne diſpliceat his aut illis. Quæ ignorantia dicitur *affectata*, & eſt plane *voluntaria*. Altero modo ignorantia conſequens eſt, cum aliquis vel ex paſſione vel ex habitu actu non conſiderat, quæ conſiderare poſſet & deberet: at-

quie hæc ignorantia eſt voluntaria ſaltem in cauſa, quia voluntas poſuit habitum impedientem rationis: Aut vero voluntarie omittit media, quibus tolli poſſet ac deberet ignorantia. e. g. cum quis dubitans de propoſito ſuo omittit quærere conſilium: vel cum quis ex negligentia ignorat præcepta generaliter nota.

7. Poſt hæc de ignorantia voluntaria aut involutaria, S. Thomas pergit dicere: „Si igitur Ratio vel conſcientia er-„ret errore voluntario &c. tunc talis er-„ror rationis vel conſcientiæ non excu-„ſat, quin voluntas concordans ratio-„ni vel conſcientiæ ſic erranti ſit mala. „Si autem ſit error, qui cauſet involun-„tarium, tunc talis error rationis vel „conſcientiæ excuſat, ut voluntas „concordans rationi erranti non ſit „mala.

Ratio ergo nec eſt *ſolum* nec *primum* principium indicativum Juris Nat.

Them. XXVIIII. Ratio igitur cum poſſit errare, & non recta eſſe, non eſt *ſolum* indicium Juris naturæ, ſed eidem opus eſt regulis, quas ipſa ratio immediate attingat, & quibus mediantibus attingat voluntatem DEI; utens, iis tanquam ſpeculis aut ſpecillis. V. Cap. IX. Them. VIII.

Atque hæ ſunt demum regulæ quas mox enumerabimus.

Signa ſeu regulæ ſunt.

Them. XXX. Regulæ rationem inſtruentes, ac ſignificantes voluntatem DEI ſunt duplicis generis: *INTERNÆ* & *EXTERNÆ*.

aliæ Internæ.

INTERNÆ SIGNIFICATIONES in ipſa hominis natura ſitæ ſunt. Qua de re *S. ANSELMUS* Monologii Cap. LXVI. vel LXIV. eleganter diſſerit. „*Quia*, inquit, nihil de divina „natura poſſit percipi per ſuam proprie-„tatem, ſed per *aliud*; certum eſt, quia „per illud magis ad ejus cognitionem „accedit, quod illi magis per ſimilitu-„dinem propinquat. --- Sicut ſola eſt „mens rationalis inter omnes creaturas, „quæ ad ejus inveſtigationem aſſurgere „valeat; ita nihilominus eadem eſt, per „quam maxime ipſamet ad ejus inven-„tionem proficere queat. --- Quid igi-„tur apertius quam quia mens rationa-„lis quanto ſtudioſius ad ſe diſcendum „intendit, tanto efficacius ad illius co-„gnitionem aſcendit: & quanto ſeipſam „intueri negligit, tanto ab ejus ſpecu-„latione deſcendit? „ - Videatur & *AGUIRRE* Cardinalis commentarius in hunc locum. Modo ne imiteris Puffendorfium & Wolfium, qui in tota natura humana nihil inveniunt de DEO, ſed alter nudam & inplumem, ut ita dicam, eſſentiam, alter ſtudium vanum commodorum ab hominibus ſolis reportandorum, appetitum docendi, & cetera miſera. Vid. Cap. XIII. & XVI.

Aliæ Externæ.

EXTERNÆ SIGNIFICATIONES ſitæ ſunt quidem extra naturam hominis, eandem tamen afficiunt, ut poſt apparebit.

Quæ externæ ſunt neceſſariæ.

Them. XXXI. Præter interna autem requiruntur etiam principia *externa* ob varias cauſas.

1. Quia homo ad multas veritates ducitur per ſenſus, qui ad exteriora feruntur: ut conſtat experientia.

2. Quia alias à principio & regula Juris naturæ excluderetur *DEUS*, qui eſt extra naturam hominis. Quo tamen excluſo nullam eſſe regulam juſti nullumque juſtum, contra Puffendorfſium ac Wolfium contendimus.

3. S. Paulus Romanorum Cap. I. docet, Gentiles propterea in reprobum ſenſum & in peccata *contra naturam* proruiſſe; quia, cum per viſibilia, adeoque *EXTERNA*, cognoviſſent DEum & DEI ſempiternam virtutem, non ſecuti ſunt *HANC REGULAM*, ſed potius evanuerunt in cogitationibus ſuis, & interioribus abſtractis figmentis, quæ ſibi de ſummo bono confinxerunt.

4. Experimur, multas eſſe veritates clariſſimas in ſe, quas non agnoſcimus, niſi *exterius* admoniti. Item alias æque claras etiam admoniti non perſpicimus, ſed tum demum iis afficimur, cum eædem nobis à quopiam explicantur; ita ut deinde miremur ipſi, hæc tam clara nobis ante admonitionem non incidiſſe. Quod manifeſte probat, quam efficax & ſæpe neceſſaria ſit nobis regula *externa* ad cognoſcendas veritates naturales, præſertim morales.

5. Ex decem hominum partibus novem ſane erunt, qui interrogati, cur hoc, quod agunt, bonum ac juſtum exiſtiment? reſpondebunt primo; quia eſt rationi conſentaneum. Rurſus interrogati, unde hoc ſciant? provocabunt ad ſenſum communem aliorum hominum, ad doctrinam receptam, ad libros, ad leges, ad publicam auctoritatem & traditionem, aut omnino ad auctoritatem unius viri probi & ſapientis. Novem igitur humani generis partes principio Juris naturæ diſcendi privant iſti, qui *externa* principia rejiciunt. Et Puffendorfius Heinecciusque, qui jactant, ſe jus naturæ tradituros, ad quod omnes gentes etiam *adigi* poſſint, & cui refragari nemo, niſi qui *obbrutuerit*, valeat, coacti tamen ſunt mox receptui canere, & populum ſaltem rudiorem, id eſt novem hominum partes relinquere auctoritati externæ. Vid. Cap. IX. Them. IX. n. 7. & alibi & Cap. VII.

Caput

CAPUT VI.

De Principiis Internis Juris Naturæ Indicativis.

Inhæremus antiquis.

NOn eſt animus, nova invenire in moralibus: in quo multi nuper neſcio quid gloriæ quæſiverunt. Semper enim novitas in principiis morum ſuſpecta eſt, quamvis titillet curioſiores, at non meliores. Ergo ea promemus, quæ & ab omni ævo cognita fuere, & nuperis demum ſubtilitatibus altercandi vincendique ſtudiis, prava etiam forte voluntate, prope obtrita fuiſſent.

Siquis erit ſubtiliter doctorum, qui hæc *multa*, quæ damus, voluerit quacumque methodo ad *unum ſolum ac primum* puncti inſtar mathematici reducere, per me licet.

Subtilitas in Jure naturæ facit nebulas.

Hoc tamen illum ut ſpectet & rogo & moneo, uti labore ſuo faciliorem legis agnitionem efficere contendat. Vereor enim, ne multa ſubtilitas rebus juſtis potius offundat nebulas: Et vereor ſane, ne in hac ipſa opella mea plus adhibuerim ſubtilitatis. Quod vero non ſponte mea feci, ſed ægro animo, omiſſurus pleraque, niſi loliis per heterodoxos ſparſis repurgandus hic ager eſſet ante, quam profuturo, quod ſpero, ſemine conſeratur.

Conatur inſtruere Rectam rationem.

Lectori autem conſiderandum relinquo, an is, qui hæc principia à veteribus tradita & à nobis mox tradenda rite poſſidet, dici poſſit *RECTAM RATIONEM habere* ac ſequi, maxime ſi accedant ea, quæ poſtea de *fine* dicentur. Quodſi vero ne hæc quidem *recta ratio* erit, paratus ſum eam à quolibet meliorem monſtraturo avide ediſcere.

I. Signum J. N. internum *Notio veri.*

Them. I. NOTIO VERI, ejusque attingendi cupiditas, quam homo naturaliter habet in ſe, eſt aliqua via *interna* ad legem ſeu jus naturæ ac voluntatem naturalis domini agnoſcendam.

1. Nam veritas noſtro imperio non ſubeſt, ſed immutabilis eſt per nos, unde manifeſtum nobis fit, ſtringi nos inevitabiliter ab eo, qui veritatis eſt auctor & fons, & qui hanc veritati poteſtatem in nos fecit.

2. Idem experimur in cupiditate veri, quam à nobis abdicare non poſſumus, nec aſſentiri falſo, niſi ſaltem ſpecie ac ſimilitudine veri obducto.

3. Unde fraudes, mendacia, perjuria, ſimulationes & id genus agnoſcimus eſſe extra poteſtatem noſtram, ſeu nos hæc patrando ſervituti ab auctore veri conſtitutæ facere contraria, adeoque refractaria, illicita, rebellia.

II Signum internum *Notio Boni.*

Them. II. Altera via ad legem naturæ agnoſcendam *interna* eſt *NOTIO BONI ET APPETITUS* ejus indiſpenſabilis.

1. Non poſſumus velle malum ſeu amare ut malum: ſed ſi contingit nos malum petere, aut fucum boni affingimus, aut malum propter aliquod bonum petimus. Inde manifeſtum nobis fit, finem actionum noſtrarum non eſſe in noſtra poteſtate, ſed ab altiore immutabilique eum nobis fixum eſſe. Agnoſcimus hinc rurſus ſervos nos eſſe huic fini velut glebæ adſcriptitios, cui, ſeu velimus ſeu nolimus, ſerviemus tamen. Melius autem eſſe volentes ſervire: igitur neceſſarium nobis eſſe velle ſervire.

2. Hinc generatim intelligimus vetita nobis omnia, quæ mala eaque vera reputamus. v. g. reſiſtere, cui reſiſti non poteſt, nempe veritati ac bonitati: Contemnere bona: negligere finem noſtrum, ſubſiſtere in ſolis mediis: aliquod bonum deſtruere, niſi propter ultimum ſeu ſummum bonum: & mille alia.

III. Signum *Propenſio ad auxilia* quærenda.

Them. III. Naturalis propenſio ad *AUXILIA* quærenda tum ad deprehendendum verum, tum ad obtinendum bonum ſeu finem. Cui reſpondet iterum naturalis propenſio ad ea auxilia, ſi ipſi obtinuimus, aliis impertienda.

Et impertienda. unde *auctoritas.*

1. Experimur eos, qui incipiunt ratione uti, infinita quærere, quid; qualia, cur ita ſint? Experimur item in dubiis, arduisque rebus ultro nos inhiare conſiliis & opi aliorum, & maxime ſupremi alicujus entis expetendæ: ac viciſſim pronos eſſe ad conſilia opemque aliis præbenda. *Non facile eſt invenire, qui quod ſciat ipſe, non tradat alteri. Ita non ſolum ad diſcendum, propenſi ſumus; verum etiam ad docendum.* Cicero III. de Finib. C. XX.

2. Ex quibus fit manifeſtum, *AUCTORITATEM* eſſe unum ex principiis Juris naturæ, præcipue divinam: ſed & humanam illam, quæ DEO propinquior. Propterea Plato plus tribuit Veterrimis: & omnes majorem fidem habemus morituris; quia illi propiores DEO Principio; hi vero propiores DEO fini ſunt.

3. Hinc vero, ſi priora ſimul attendimus, manifeſtum nobis fit, homines ab invicem juvari poſſe ad obtinendum ſuum finem: quodque ego ab altero petere poſſum, id à me etiam alterum poſſe exigere, ſi neceſſe ſit ad hunc finem. Ex quo multa ſane juris naturæ officia fluunt.

IV. Signum conſcientiæ infirmitatis noſtræ, & poteſtatis alicujus ſummæ.

Thema. IV. Conſcientia infirmitatis ſeu *IMPOTENTIÆ* noſtræ: Et *POTESTATIS* alicujus *SUMMÆ* DEI in nos, & omnia.

1. Non eſt in poteſtate noſtra propria modus corporis, non valetudinis, non ſomni, non animæ vis, non denique tota vita aut mors vel ad unicum momentum: Nec eſt in poteſtate noſtra conſervatio ſpeciei: quis enim conjux poteſt eſſe ſecurus de ſterilitate: aut qui impediet homo, ne meræ maſculæ aut meræ fœminæ proles naſcantur?

2. Hæc igitur nonne eſt manifeſta promulgatio legis divinæ, quæ omnia maxima noſtra atque minima ſummæ poteſtati ſubjecta, ſubordinataque eſſe vult.

3. Omnia hinc in DEum officia, omnis religio, præcepta eſſe intelliguntur: & quidquid huic juri DEI in noſtrum corpus & animam adverſum eſt, vetita agnoſcuntur. Ex hoc quippe intelligimus, intellectum male impendi, ſi non ad DEum quocunque modo quærendum. Nutrimenta niſi ad ſervandos nos DEo illicite ſumi. Dolores patienter ferendos, dum id ad DEum referatur. Necem ſibimet illatam injuriam eſſe DEI. Corporis animæque actiones omnes eſſe abuſus rei alienæ & piacula, ſi fini à DEO conſtituto adverſentur: *DEI enim poſſeſſio ſumus*, inquit Plato. *In ipſo vivimus, movemur & ſumus*, inquit poëta.

4. Ex eodem fluunt omnia fere officia juſtitiæ erga alios homines: in quos nulli hominum competere poteſt imperium, niſi aut immediato DEI juſſu; aut participatione ultronea hominis: aut neceſſitate relationis ad finem ultimum.

5. Rurſus hinc fluunt officia hominis in uſu rerum, quarum tantum adminiſtrator eſt & oeconomus, non dominus.

Nec pro lubidine ſed pro fine aliquo, qui ab ultimo alienus non ſit, poteſt eas conſumere. Ita Spartani mortis ſententiam dixerunt in juvenem, qui ſola petulantia cornicis vivæ oculos effoderat.

V. Signum Diſſimilitudo naturæ humanæ à pecuina.

Them. V. DISSIMILITUDO NATURÆ humanæ à pecuina indicat nobis, multo aliter nobis quam pecudibus vivendum, alium finem, alia media ſpectanda.

Ea autem diſſimilitudo tum in tribus primis Thematibus conſiſtit, tum etiam in his & aliis, quæ Cicero de Legibus elegenter exſequitur, aliique Philoſophi.

Primo in *Imperio animæ* ſeu rationis ſupra multas corporis actiones & appetitus. Contra naturam ergo eſt, animam ſerviliter in his obedire corpori.

Quoad Cognitionem nexûs rerum.

Them. VI. Cognitio ordinis rerum, aſcendendo, ſive *NEXUS CAUSARUM*, quo homo poteſt aliquo modo attingere primam originem & fontem rerum. Unde habet ſenſum intimum ſuæ ab illo dependentiæ; & eſſe ſe ens reſpectivum.

Et relationis ad finem ultimum.

Them. VII. Cognitus nexus rerum, deſcendendo; ſeu finium *RELATIO AD ULTIMUM OMNIUM FINEM:* Unde iterum intimum ſenſum habet homo tendentiæ ad finem; & eſſe ſe ens reſpectivum non abſolutum.

Quoad curam futuri.

Them. VIII. CURA FUTURI, quæ omnibus naturaliter ineſt, etiam qui ſupprimere eam laborant: quæ ſaluberrime indita eſt; quia cogit nos quodammodo ad finem ultimum inquirendum.

Them. IX. Naturale deſiderium ad *BONUM* non qualecunque, ſed *SUMMUM.*

Quid non excogitarunt homines, ut poſſent pervenire ad ſummam ſcientiam ſeu veritatem? Nemo non optat ſummam tranquillitatem, ſummam voluptatem, ſummam beatitatem. Quod *ſummorum* deſiderium nec ipſa præſenti neceſſitate extinguitur, qua in mediis ac inferioribus conſiſtere cogimur.

Quoad deſiderium æternitatis.

Them. X. Hinc ſequitur *DESIDERIUM ÆTERNITATIS*, quod naturaliter ineſt homini.

Quod deſiderium adigit impedimenta removere vitæ etiam à corpore, quod tamen an æternum eſſe poſſit, ratione non ſtatim attingimus. Animam vero multo ardentius cupimus æternam eſſe: unde & impedimenta ejus removere fortius obſtringimur.

Quoad naturalem pudorem.

Them. XI. NATURALIS PUDOR ex male facto, & pœnitentia; contrà *GAUDIUM* quoddam & tranquillitas ex bono. Quod etiam erga alios locum habet: quis enim v. g. homini agnitam veritatem neganti poteſt dicere; recte feciſti, aut illi gratulari ac congaudere? Ceterum virtus & in hoſte probatur. Quæ duo ſunt pars illius animo cognati ſenſus, quem *Conſcientiam* dicimus, quam pro juris naturæ principio manifeſtativo Philoſophi veteres plurimum laudarunt.

Them.

VI. Signum *Æqualitas naturæ* cum aliis hominibus.

Them. XII. *ÆQUALITAS NATURÆ* omnium hominum.

1. Æqualiter naſcimur, & quales naſcimur, tales ſumus. *Nec*, ut Cicero recte loquitur, *alia eſt definitio iſtius hominis, alterius alia, ſed omnium eadem.*

2. Ex hoc autem rurſus officia hominis in hominem intelliguntur. Ita, ſi Thema IV. obtuſis non ſufficit ad hæc officia agnoſcenda, ſubſidio erit hoc Thema XII.

3. Illud autem æque ſervit ſubditis ac Dominis, divitibus & pauperculis. Pauperculis ſolatium eſt & magnum ad juſtitiam incitamentum, cum perſpiciunt, etiam ſine auro & purpura eſſe ſe æquales regibus, modo bene ad bonum *ſummum* tendant. Divitibus criſtæ defluunt, conſiderantibus auro ſe tantum, non autem veris, humanis, ſummiſque bonis eſſe ſuperiores mendicabulo.

4. Regibus præcipue hoc debet poni adverſus injuſtitiam & tyrannidem munimentum. Unde peccant in genus humanum, inque ipſos reges, qui in ſuis de Jure naturæ libris regum poteſtatem prope infinitam faciunt, taliaque dicunt, quaſi jure naturæ repugnaret qui infinitam negaret regum vim. Si ſapiunt & eruditi ſunt qui judicant terrani tales libros tanquam ſibi præ ceteris noxios damnant & exſcindunt.

5. Neque æqualitati huic obeſt, alium perſpicaci eſſe ingenio, alium obtuſo: hunc memoria præſtare, alium prope carere. Hæc enim ſunt quidem præclara inſtrumenta ad finem optimum ſed non præcipua: præcipua autem ſunt diſcretio juſti, & animus pronus ad virtutem & bonum ſummum. Hæc autem æque ineſt rudibus ac doctis; & à rudibus plerumque magis exercetur, exercendoque ab his ſæpius obtinetur ultimus finis. Non multos nobiles, non multos ſapientes, ſed quæ infirma ſunt mundi elegit DEUS.

VII. Signum *Senſus Communis.*

Them. XIII. *SENSUS COMMUNIS* ſive inſtinctus generalis hominum poteſt eſſe manifeſtatio legis naturæ ſeu voluntatis DEI: quando eſt thematibus præcedentibus conformis.

1. Quod enim hominibus per diverſa terrarum ſpatia, per diverſa longeque diſtantia tempora, in diverſiſſimis moribus & circumſtantiis & tentationibus ſemper fuit viſum juſtum ac bonum non ſecundum carnem ſed ſecundum partem nobiliorem, ſecundum cauſam priorem & finem ultimum: illud tuto poteſt teneri.

1. Si totum genus falleretur, falli poſſent & omnes creaturæ cæteræ: ſi & hæ omnes fallunt, impoſſibile eſt agnoſci verum. Ergo nec cauſatum aliquid erit nec cauſa.

VIII. Signum *Inſtinctus ſpecialis.*

Them. XIV. Nec excludendus eſt *INSTINCTUS SPECIALIS.*

Ut enim Summa ratio quibusdam radiis ſe communicavit omnibus hominibus; ſic poteſt aliquibus modo aliquo exquiſitiore ſeſe pandere: quod & experientia conſtat.

2. Sperari autem poſſe inſtinctum ſpecialem, probat ſenſus communis populorum, qui in rebus arduis illuminari à DEO petunt precibus, votis, jejuniis, ſacrificiis, bonis operibus & ſuis & aliorum, ſublatis in cælum animis manibus. Socrati viſus eſt adeſſe inſtinctus ſpecialis, ut mori mallet, quam de DEO doctrinam diſſimulare. Sybillæ aliique etiam Ethnici inſtinctu ſpeciali videntur inſtructi fuiſſe. Miramur in Platone, Seneca & aliis quædam ſpecialia lumina ceteris non communia. Ipſi Apoſtolo extraordinarium viſum illud Poëtæ de DEO: *In ipſo vivimus movemur & ſumus:* Item illa inſcriptio aræ Athenienſis: *Ignoto DEO.*

3. Num autem in caſu particulari inſtinctus talis adſit, examinandum eſt ad alia themata. *Probate ſpiritus, ſi ex DEO ſint* 1. Joan. 4. v. 1. Sed hac de re Theologi noſtri locupletiſſime egerunt.

CAPUT VII.

De Principiis externis indicativis Juris Naturæ. Unde diſci aut non diſci poſſit Jus Naturæ.

Externa indicant nobis officium naturæ.

Them. I. Etiam ſi homo ſua ſponte non cogitaret de jure & obligatione ſua: tamen etiam per ea, quæ extra ipſum ſunt, non permittitur ignorare.

Omnis enim hic rerum tam varius, tam in varietate conſpirans ad unum apparatus ſi ſenſibus humanis, ac per hos intellectui offeratur crebrius, fieri non poteſt, ut non intelligat homo ſubjectio-

jectionem ſuam in rebus plane omnibus: ac præcipue, ſe mundi non eſſe dominum, nec totum genus humanum hoc imperio gaudere, ſed alienum fundum colere. Quæ ſola cogitatio capiſtrum ingens eſt ad retinendos rebelles appetitus, & ingens calcar ad obeundam ſtrenue cum reliquis omnibus creaturis ſervitutem.

ex ordinario rerum curſu. 2. Atque utinam locus pateretur ampliorem hic excurſum. Sed remittimus omnes homines ad frequentem iſtarum rerum contemplationem, & ad libros Sanctorum Patrum aliorumque piorum virorum. S. Auguſtinus belle ait: *Cælum & terra clamant, Domine, ut amem te.* Quod pluribus locis repetit. Legantur ejus *Confeſſiones* juris naturæ verum ſpiritum continentes. Hæcque ſola ſanctiſſimi hominis atque doctiſſimi ſententia potior eſt pro jure naturæ diſcendo & exercendo, omnibus heſternorum Naturaliſtarum libris, ut Puffendorffii, Thomaſii &c. qui contenti DEum ſemel aut bis frigide nominaſſe, deinceps nullam amplius actionem humanam ad DEum referunt, non amorem ſui, non proximi, ſed in hujus vitæ ſolius miſerabili felicitate putide conquieſcunt. Quin & officia erga DEum aut ultima viliora que, aut plane ulla jure naturæ conſtituta negant, & Societati poſt omnia ponunt.

Et eventis Extraordinariis. *Them. II.* Præter ordinarium rerum curſum optimus Pater noſter DEUS *EXTRA ORDINEM* quosdam *EVENTUS* tum ſtatuit, tum admiſit, quibus admoneamur.

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos. 1. Id nobis clamant ea, quæ omnibus temporibus & noſtris etiam contingunt, ſi circumſpicimus. Qualia ubi contingunt, omnibus bonis gaudium naſcitur, fiuntque ad juſtitiam promptiores; malis incutitur timor & ignoratio depellitur.

ut ſunt ſupplicia malorum. 2. Quis non bonus adoravit DEum in ſupplicio etiam poſthumo Cromwelli parricidæ? Abſolon lanceis trajectus, Core igne terraque hiſcente hauſtus, Judæi Solymis incenſis divenditi, magna ſunt juſtitiæ ſervandæ documenta pariter & agnoſcendæ rudimenta.

Ex adverſis rebus. *Them. III. RES ADVERSÆ*, calamitates, magiſtræ nobis ſunt juſtitiæ, & admonent, ut vias noſtras conſiderantes cognoſcamus aliqua noſtra injuſta eſſe, quæ antea videbantur juſta, aut generatim, aut quoad aliqua capita.

Horatium ab Epicuri ſententia dimovit fulmen Lib. I. Carminum ode 34. Claudianus de Providentia DEI addubitans ſtatuminatus eſt pœnâ Ruffini. Alios aliena, alios ſua damna fecere cautos & juſtos. *Ex eventibus inſperatis.*

Them. IV. Non raro cum aliud nobis juſtum Deique voluntati placitum videtur ipſe *RERUM EVENTUS* quamvis ordinarius in contrarium ducit.

Plerumque non voce de cælo, non per prophetam, non per revelationem vel ſomnii vel exceſſus mentis, qui dicitur extaſis, ſed rebus ipſis accidentibus, & ad aliud quam ſtatueremus vocantibus, cogimur, agnoſcere DEI voluntatem eſſe aliam quam erat noſtra, ait S. Auguſtinus Epiſt. LXXX. alias 65. ad Paulinum, quæ tota differit de modis, quibus agnoſcatur voluntas DEI.

Them. V. LEGES CIVILES ſæpe indicare poſſunt jura naturæ, præcipue leges Romanæ. *II. Signum Externum Jus Civile.*

Hæ enim longo uſu populi prudentis conſtitutæ; à multis præterea gentibus bonæ ſanæque habitæ uſuque retentæ, ab Imperatoribus catholicis editæ, propoſitæque; ab Eccleſia catholica in paucis correctæ; ab hodierna tota Europa morum ac juris acutiſſima judice publice receptæ in ſcholas, in fora ſunt. Quod ægerrime aut nunquam fieri poſſet, ſi naturæ adverſarentur. Quomodo enim id fugeret tot cultiſſimas nationes tanto tempore? Chriſtianas? adhæc ſtudiis aliis inter ſe pugnaciſſimas, ut vel ex ſolo omnia carpendi innovandique ſtudio, heu nimis jam adulto, Leges Romanæ injuſtitiæ naturalis accuſarentur, ſiquam eæ continerent.

Them. VI. Accedit his *JUS CANONICUM*, & *SACRA CONCILIA* tum provinciarum tum Generalia. *III. Signum externum I N. Jura Sacra, Canonica.*

Hæc ſine inſigni impudentia & effronti arrogantia non poſſunt reſpui à prærogativa indicii legis naturæ. De his enim non ſolum eadem dici poſſunt, quæ de Lege Civili Romana, ſed multo majora. Conſtituta enim ſunt Jura Canonica primum à Pontificibus maximis poteſtatem ligandi ſolvendique à Chriſto ampliſſimam nactis; quorum permulti vitam pro ea doctrina, quam ſanciverant, inter dira tormenta profuderunt. Comprobata ea fuerunt non à plebibus modo per orbem terrarum ſparſis ſed à ſapientiſſimis ſanctiſſimisque tot antiſtitibus, quorum magna pars regum ac principum filii, fratres parenteſque fuerunt, & alias è ſumma nobilitate. Concilia tot nationum, ubi adverſarii ad diſputandum contra admiſſi ſuccubuerant; hæc aliaque ſi ad indagandam juſtitiam naturalem nihil omni-

omnino conferunt, aut minus quam aliquot heri ſcripti privatorum ac profanorum libelli, actum eſt de omni juris naturæ indicio, & miſerabilis in hunc diem uſque fuit gentis humanæ conditio, re tam neceſſaria adhuc carentis; carentis etiam ſpe accipiendi meliora, ſi ab his juſtum inveniri necdum potuit.

IV. Signum externum SS. Patres. *Them. VII.* Aliud indicium ſunt *SANCTI ECCLESIÆ PATRES*, Irenæus, Cyrillus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius, Iſidorus, Beda, Anſelmus, Rhabanus, Bernardus &c. Illi quoque qui Chriſtianam Doctrinam Gentilibus demonſtrarunt apprime rationabilem, ut Juſtinus, Athenagoras, Origenes, Auguſtinus in Civitate DEI, S. Thomas contra Gentes. Theodoretus de erroribus Græcorum. &c.

1. Hi enim non tantum ea pertractarunt, quæ fide divina tantum credi poſſunt, ſed quæ legis naturæ ſunt, ut virtutes morales & præcepta Decalogi copioſiſſime elucidarunt.

2. Neque id intra meditationem tantum. Nam plerique eorum erant Epiſcopi, ad quos olim non animarum tantum ſed civilia Chriſtianorum negotia deferebantur judicanda, quique ampliſſimis provinciis ac populis, aut toti etiam Chriſtianæ reipublicæ in plurima regna diffuſæ inter graviſſimas tempeſtates maxima laude, fructu & juſtitia præfuerunt, aut qui à principibus populisque oraculorum inſtar habiti ſunt, & ex eorum conſiliis adminiſtratæ res publicæ & maximæ. Cum ex heſternis Juris naturæ aliquot ſcriptoribus nullus fuerit, qui vel pedaneum judicem aliquando egerit. Expertis autem plus quam rudibus concedi ratio jubet.

V. Signum Externum Theol. gi. *Them. VIII. THEOLOGORUM CATHOLICORUM* plurimi, Indices ſunt idonei juris naturæ.

1. Plerique enim aut ſanctitate vitæ emicuerunt; aut totam vitam in his indagandis conſumpſerunt; ingenio præſtantes; voluntate boni; experientia etiam adjuti fuerunt. His enim homines Chriſtiani omnis ordinis arcaniſſima ſua & conſcientiæ intimos receſſus ſemper denudarunt, eorumque conſiliis, decretisque ſteterunt. At quæ foris ſunt, ſæpe jus naturæ diſſimulant, in intima autem conſcientia nemo ſe vel ſibi ipſi diſſimulare poteſt.

2. Putasne jam tales viros Juris naturæ ſaltem micam aliquam ſimul omnes tenere? Negat Heineccius; cui nemo vel equum ſuum claudum curandum crederet, ne dicam animum peccatis ſaucium. Id quod de Luthero olim Eraſmus dixerat.

3. Quid quod permulti Theologorum etiam judiciis publicis præfuerunt, aut populos rexerunt tanquam epiſcopi, aut regibus principibusque regendi vivendique normam tradiderunt?

Them. IX. Idem Indicium præbent *JURIS UTRIUSQUE CONSULTI* homines expertiſſimi non in pulpiti tantum declamatione ſed in judiciis & foris maximis, & oraculorum inſtar habiti. VI. Signum externum Juriscon-ſulti.

1. Certum eſt, heſternos naturaliſtas nihil ſcire, quod non ex his majoribus, quos hactenus numeravimus, didiciſſent. Aut dicant nobis, unde illa de contractibus, legibus, Legationum jure &c. didicerint? à ſe ipſis? an de cœlo cecidere Catones? De his adeo verum eſt, quod nonnemo belle dixit in infideles Naturaliſtas, omnia ſola ſua ratione metientes: *Eos, cum omnia ex ſacra ſcriptura didicerint, indeque deprompſerint, quæ ipſis placent, deinde tamen dicere, ſe hæc ratiocinando inveniſſe.*

2. Fallunt. Quilibet enim ſine omni periculo vel capite certaret, nullam ſyllabam de omnibus Grotii, Puffendorffii, Thamaſii, Gundlingii, Hobbeſii, Heineccii, Wolffii, aliisque id genus libris hodieque apparituram fuiſſe, ſi ea ſola iſti ſcribere debuiſſent, quæ non ab aliis didicerint, ſed per ſemetipſos invenerint.

3. Atræ igitur ingratitudinis rei videntur in præceptores, quibus omnia debent. Nec adeo idonei ad Jura naturæ docendum, quæ ingratitudini tantæ velut fundamento incaſſum ſuperſtruunt.

Them. X. Indices Juris naturæ ſunt etiam *VIRI* alii *PROBI, SAPIENTES*, experti, quamquam literis nihil ipſi commendaverint. Et horum multi inveniuntur meliores illis ſcriptoribus atque de Jure naturæ magis edocti. VII. Signum externum Viri probi ſapientes.

Expromo hic locum S. Thomæ 1. 2. Quæſt. C. Artic. I. *Quædam*, ait, *ſunt in humanis actibusque adeo explicita, quod ſtatim cum modica conſideratione poſſint approbari vel reprobari per illa cõmunia & prima principia. Quædam vero ſunt, ad quorum judicium requiritur multa conſideratio diverſarum circumſtantiarum, quas conſiderare non eſt cujuslibet, ſed ſapientum. . . . Neceſſe eſt, quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, ſed diverſimode. Quædam enim ſunt, quæ ſta-*

tim per ſe ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat eſſe facienda vel non facienda; ſicut, Honora patrem &c. Quædam vero ſunt, quæ ſubtiliori conſideratione à ſapientibus judicantur eſſe obſervanda: & iſta ſic ſunt de lege naturæ, ut tamen indigeant diſciplina, qua minores à ſapientioribus inſtruantur; ſicut illud: Coram cano capite conſurge &c.

VIII. Signum externum *Philoſophi.*

Them. XI. Ad hoc indicium faciunt etiam *PHILOSOPHI* veteres: ſed non ſine circumſpectione.

1. Faciunt inquam propterea, quia revera multa juſta ac bona habent, ut *Plato* in Republica, de Legibus &c. *Cicero* in Philoſophicis, alicubi *Seneca*, *Epictetus*, Legislatores veteres apud *Stobæum*, *Ariſtoteles*.

2. Cum enim iſti in tot gentibus, per diverſa tempora ſparſi *eadem* juſta agnoverint, argumentum eſt, hanc eorum doctrinam à ſumma & uniformi proficiſci.

3. Circumſpecte tamen legendi, quia aliqua contra naturam admittunt, aut abrepti conſuetudine prava, aut ſuperbia, aut contradicendi novitatisque ſtudio, aut divinarúm rerum ignorantia. Ut quod quidam necem ſibimet illatam honeſtam ducerent; quod omnia ad animum, hunc autem ad nihil ultra referendum putarent &c.

IX Signum externum *Poetæ*

Them. XII. *POETÆ* quoque veteres uſum aliquem præbent, quamquam non parum ancipitem & lubricum.

1. Primum, quia multa ad mores bonos ſpectantia docent, qualia *Mimus*, *Phædrus*, *Æſopus*, Catonis qui circumferuntur verſus, & Orphei. Sunt enim & ipſi teſtes, nullo non tempore ſcintillas quasdam clariores veri juris naturæ à vultu DEI in nos emicuiſſe.

cum cautela.

2. Sed alii, qui repurgati non ſunt, adeo nihil ad jus naturæ diſcendum conferunt, ut manifeſte noceant. Certumque habeo, unicam venenatam ſtropham in ejusmodi poëmate lectam ab infirmo plus mali procreare, quam omnes omnium poëtarum talium libri ſanare valeant.

3. Homerum, quem Plato damnavit, Heſiodum, Virgilium Homeri exſcriptorem, paucis exceptis legere jam poſſumus; nulli enim periculo nobis jam eſt illorum deorum ſtulta multitudo, & inſana eorum crimina, quæ execratus Plato erat. Quin excitant animum ad gratias ſoli DEO referendas, qui nos ab his tenebris in claram lucem eduxerit.

X Signum externum præcipuum *S. Scriptura.*

Them. XIII. Omnium patentiſſimus clariſſimus ac profundiſſimus fons, ex quo Jus naturæ hauriatur, eſt *SACRA SCRIPTURA* Veteris ac novi Teſtamenti: ex quo ſolo, ſi omnes alii libri, voces, indiciaque cetera deficerent, hauriri totum jus naturæ poſſet.

1. Nulla in orbe gens *talem* habet librum.

2. Nulla ullius gentis lex tam paucis tanta fundamenta Juris præſcribit, & officia.

3. Neque eſt ſpes; ullum deinceps melius naturæ jus etiam per revelationem divinam proditurum.

4. Decalogus paucis verbis exhaurit fere omnia. Plurima ſigillatim exponit Salomon in Proverbiis & Eccleſiaſticus, & prophetæ, & ipſi libri Hiſtoriales.

5. Novi teſtamenti libri ſunt admirabiles. *Quæ diſputationes* ait S. Auguſtinus, *quæ literæ quorumlibet Philoſophorum, quæ leges quarumlibet civitatum duobus præceptis, ex quibus Chriſtus dicit totam legem prophetasque pendere, ullo modo ſunt comparandæ? &c. Hic Phyſica, quoniam omnes omnium naturarum cauſæ in DEO creatore ſunt. Hic Ethica, quoniam vita bona & honeſta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda ſunt, quemadmodum diligenda ſunt, diliguntur, hoc eſt DEUS & proximus. Hic Logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis nonniſi DEUS eſt. Hic etiam laudabilis reipublicæ ſalus; neque enim conditur & cuſtoditur optime civitas, niſi fundamento & vinculo fidei firmæque concordiæ, cum bonum commune diligitur, quod ſummum ac veriſſimum DEUS eſt; atque in illo invicem ſinceriſſime ſe diligunt homines, cum propter illum ſe diligunt, cum, quo animo diligant, occultare non poſſunt.* Epiſt. CLXXXVII. aliàs III. ad Quæſtiones Voluſiani. n. 17.

Heterodoxi ante Heineccium ſunt inepti ad indicandum Jus naturæ,

Them. XIV. Qui ante Heineccium ex heterodoxis jus naturæ ſcripſerunt, inepti ſunt, ut ex iis jus naturæ etiam à gentilibus diſcatur.

quod probat Heineccius.

1. Hujus thematis confirmationem Heineccio faciendam demandamus. Is in præfatione ſui Juris naturæ ſic habet: *Ipſorum libris uti ad prælegendum in ſchola*, adeoque etiam ad audiendum diſcendumque ex iis jus naturæ, *admodum difficile eſſe: Sæpe enim talia ſunt auctoris cujusdam, quem interpretandum ſuſcipiunt, PRINCIPIA, qualia ipſi probare non poſſunt. Sæpe ille*

quia ſunt *confuſi.*

plera-

pleraque ſine ordine etiam CONFUSE PERTRACTANT, UT NIHIL SIT IN LIBELLO, QUOD VELUTI CERTAM SEDEM AC FIXUM DOMICILIUM HABEAT &c. - - -

2. *Sed habere mihi viſus ſum*, ita pergit Heineccius, *& alias cauſas, quæ me ad ſcribendum non modo invitarent, ſed ETIAM IMPELLERENT. QUICUMQUE ADHUC IN PULCHERRIMA ILLA DISCIPLINA VERSATI SUNT* (Haud dubie Grotium, Puffendorffium, Thomaſium aliosque Heterodoxos intelligit; nam Catholicos negat omnino jus naturæ ſcire) *illi doctrinas ſuas vel NULLI CERTO ATQUE INDUBIO PRINCIPIO ſuperſtruxerunt, veritates VARIAS easque utiliſſimas velut UNA FASCE COLLEGISSE contenti; vel PRINCIPIA PARUM IDONEA ADMISERUNT; vel denique tam longe ex SUBTILISSIMIS, QUAS METAPHYSICA ſuppeditat, notionibus petierunt, ut DATA VELUTI OPERA TENEBRIS OMNIA INVOLVERE VOLUISSE VIDEANTUR.*

& quidem omnes

& carent certo *principio*,

aut idoneo:

aut metaphyſici ſunt,

& ſtudio tenebris omnia involvunt.

3. Huic Heineccii in ſuos anteceſſores edicto lubentes ſubſcribimus? *Bonum factum.* Quod felix, fauſtumque ſit, & reipublicæ ſalutare.

4. Id modo advertat prudens juſtique ſtudioſus lector. Anteceſſores illi magnis clamoribus cum omnium fere DD. Heterodoxorum choro edixerant, omnes ante hac Theologos atque ICtos Catholicos jus naturæ plane ignoraſſe, aut confuſum quid effudiſſe: ſe porro omnia non tam emendaſſe, quam de novo inveniſſe, atque è ſpiſſis vetuſtæ Ignorantiæ *tenebris in claram lucem* eduxiſſe, firmiſſimis fundamentis *ſcientifice* inædificaſſe Jus naturæ, quo qui non utantur brutæ pecudis inſtar ſint. At nunc exurgit novus Juris naturæ doctor, illorum ab unguiculis diſcipulus, & *COACTUM* ſe agnoſcit ab illis inventoribus & Populorum omnium Judicibus ſeceſſionem facere. Et hac quidem de cauſa coactum, quod illi omnes & *QUICUNQUE USQUE AD HUC NULLA CERTA PRINCIPIA* habuerint; aut *INEPTA PRINCIPIA*; aut *PERMISCUERINT* omnia; aut *SUBTILITATIBUS METAPHYSICIS* (quod noſtris theologis ipſi inexpiabili crimini vertunt) impediverint, adeo omnino, ac ſi omne ſtudium ad hoc unum contuliſſent, ut jus naturæ *DATA OPERA* confuſum, ineptum ac nullum collinerent.

Qui tamen gloriati fuerant,

ſe ſolos, inveniſſe Jus naturæ ignoratum.

Quos emendare coactus eſt eorum diſcipulus Heineccius.

5. Nemo jam erit qui nos incuſet partium ſtudioſos, aut odio quopiam heterodoxorum inſectari Juris naturæ illos ſcriptores. Amore id facimus innocentum, Juventutis, nobilitatis & populi Chriſtiani. Cui non horrore ſtent comæ, ſi talibus magiſtris actiones ſuas, intimamque conſcientiam & omne juſtum ſubſternat? Quis non metuat rebus publicis, populo Chriſtiano & Principibus, normam rerum ſuarum ex tali quodam auctore mutuantibus? Quid ad hæc Catholici parentes? Vid. Cap. IV. Them. VI.

Nec eſt mirum, ſi nos quoque ipſos ad examen vocemus,

amore Nobilitatis.

Them. XV. Heineccius ipſe ineptus eſt ad Jus naturæ gentilibus tradendum.

Heineccius ineptus eſt ad J. Naturæ indicandum.

1. Hoc ipſe de ſe probare Heineccius nobis debet. In eadem enim præfatione ſua docet, illos ineptos eſſe ad jus naturæ docendum, qui talia fundamenta ponant, à quibus poſſint aliqui populi aut homines diſſentire. Atque hoc ex capite rejicit omnes, qui argumentis ex D. Thoma, Patribus, jure civili, & ipſis Apoſtolis utuntur ad jus naturæ oſtendendum. Tum pergit: *In promptu eſſe oportet præcepta vel leges, quas IPSA RECTA RATIO vel DEUS potius rationis auctor inter OMNES GENTES QUANTUMVIS LINGUIS AC REGIONIBUS DISSITAS conſtituerit, QUIBUSQUE SE POPULI OMNES, QUI NON PLANE OBRUTUERINT, OBLIGARI FATEANTUR.* Atque tales ſe daturum putat promittitque.

Probatur ex ipſomet.

Recta enim *ratio ipſa*

2. Liceat nobis obſecrare bonum virum, quæ ſit aut ubi ſedem habeat *IPSA RECTA RATIO?* An in ſolo Heineccii ſincipite? Certe nec in Patribus nec in Apoſtolis, hoc enim parum eſt; ſed nec in ipſis adeo illis Summis viris Grotio, Puffendorffio, ceteris. Nam ſi in his omnibus ſederet *IPSA recta ratio*, utique poſſet ex illis diſci jus naturæ? Nunc autem ex illis diſci non poteſt: Ergo in ipſis ipſa recta ratio non ſedet. Quodſi in his non ſedet, quomodo perſuadebit Heineccius Turcis & Sinenſibus, *IPSAM rectam rationem* in ipſo ſolo Heineccio fixiſſe domicilium ſtabile & inconcuſſum? Vid. Cap. III. Them. XIX.

cum in nullo antecedentium ſederit,

3. Anteceſſores ipſius eadem de ſe promiſerant, & tamen deceperunt. Invenit enim, ne dicam quiſquam ex Sinenſibus acutiſſimis hominibus, ſed

ipſorum anteceſſorum diſcipulus, præceptores ſuos *NULLA* & *INEPTA* principia poſuiſſe, & ex illis jus naturæ condiſci non poſſe; atque adeo *IPSAM rectam rationem* illis defuiſſe, quæ obligaret omnes populos: neceſſitate adeo ſe coactum aliud Jus exſculpſiſſe ex *ipſa recta ratione & ex ipſo DEO*, cui ſubjici omnes debeant.

ſed eadem deſpecta.

Metus eſt maximus, ne & ipſi Heineccio eorum diſcipulo deſit.

4. Verum quanti timores corripere debent Sinenſem aut ſaltem tardiorem alium populum, ne & ipſe Heineccius decipiat, quemadmodum ejus præceptores deceperunt? Nimis grandia ſunt hæc, quam ut his ſecum in rerum ſumma pugnantibus committi generis humani ſalus poſſit.

5. *De DEO* autem ſuas tantum Heineccio non vero veterum doctorum, aut Romanas aut Apoſtolorum leges manaſſe, quo tandem argumento demonſtratum dabit Heineccius?

Maxime apud Sinenſes.

6. Deinde quis eſt Heineccius, ut *IPSAM rationem rectam* doceat Sinenſes? legesque iis ſcribat, quibus ni ſe ſubjecerint, bruti ſint? Credo ſiquando Heineccii librum Sinenſis quiſpiam legerit, riſurum ipſum, de multis dubitaturum; præcipue poſtquam antesignanos & magiſtros, Heineccii deceptos fuiſſe didicerit ex ipſo Heineccio diſcipulo.

Heterodoxi ſe mutuo laudant & rejiciunt.

7. In iſtos ergo plane convenit, quod de veterum philoſophorum pugnis ſcripſit Euſebius: *Enimvero Platonem imprimis videbimus ſuperiores philoſophos irridentem; tum viciſſim Platonis ſectatores atque ſucceſſores alios vapulantes. Rurſus quemadmodum & Platonis ſtudioſi præclara illa Ariſtotelica mentis ſenſa redarguant; & qui Ariſtotele principe ac Peripatetici nomine gloriantur, quæ à contrariæ factionis defenſoribus afferuntur*, ***NULLA ESSE demonſtrant.*** Præparat: Evangel. Lib. XIV. Cap. II. Videatur etiam Cap. X. Them. VII.

Ex heterodoxis Gentes Chriſtianæ neque unt diſcere Jus naturæ.

Them. XVI. Neque Heineccius neque anteceſſores ejus apti ſunt, ex quibus Jus naturæ Europæum ac Gentium ſeu Chriſtianis populis commune & perfectum diſci doceri que poſſit.

1. Europæi Chriſtiani populi ſunt in ſtatu non pure naturali, non pure civili ſocietatis etiam complexæ, ſed ſunt inſuper in ſtatu religionis Chriſtianæ veræ, quoad plures & potiores, qui eſt Status naturæ perfectio. Them. XIV. &c. Cap. I.

2. Huic autem Statui competit jus naturæ cum certis ſibi convenientibus reſtrictionibus. Vid. Cap. II. Them. XXX. &c. Cap. III. Them. X. Sic naturæ mudæ congruit, nulli præter DEUM obedire: Societati familiæ obedire marito, patri, hero: Societati civili magiſtratibus, aut legibus, aut moribus. Societati complexæ conventionibus, moribus, neceſſitatibus: Societati Chriſtianæ competit obedire Apoſtolis, Eccleſiæ. In nullo tamen horum ſtatuum ceſſat ſtatus naturalis, nec jus naturale; ſuam tamen cuique propriam faciem ſortitur: & ipſum Jus naturæ mandat, ut, ſi in ſtatu civili ſis, morem geras legibus; ſi in religioſo, religionem veram colas ac ſerves.

3. Pro hoc igitur Statu Jus naturæ aliud convenit, quam pro Japonibus aut gentilibus.

4. At iſti anteceſſores ſcripſerunt jus naturæ vel promiſerunt ſcribere tale quale conveniret ſtatui non-Chriſtiano. Igitur ipſorum jus naturæ pro Europæ populis eſt ineptum; quia omnes uno ore excludunt omnem doctrinam Chriſti & Chriſtianorum à ſuo naturæ jure, ſolique claudunt oculos. De hoc autem. Vid. plura Cap. X.

CAPUT VIII.

Objectiones contra Principia indicativa Interna.

Sceptici non ſervant notionem Veri.

Th. I. Capitis ſexti Themati primo ſeu principio primo indicativo Juris ex *NOTIONE VERI* ſumpto. non juvat opponere Academicos, Scepticos & Pyrrhoniſtas: Quorum illi nihil niſi ſimile veri; hi ne ſimile quidem admittunt.

Quippe 1. Qui veritatem negat eſſe, negare debet omnes res; quia omnes res veræ ſunt.

2. Qui autem negat nobis adeſſe notiones veri, ille debebit vorare fœnum pro pane ſibi oblatum: aut irruenti in ſe tævo tauro non poterit decedere de via, quia neſciet, an ſit verum periculum. Utrumque hoc contigit duobus antiquis Philoſophis, veritatem negantibus; & talia multa fieri poſſunt in eos, qui adhuc forte negant.

3. Qui

3. Qui autem veriſmile aliquid concedit, debet concedere verum. Non enim datur ſimile, niſi detur id cui ſimile eſt.

Sed Academicos oppugnavere *Cicero S. Auguſtinus* contra Academicos. Et *S. Thomas.* late agit de veritate I. parte, Quæſt. XVI. & XVII.

Hæc paucis. Nam qui talia objectant, iis non opus eſt libris, ſed elleboro.

Neque quod Verum, difficile inventu eſt.

Them. II. Neque contra idem thema juvat dicere: Veritatem eſſe inventu difficilem: id quod etiam philoſophi queruntur.

Etenim aliquæ veritates ſunt difficiles, ſed non omnes.

Et ſi omnes eſſent difficiles, tamen non ſequeretur, nullas nobis eſſe veri notiones. Peſſima collectio: Difficile eſt: ergo non eſt. Imo, ergo eſt; quia *non entis nullæ ſunt qualitates* ſecundum axioma tam Juriſconſultorum quam Philoſophorum. Cupiditas autem veri inveniendi ex difficultate augetur potius, quam minuitur.

Apparentia non enervat vim ſummi boni.

Them. III. Contra Thema prioris capitis ſecundum de Notione & *APPETITU BONI* nihil facit, quod Bonum ſit aliud *verum*, aliud *apparens*; ideoque ex re ancipiti non poſſit fieri principium indicativum juris.

Reſpondemus enim 1. Regulas morales nobis in hoc noſtro ſtatu non poſſe, ergo nec debere eſſe infallibiles Th. XIII. Cap. V.

℞. 2. Habemus multas certiſſimas notiones boni, e. g. Nullam rem exiſtentem & contingentem eſſe bonam à ſe, ſed per participationem. Eſſe ſummum aliquod & originarium ac indeficiens bonum, à quo cetera participent. Illa eſſe certa bona, quæ participent hoc immutabile, eique non repugnent. Vid. *S. Thomas,* parte I. Quæſt. V. de Bono in communi. *S. Auguſtinus* Lib. de Natura boni.

Item certo tenemus, bonum aliud alii præſtare, ſeu per majorem participationem boni primi, ſeu per majorem appropinquationem ad bonum ultimum: ita bona quæ ab anima ſeu ratione appetuntur meliora ſunt iis quæ appetuntur à ſenſu; quæ magis ad DEUM referuntur meliora his, quæ minus. Falſum igitur eſt, hoc principium eſſe anceps, ſi *anceps* dicatur id quod in utramlibet partem æqualiter pendet.

℞. 3. *Apparentia* ſola boni vel oritur ex obſcuritate rerum, vel ex negligentia rationis non exercitatæ, vel ex prava conſuetudine, qua ſenſui imperium admittitur ſupra rationem. Idcirco homines exercitati in utroque nempe in conſideratione rerum & in ſubjugatione carnis facilius diſtinguunt inter bona, quam deſides & carni ſervientes. Ergo vel hæc ipſa qualiscunque difficultas diſcernendorum bonorum admonet hominem officii ſui, & ſervit adeo pro principio indicativo Juris naturæ. Si enim homo carnalis ex eo quod aliqui cibi appareant boni cum non ſint, alii vero ſint re vera boni, non ſtatim acquieſcit, neque dicit ſe carere guſtu aut diſcretione ciborum; ſed coquos arteſque adhibet, ut habeat cibos quam optimos: multo magis homo rationalis ex diverſitate bonorum rationalium non debet abnegare ſibi diſcretionem eorum, ſicut Objectio hæc illam abnegat.

***Senſus communis* defenditur**

Them. IV. Contra Thema XIII. ſuprà, quo *SENSUS COMMUNIS* ſtatuitur, male pugnat Bælius, ſæpe ingerens, Gentes in pauca conſentire, in pleriſque ſentire inter ſe pugnantia. Igitur ſenſus iſte communis non eſt à natura, aut potius plane nullus eſt.

contra Bælium Atheorum paranymphum.

℞. 1. Bælius cum conceptis verbis dicat ſe DEUM profiteri, pro Atheiſtarum tamen argumentis omnia tela cavillatoria ubique congerit, ut de eo dici poſſit, quod de Epicuro Cicero: *Verbis relinquit, re tollit DEUM.* Peſſime tamen, pro mala cauſa pugnat innumera ſophiſmata ferens.

℞. 2. Tametſi in multis non daretur, ſi tamen in aliquibus argumentis datur ſenſus communis, jam habemus principium indicativum juris naturæ, hunc ipſum ſenſum. v. g. Si in hoc ſolo conſentit, nullam rerum iſtarum variarum eſſe à ſe, ſed eſſe omnes reſpectivas: hic unus ſenſus nos ſufficienter doceret eſſentialem & indiſpenſabilem obligationem noſtram. Hunc autem ſenſum cum nullo modo evertere Bælius poſſit, non ſine piaculo laborat in coacervandis pugnis ſententiarum, quæ maxime modos reſpiciunt, non rem ipſam.

cujus Sophiſma fœdum detegitur.

℞. 3. Non leve etiam hic eſt ſophiſma Bælii, qui *conſenſum* gentium ſumit pro *ſenſu communi*: & diſſenſum pro carentia ſenſus communis.

Senſum ſumentis pro conſenſu.

Conſenſus ac *diſſenſus* eſt ex deliberatione, propoſito, aut certe libera voluntate cum indifferentia ad oppoſitum: *Senſus communis* eſt, qui ineſt etiam indeliberato.

Ita ſenſus communis eſt amor vitæ, cupido boni &c. quis enim unquam deliberat, an vitam ſuam, ſanitatem, bonum amet? Donatiſtæ tamen diſſenſerunt à ſenſu communi, & *conſenſerunt*

inter ſe in odium vitæ contra ſenſum communem, ex deliberatione & libertate voluntatis, qua poteſt homo reſiſtere veritati etiam ſibi manifeſtiſſimæ, & contra ſuummet ſenſum facere: ſicut homo nulla alia cauſa movente ſtatim hoc momento ſe poteſt præcipitem è turri, cui inſiſtit, dare. Probatne hoc, ſenſum communem non eſſe?

Sophiſma Bælii à particulari ad univerſale.

Them. V. Nihil etiam valet Bælius, cum dicit, multos multa agere, quæ contraria ſint illi *ſenſui communi* quem nos ſtatuimus: & videri tamen ſibi bene agere; ut Spartani ſobolem debilem undis demergentes &c.

℞. Grande hoc eſt Sophiſma Bælii, quod à particulari ad univerſale colligat. Sunt hi & illi homines inter ſe diſſentientes *in multis*: ergo neque in his neque in illis neque in *ullis* eſt ſenſus idem. Quod aliquibus montanorum incolis videatur ad pulcritudinem hominis pertinere ſtrumarum par in pectus & humeros propendens, quis hinc colligat pulcritudinem humani corporis communem hanc eſſe? aut communem hunc eſſe de pulcritudine ſenſum? Quod plures homines mali ſint quam boni, non ſequitur bònitatem non eſſe, imò ſequitur, eſſe in aliquibus bonitatem, alias omnes eſſent mali.

Peccandi libido non evertit ſenſum communem.

Them. VI. Ejusdem furfuris eſt illud: Omnes homines experimur peccare ſæpius: ſed qui peccat facit contra legem naturæ: ergo omnes homines faciunt contra ſenſum communem, per quem lex naturæ innoteſcit. Ergo non datur ſenſus communis. Aut: Ergo ſenſus communis fertur in peccatum; ſic enim fere colliguntur cavillationes eorum, qui ſenſum communem ex peccatis impugnant.

Sophiſma Bælii.

℞. 1. Sophiſmata, utcunque formes ratiocinium, multa his inſunt. Nam primo eſt vitium non cauſæ ut cauſæ; quia ſtatuit, ex ſenſu communi ſequi peccatum, cum ſit contra; quod patet ex Themate XI. Capitis VI. ubi pudor & pœnitentia excipiunt peccatum.

Aliud.

2. Fit tranſitus à genere uno in aliud. Peccant, adeoque habent facultatem & ſenſum mali: Ergo non habent facultatem ſeu ſenſum boni. Cum ſit tamen certum, homini eſſe facultatem ad utrumque oppoſitorum, & ſenſum tam boni quam mali; hoc diſcrimine ut ſenſus boni ſit obligatorius, quia reſpondens indiſpenſabili dependentiæ; ſenſus mali vero nequaquam ſit talis.

Aliud.

℞. 3. Sophiſma eſt à privatione actus ad privationem potentiæ, vel à privatione effectus ad privationem cauſæ. Ex eo, quod omnes homines, cum oculos claudunt, non videant ſolem aut lucem, non ſequitur, homines carere viſu: neque ex eo, quod omnes homines quotidie dormiant, aut in ſpeluncis & fodinis totam vitam agant multi &c: Neque ſequitur ex his, lucem non eſſe principium ſenſibile manifeſtativum viſibilium; nam prædicta oculorum concluſio, ſomnus &c: per accidens ſunt. Ita de ſenſu communi loquendum, cui per accidens contravenitur.

℞. 4. Sicut autem ad effectum lucis &c: tollendum multæ poſſunt per accidens occurrere cauſæ, manente cauſalitate ac vi lucis; ita idem fit in ſenſu communi & aliis principiis indicativis juris naturæ. De hoc audiamus Ciceronem, ne ſuſpecti ſimus Bælio aliisque Heterodoxis, ſi aliquem ſanctorum teſtem advocemus. *Perturbat nos*, ait Tullius, *opinionum varietas, hominumque diſſenſio. Et quia non idem contingit in ſenſibus, hos naturâ certos putamus; illa, quæ aliis ſic, aliis ſecus, nec iisdem ſemper uno modo videntur, ficta eſſe dicimus. Quod eſt longe aliter. Nam ſenſus noſtros non parens, non nutrix, non magiſter, non poëta, non ſcena depravat, non multitudinis conſenſus abducit à vero: Animis omnes tenduntur inſidiæ, vel ab iis, quos modo enumeravi, qui teneros & rudes cum acceperunt inficiunt & flectunt ut volunt; vel ab ea, quæ penitus in omni ſenſu implicata inſidet voluptas, malorum autem mater omnium, cujus blanditiis corrupti quæ naturâ bona ſunt, quia dulcedine hac & ſcabie carent, non cernimus ſatis.* I. de Legibus Cap. XVII. Vid. ſupra Them. III. ℞. 3.

Quemadmodum igitur ſol manet verum principium manifeſtativum colorum figurarum & omnium viſibilium, tametſi nube, interveniente luna, terra ſuperſtante, manu oculis admota, aut palpebris obductis, aut cataracta, aut febre, aut ſpelunca aliisque modis plurimis impediatur muteturque effectus, idque quotidie: Sic omnino ſenſus communis manet dux vitæ, tametſi alios vis adhibita, alios conſilium, alios exemplum, alios voluptas, conſuetudo longa, ruditas, aut omnino deliberata voluntas excludat. Quippe hos non dereliquit ſenſus communis, ſed ipſi ſenſum communem à ſe abjecerunt. Confer *Cap. X. Them. VI. num.* 3.

℞. 5.

℞. 5. Sed ne ſic quidem ſubterfugere Imperium ſenſus communis poſſunt, ſicut nec ſolem, qui ei claudunt oculos. Iterum loquatur homo gentilis, ne Chriſtiani ſuſpecti ſimus heterodoxis, ex ore Chriſtiano loquentes. *Quis eſt enim, aut, quis unquam fuit* (ita Cicero) *aut avaritia tam ardenti, aut tam effrenatis cupiditatibus, ut eandem illam rem, quam adipiſci ſcelere quovis velit, non multis, partibus malit ad ſeſe, etiam omni impunitate propoſita, ſine facinore, quam illo modo pervenire? Innumerabilia dici poſſunt in hanc ſententiam. Sed non eſt neceſſe. Nihil eſt enim, de quo minus dubitari poſſit, quam & honeſta expetenda per ſe, & eodem modo turpia per ſe eſſe fugienda.* III. de Finibus cap. XI. opponatur Baelio etiam Lockius de Intellectu humano, Lib. IV. Cap. XX. §. 17. & ſeqq.

Inclinatio in malum non aufert inclinationem in bonum.

Them. VII. Nec evertit ſenſum communem aliud Bælii argumentum, dicentis: non tantum per accidens humanum ſenſum ferri in malum, ſed per ſe id eſt à nativitate usque in ſenectam naturæ vox intra nos eſt: *Ede bibe, lude, fac omnia, quæ corpus expetit.* Cui conſentit DEus ipſe in S. Scriptura teſtatus: *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Geneſ. VIII. 21.

Sophiſma Bælii.

℞. 1. Iterum redire ſophiſma. Ex hoc enim quod homo habeat incitamenta ad unum oppoſitorum, non ſequitur ipſum non habere incitamenta ad alterum oppoſitorum. Imo hoc ipſo quod ſit *liber*, debet ad utrunque habere incitamenta. Quæ vero ex his oppoſitis inclinationibus ſit rectior, potior & juſtior, eadem S. Scriptura, & ipſa vox naturæ docet, Geneſ. Cap. IV. ℣. 7. cum DEus Caino homicidium in orbe primum meditanti dixit: *Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed SUB TE ERIT APPETITUS EIUS, ET TU DOMINABERIS ILLIUS.* Cain autem revera non dominatus eſt appetitui malo, cui potuiſſet dominari per appetitum bonum; & per eum appetitum, qui rectus erat, ſeu divinæ voluntati conformis, potuiſſet regulare appetitum irrectum, ſeu à voluntate DEI diſcedentem.

℞. 2. Fortiorem autem in univerſum eſſe ſenſum recti præ cupiditate peccati, experientia docet. Pro juſtitia enim ſola ſine cupidine alicujus mali egerunt ac paſſi ſunt ſancti ſtupenda. Pro malo autem & peccato ſolo ſine ſpe alicujus boni nemo ne poteſt quidem aliquid agere aut pati.

Solutum à Platone.

℞. 3. Ex veterrimo Philoſophorum Platone non inelegantem ſententiam excerpendam exiſtimo, apud quem Socrates ita loquitur in Phædro: *Scire oportet, duas in unoquoque noſtrum formas, ſive ſpecies eſſe dominantes atque ducentes, quas ſequimur quocumque ducunt. Altera quidem eſt innata nobis voluptatum cupiditas: altera vero ACQUISITA OPINIO optimi affectatrix. Hæ autem in nobis quandoque conſentiunt, quandoque in ſeditione & diſcordia ſunt, & modo hæc modo altera pervincit. Quando igitur opinio ad id, quod optimum eſt, ratione ducit ac ſuperat, hæc ipſa vivendi poteſtas temperantia nominatur. Quando vero cupiditas abſque ratione ad voluptates trahit nobisque imperat, imperium hoc libido vocatur. Libido autem cum multiformis ſit multarumque partium, multas utique appellationes habet: & harum formarum, quæ maxime in aliquo eſt inordinata, ſua illud appellatione nominatum reddit; nec ullum ſuis decorum aut dignum tribuit cognomentum. Circa cibos enim ſuperatix rationis - - - ingluvies vocatur, & eum, qui hanc habet, hoc ipſa appellatione nuncupatum reddit. Rurſus quæ circa ebrietatem tyrannidem exercet &c.*

Cum his ſi Bælius conjungere voluiſſet doctrinam Chriſti, & eccleſiæ ſenſum, non potuiſſet tam lubrica de ſenſu communi ac turbida dicere, ut atheis patrocinaretur. Sed hoc evenire ſolet iis qui ſuis argutiis confiſi reges ſibi rationis videntur, & aliorum doctorum auctoritatem ſpernunt, velut ſoli ſapientes.

Senſus Communis non eſt inventum hominum.

Them. VIII. Principiis iſtis non obſtat aliud Baelii: hæc non eſſe ab ipſa natura, ſed ab aſſuetudine, ab educatione. Imo poſſe eſſe inventa illorum primorum hominum, qui in poſteritatem hos ſenſus ac doctrinas propagaverint.

℞. 1. Si cetera omnia darentur, quæritur, unde primi illi homines iſtam doctrinam hauſerunt?

An ipſis congenita fuit? Ergo ſunt hæc principia vox naturæ?

An à DEO auctore fuerunt ipſis revelata? Ergo ſunt vera ac certa.

An ipſi induſtria ſtudioque ea acquiſiverunt ex contemplatione rerum? Ergo habent hæc principia fundamentum in rerum natura.

An caſu illa inciderunt primis hominibus? Cur non aliis homininibus caſu incidunt contraria, ita ut conſtantes aſſeve-

rum vero malum; tum quia malum oppoſitum bono eſt; tum quia appetitus ille mali non tendit ad finem naturæ, ſed ab ipſo deficit, eique repugnat, & ſi poſſet prævalere, totam naturam deſtrueret, ut v. g. appetitus occidendi. &c.

℞. 5. Denique hæ notiones recurrunt animo etiam repugnanti. Exemplo poteſt eſſe Comes ille Roſſenſis angliæ, qui Atheismum palam profeſſus, non potuit extinguere igniculos veros; & lecto Iſaia plene eſt converſus. Vid. *Memoires touchant Jean Wilmot Comte de Rocheſter*, à Zurtic. 8. l'an. 1743.

Quemadmodum igitur in artibus cum nomina, uſum, & inſtrumenta ab hominibus quidem didicerimus, ipſa autem principiorum veritas ex theſauro rerum & actionum per intellectum deprompta eſt; ita doctrinam Juſti atque honeſti, quæ in diſciplinam eſt redacta, monentibus præceptoribus didicimus ex ipſa natura.

Objectio de confuſione ſcientiarum

Them. IX. Fruſtra etiam objiciunt his principiis, per ea confundi limites ſcientiarum, Ethices, Theologiæ moralis; & diſciplinam *Juſti Pii Honeſti*, ac *Decori* non diſtingui. Atque hoc etiam Cl. P. Schwarzio tanti momenti viſum eſt, ut multo labore patrocinari Puffendorffio hæc ſentienti conatus, affirmaret, *omnia in confuſiſſimum chaos conflatum iri*, niſi objecta juris naturæ diſtinguantur ab objectis Religionis, Ethicæ, Theologiæ moralis & Jurisprudentiæ civilis: quorum illa conſiſtant in ratione *Pii*, altera in ratione *Juſti &c.* Vid. ſupra Cap. V. Them. XVI.

Quarum diſtinctio non eſt neceſſaria.

℞. 1. Et quale periculum humano generi incubuit, quando iſta diſtinctione caruit? Num fortunatarum inſularum incolæ deteriores fuere; aut veteres Romani, quos laudat Salluſtius; aut veteres Germani, quos deſcribit hoſtis Tacitus, laudatque rectos homines, non qui ſcientiarum diſtinctarum farraginem conſarſerint, cum etiam literas ignorarent; ſed qui juſtum, honeſtum decorum omne pro *recto* habuerint. Rectum illis erat non furari, rectum fortia agere, rectum hoſpitibus bene facere.

℞. 2. Si neceſſarium fuiſſet generi humano, iſta non tantum intra ſe cogitando ſubtiliter diſcernere, ſed etiam alterum ab altero ſeparatum docere juventutem, fuiſſet id etiam neceſſarium ante Puffendorffium, qui ſe jactat primum inventorem rel adeo neceſſariæ, ut ſine ea quaſi nihil ſciatur de Jure naturæ. Recte queritur Leibnizius Præfatione Codicis Juris Gentium Diplomatici: *Juris doctrina, certis à natura incluſa limitibus, humano ingenio in immenſum diffuſa eſt.*

℞. 3. Neque ad ſciendum eſt hoc neceſſarium. Nam quisquis hæret in conſcientia de aliquo opere faciendo, aut quisquis alteri ad hoc conſilium debet dare, quid quærit? hoc nempe quærit: *Quid mihi licet facere? aut, quid debeo facere?* v. g. An licet mihi naufragum natantem in tabula permittere mori, ſi poſſum eum ſine propriæ vitæ periculo extrahere? An obligatus ſum graviter, illum eripere? An obligatus ſum ſaltem leviore obligatione, illum fovere calore, cibo, veſte? An obligatus ſum ſaltem ex charitate eum etiam fotum aliquamdiu, dum ſe recipiat domi meæ ſervare, tametſi aliquo incommodo meo? Omnes hæ quæſtiones quas mihi reſolvi, quas adeo ſcire deſidero, ſunt de *OBLIGATIONE*. Ubicunque autem eſt obligatio, eſt aliquod jus; hoc tantum diſcrimine, quod ſtrictum, æquum aut benevolum ſit. *Antiqua ſapientia nihil aliud quam agenda & vitanda præcepit: & tunc longe meliores erant viri. Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt. Simplex enim illa & aperta virtus in obſcuram & ſolertem ſcientiam verſa eſt, docemusque diſputare, non vivere.* Seneca Epiſt. 95.

Sumus obligati ad omnem virtutem.

℞. 4. A Philoſophis moralibus ſapientiſſimis omnes virtutes morales *Juſtæ* agnoſcuntur, & pertinentes ad Jus naturæ; Ad jus naturæ autem pertinent omnia quæ obligationem dicunt: Igitur omnes virtutes morales habent obligationem.

Nam ſi non eſſemus *obligati* ad virtutes morales, non poſſemus contra eas graviter peccare. Peccamus autem graviter non tantum aliena rapiendo, ſed etiam noſtris utendo, imo noſtra aliis non impertiendo. Peccamus per intemperantiam, peccamus per triſtitiam, per gaudium, per amorem, per ſcientiam ipſam.

Quid autem eſt peccare, niſi contra obligationem noſtram naturali aut ſupernaturali Jure impoſitam (quæ utraque conſpirant) aliquid aut agere aut omittere?

Ex quo manifeſtum eſt, bene illos docuiſſe, qui in omni actione bona juſtitiam ineſſe agnoverunt. Et Catechismi noſtri caput quintum agens de omni genere peccati & de omni opere bono, inſcribitur de *Juſtitia Chriſtiana.* Et acutiſſimus Philoſophus Plato. Lib. V. de Legibus & Lib. IX. ait: *Juſtitia enim & Juſtum Honeſtum eſt:* Et, ut Ariſtoteles V. Ethic. cap. I. agnoſcit, illa virtus, quæ omnes virtutes

atque adeo omne honeſtum exercet, eſt perfectiſſima & admirabilis *Juſtitia*, de qua proverbio Græco feratur: *Juſtitia in ſeſe virtutes continet omnes.* Quæ *JUSTITIA UNIVERSALIS ſeu LEGALIS* dici ſolet. De qua vid. & S. Thomas II. 2. Q. LVIII. Et hæc proprie ex diſciplina juris naturæ diſci debet. vid. Cap. II. Them. XXXIII.

Juſtum eſt idem *bonestum*

℞. 5. Idque ipſum pluribus poteſt rationibus commonſtrari. Nam quidquid voluntas DEI jubet eſt naturaliter juſtum: Jubet autem omnem virtutem, omnem honeſtatem; igitur omnis virtus eſt naturaliter juſta. Rurſus. Omne quod ad ultimum finem refertur, juſte refertur & ex debito: Virtutis autem omnis actio refertur ad ultimum finem: ergo juſte refertur. Id ipſum loquitur definitio officiorum, Juris naturalis: neminem lædere, *honeſte vivere*, jus ſuum cuique tribuere: unde patet, Juris naturalis objectum eſſe *Honeſtum* ut honeſtum. Vid. Aguirre In Ariſtotelis V. Ethic. C. I. num. 17. Idipſum loquuntur Puffendorffius, Heineccius & omnes novi Juris naturæ doctores, uno ore docentes, *Juris naturæ* eſſe non tantum ſtricte & ſub pœna præcepta aut inhibita, ſed ea etiam, quæ benevole tantum largimur aliis; aut quæ patimur concedentes aliquid de jure noſtro Vid. infra Them. XIV. n. 3. Præcipue hoc ſequitur ex Puffendorffi principio ſocialitatis. Jus naturæ à nobis exigit omnia, quæ ad ſocietatem hominum. conſervandam ſunt neceſſaria. At vero ad hanc ſocietatem non tantum neceſſaria ſunt connubia, & furti pœnæ ſed liberalitas in egentes, hoſpitalitas in viatores, comitas in vicinos, reverentia in ſeniores, & quæcunque alio nomine *pia, honeſta, decora dicuntur*, ſunt tamen ex Puffendorffii etiam principio naturaliter juſta. Idem plane ſequitur ex Heineccii principio *Amoris*: Amor enim non tantum poſtulat à nobis illa, ſine quibus nihil conſtare poſſet, quæque ſunt plane abſolute indiſpenſabilia; ſed & multo leviora, & non conjuncta cum tanto rigore, ut ſunt ea quæ ſtatim ex Puffendorffii fontibus derivavimus. vid. Cap. XIV. Th. VI.

etiam ex Puffendorffi. adverſarii ſententia.

Et ex Ciceronis et P. Schwarzii.

℞. 6. Conſentit his Cicero I. Officiorum Cap. XIX. *Nihil enim honeſtum eſſe poteſt, quod juſtitia vacat.*

Conſentit etiam Cl. P. Schwarzius, Qui Jur. Nat. Inſtruct. L. §. IV. in Prolegomenis, ſibi hæc objicit: *Neque quis dicat, Principia honeſti, decori & juſti EX IPSA DIVISIONE eſſe præciſive* (id eſt per fingentis intellectus abſtractionem) *ſaltem oppoſita, adeoque ad diſciplinas DIVERSAS ſpectantia, ſola ratione juſti Juris prudentiæ naturalis proprie competente.* Et mox reſpondet: *Nam contra eſt, cum hæc principia SOLUMMODO ſint diſtincta ex MODO tendendi, ſeu ex motivo, quo applicantur; & plerumque quod honeſtum ſub hoc reſpectu, ſub illo quoque ſit juſtum, & viciſſim; HÆC EADEM PRINCIPIA Jurisprudentiæ naturali ſunt propria atque intrinſeca.*

Rurſus Cicero de decoro: *Et juſta omnia decora ſunt; injuſta contra ut turpia, ſic indecora. - - Eſt enim quiddam, idque intelligitur in omni virtute, quod deceat; quod cogitatione magis à virtute poteſt, quam re ſeparari.* I. Officior. Cap. XXVII.

Accedit S. Thomas 1. 2. Quæ. LXV. Art. I. probans ex S. Auguſtino & Ariſtotele, virtutes morales veras ita ad invicem eſſe connexas, ut altera ſine altera eſſe non poſſit. — et D. Thomæ.

Accedit Gundlingius, Diſcours über das Vernunfft-Recht. Cap. I. §. 19-22. *Quilibet, qui volet JURI NATURÆ ſtudere, præmemoratis tribus principiis intendat neceſſe eſt, PRÆCIPUE AUTEM HONESTO* Atque adeo Ratio Honeſti eſt ratio præcipua Juris naturæ, ex mente Gundlingii.

Diſciplinarum nimia diſtinctio intolerabilis.

℞. 7. Nimium profecto prolixus ſim, ſi omnia, quæ in hunc locum dici poſſent, congeram. Iſtud certum, ſi tot novas diſciplinas ſcholis inſerere velimus, quot abſtractionum vias intellectus invenire poteſt, Intolerabilem exgituram ſegetem, & omnia in confuſiſſimum chaos abitura. vid. ſupra Cap. V. Them. XV. & noſtrum *Jus Naturæ*.

Cauſa diverſas diſciplinas inſtituendi, non eſt ratio abſtractiva &c

Them. X. Cauſa diverſas diſciplinas in ſcholas introducendi non eſt diverſa ratio abſtractiva fœcundi intellectus, ſed neceſſitas, ſpecialis utilitas, aut ſaltem aliquis egregius decor.

Sed *neceſſitas*, quæ hic non adeſt,

1. Neutrum horum reperitur in tali Jure naturali. Quippe non eſt *neceſſe* ſeorſim doceri, quod totum aliunde in Catholicis univerſitatibus docetur, in his autem docetur, quidquid novi Naturaliſtæ habent. Id quod infra demonſtraturo dabimus Cap. XIV. & XV. & alibi ſæpe.

neque utilitas

2. *Utilitas ſpecialis* non adeſt, imo detrimentum non leve; quia cum in Jure Naturæ idem doceant, quod in Civili, *alia tamen methodo*, oboritur diſcentibus confuſio & tenebræ. Præter pericula animæ, religionis ac reipublicæ inde metuenda. Vid. Them. I. &c. Cap. IV.

neque de[cor]

3. Decor qui nunc in his quæri ſolet, ventoſus eſt, & fere imaginarius.

Id

Id experimento diſcet, quiſquis juvenem ex tali ſchola reducem ſerio examinaverit.

Jus eſt pars Ethicæ 4. Jus omne & Juſtitia pertinet ad Ethicam ſeu diſciplinam moralem tanquam illius pars, & in eadem tractari omnino deberet; agit enim Ethica de ſummo bono & mediis ad illud perveniendi: hæc conſiſtunt in *Honeſto*. Honeſti partes ſunt Prudentia, temperantia, fortitudo, *Juſtitia*: Igitur ipſum juſtum eſt honeſtum; & quia habet rationem honeſtatis idcirco habet rationem juſtitiæ. Sola neceſſitas adegit, iſtam Ethicæ partem ſecernere. cur ſeorſim doceatur? Creſcente enim hominum multitudine & per ſocietates malitia, tot fuerunt leges objiciendæ, ut hæc ſola Ethices pars, Juſtitia nempe, hominis quantumvis ingenioſi ſtudium ex integro depoſcat.

ſicut & Jus Canonicum. 5. Eadem neceſſitas juſſit Jus Canonicum ſeparare, non tantum ob Legislatoris diverſitatem & alia, ſed ob multitudinem, & ob uſum: ſunt enim quorum vita in ſolis fere eccleſiaſticis juribus, haud quaquam in civilibus, exigetur. His neceſſe eſt iſta diſcere, ſat utique multa; altera autem vel non vel obiter attingere. Quocirca etiam Proteſtantes, ut ut dicant ſe principes ſuos pro Pontificibus habere, tamen jura quædam neſcio quæ Eccleſiaſtica ſeorſim tradunt; quia neceſſitatem agnoſcunt.

6. Juri vero Naturæ tali ſeorſim docendo nulla poteſt prætexi neceſſitas, cum ipſi fateantur, iſthoc jure non hos quidem opus habere, alios non habere, ſed omnes homines æque eodem egere. Equidem egent, ſed non tali, quale ipſi ſcribunt. Si enim tali egerent, cur ſolos fere politicos illud docent, an hi ſoli homines ſunt, ceteri boves?

7. Si dicunt, Jus naturæ generale in Decalogo conſiſtens eſſe omnibus neceſſarium etiam qui ſcholas non frequentant: at illud jus naturæ, quod verſatur in actionibus civilibus, forenſibus &c. Specialiter eſſe neceſſarium iis, qui ad forum & judicia aliquando admovebuntur. Reſpond. talibus eſſe neceſſarium non qualecumque jus civile abſtractum & Univerſale; ſed tale quale in ipſorum patria receptum eſt; alias occaſio ſit novationibus & inverſioni reipublicæ.

8. Si dixerint, iis, qui in aulis aliquando victuri ſunt, neceſſarium eſſe jus naturæ tale, quod verſetur in actionibus principum, populorumque. Reſpond. Iterum non eſſe neceſſarium tale jus abſtractum, ſed quale inter ipſos populos conſenſu eſt conſtitutum. Si enim Germani v. g. cum Gallis ſic agere volent, ut cuilibet videtur agendum ſecundum abſtractas quaſdam rationes, ſequetur magna confuſio; quia alii hæc ratio abſtracta videbitur fortior, alii contraria; & per hoc omnia multo labore & ſanguine pacta conſtitutaque revocabuntur in dubium, & hoc ipſo nullum regnabit jus naturæ. Verbo Germanos cum Gallis neceſſe agere, ut inter ipſos pactum eſt, aut receptum: nam in pactis tam inclytarum nationum generales rationes juſti præſumuntur eſſe obſervatæ: & qui contrarium probare vult, ingens negotium ſuſcepit.

Them. XI. Legiſlatores veteres noluerunt hanc diſtinctionem.

1. Percurrantur apud Stobæum: legatur Plato, Cicero, & Antiquiſſimus Moyſes, ſi vel tantum ut homo ſpectetur. Omnes in ſuis legibus uno volumine tradiderunt officia pietatis, juſtitiæ, honeſtatis, decori: minore tantum ac majore obſtrictione definientes.

2. Hoc fecerunt etiam Juſtinianus & Theodoſius, qui initium poſuerunt in pietate & religione. Deinde non tantum quæ *ſtricti juris* ſunt humana ſanxerunt, ſed multa omnino *bonæ fidei*, *arbitrio boni viri*, ac decoro permiſerunt.

3. Quod tamen ad religionem attinet, longe aliter quam novi Naturaliſtæ ſtatuerunt. Non enim juſſerunt à Jure ſuo exeſſe religionis principia, ſed ex his principiis totam vim legum ſuarum pendere aſſidue monent etiam Gentiles. Deinde non, ut iſti, religionem ſubjecerunt magiſtratui profano, ſed ejus tractationem ac jura Sacerdotibus permiſerunt omnes: adeo, ut omnes aut plerique agnoſcerent, à Sacerdotibus peculiare Jus conſcribi poſſe ac debere, propter negotii dignitatem. Iſti vero novi Jus ſacrum, quod *ore* fatentur. à DEO eſſe acceptum, negant locum ullum habere in republica dirigenda, aut regenda natura. Si veteres legumlatores reſurgerent, quibus oculis iſtos, putas, aſpicerent? Vid. Cap. X.

Them. XII. Abſurdum, quia impoſſibile, eſt, tantam ſcientiarum practicarum varietatem & copiam & diſtinctionem inducere, quæ tamen omnes in una eademque actione verſantur. Abſurda eſt ſcientiarum practicarum moralium nimia varietas.

1. E. g. Sit mihi propoſitum, an nocturnus aggreſſor domus ſit occidendus à me? Ut hac me quæſtione expediam, opus mihi eſt multis libris & multis diebus, ſi hanc diſtinctionem ſcientiarum admittimus. Nam utrum ſit civiliter communiter juſtum debebo petere

ex *Pandectis*; utrum ſit juſtum Civiliter Germanice, petendum erit ex *Heineccii* Jure Germanico aut Capitularibus regum Francorum, aut Speculo Suevico; an ſit juſtum civiliter Auſtriace, relegendum mihi erit ex *Suttingero* vel *Guariento*; num ſit Jure gentium juſtum, hauriam ex *Grotio*; num naturaliter juſtum, ex *Puffendorffio*, *Hobbeſio*, *Heineccio*, quos omnes & ſingulos debebo multo ſtudio ſubtiliter examinare, quia diverſa principia ſui juſti ponunt, ita ut tempore mihi opus ſit, quale ex iis principium eligam; nam ſi in principio erraverim, actio mea non erit naturaliter juſta. Deinde utrum ſit honeſtum, debebo inquirere longiſſimo labore in *Platone*, *Ariſtotele*, *Seneca*, & *Ethicis* libris multis, quorum quilibet aliud honeſtatis principium ponit. Num decorum ſit, diſcam ex *Treuero*, *Charrone*, *La Civilité moderne*, *Bellegarde* &c: Num denique pium aut religioſum ſit, diſcam, ſi ſuperis placet, ex *Lutheri ſermonibus convivialibus*. Dum hæc expedio, fur tenet loculos, ter quater ad furandum jam reverſus.

Oſtenditur abſurditas.

2. Idem neceſſe eſſet accidere in *omnibus actionibus* humanis. Itaque Quicumque voluerit homo eſſe, debebit Studere *Juri Civili* quod *omnes actiones* humanas percurrit, ut vivat civiliter juſte.

Debebit Studere Juri Germanico iterum percurrenti *omnes actiones*, ut vivat Germanice juſte.

Rurſus Auſtriaco, denuo *omnes actiones* percurrenti, ut vivat Auſtriace.

Deinde ſtudebit Grotio, percurrenti itidem *omnes actiones*, unde vivat gentiliter, ut ſic dicam, juſte.

Porro Puffendorffio, *omnes actiones* pariter pergraſſanti, ut vivat naturaliter juſte.

Idem ſtudebit Ethicæ cuicumque demum, omnino etiam *omnes actiones* evolventi, ex qua diſcat vere honeſte.

Charronem denique & Bellegardium diligenter leget, *omnes* iterum *actiones* pertractantem, qui eum doceant decori principia & vim.

Videtur id monſtri inſtar eſſe. *Omnes Actiones* toties perdiſcere ex diverſis libris diverſiſſima methodo deſcriptis, hac ſola de cauſa, ut diſcam unas easdemque actiones ſemel ideo ut naturale juſtum agnoſcam: deinde easdem iterum ideout civiliter juſtum me non lateat: & rurſus easdem ideo, ut liqueat mihi de honeſto, & ſic porro.

3. Placet ergo quod Themate X. recte placuit, diſciplinas in ſcholis diſtingui utiliter non poſſe, niſi ubi neceſſitas cogit vel omnium in univerſum, vel certorum inter homines ordinum. Et fruſtra eſt Gundlingius, dum vult defendere Puffendorffium ob rationem *Juſti* ſeorſim à ratione *Honeſti* tractatam in peculiari ſuo libro de Jure naturæ & in peculiari cathedra. Defenſionis autem à Gundlingio adornatæ momentum hoc eſt; Puffendorffius dicebat: Poſſem equidem, cum ſim Profeſſor, docere rationes Juſti, Honeſti, & Decori omnes in uno libro vel collegio. *Sed hoc eſſet dedecens, quia jam adeſt Profeſſor Moralium, qui* ea docet. Diſcours über das Vernunft-Recht. Cap. I. §. 19-22. Si recte conſideres, fundus defenſionis eſſet in ſuperbia Puffendorffii, id quod non ſcomatis ſed rei explicandæ ac detegendæ cauſa dico. Puffendorffius agnoſcebat, hanc tractationem ad Profeſſorem Moralium pertinere, qui de Virtutibus docere eſt juſſus, quarum præcipua imo tota eſt Juſtitia naturalis. Sed tamen & ego cupio nomen meum in academia increbeſcere. Profeſſor Ethices ſua Cathedra mihi non decedit, nec Profeſſores juris. Quid reſtat? Sumam mihi illarum partem aliquam, *Juſtum* illud naturale; & ſi dixerint, me in ſuam ſpartam involare, reſpondebo, ipſis Ethicis relinqui utique ſatis, utpote Honeſtum ac Decorum. Juris autem Profeſſoribus reſpondebo, ipſis Jus Civile ampliſſimum relinqui, cum ego ſolum naturale mihi uſurpem. Et ob iſtam Profeſſoris unius ſuperbiam fœdanda fuit Europa, maximeque Germania. Cetera quæ dicto loco punctim pro more profert Gundlingius partim abſona ſunt, partim pro nobis probant, & judicant, ipſum Gundlingium optare, ut hæc tria ſimul doceri poſſint: imaginatur autem ſibi aliquam impoſſibilitatem.

Them. XIII. Poſt tantos clamores de Principiis *Juſti*, *Honeſti*, ac *Decori* ſeorſim obſervandis, & poſterioribus duobus à Jure naturæ excludendis, ne ipſi quidem, Declamatores hoc obſervarunt ante Annum 1717. Igitur ſi damnanda ſunt Jura naturæ à veteribus deſcripta propter hanc principiorum confuſionem, damnanda ſunt etiam nova DD. heterodoxorum, ex proprio ipſorum ore.

Heterodoxi non diſtinxerunt Juſtum, Honeſtum.

1. Ad hoc comprobandum induco Hermannum *Kemmerichium* Directorem Collegii Nobilis Brandenburgici, cujus hic eſt liber. Neu-eröffnete Ritter-Academie, editus ſecundò Lipſiæ an. 1717.

1717. dicatus Regi Boruſſiæ Electori Brandenburgenſi. Illius libri Parte I. Lib. II. Cap. X. quod eſt de Naturæ & Gentium Jure §. 3. ſic habet, fideliter expoſita ex Germanico: „ Qui Juri naturæ è fundamentis ſtudere volet, ut omnino meretur, ante omnia regulas *Honeſti, Juſti* & *Decori* inter ſe diſcernere debet. Verum *ANTE HAC NULLUM habuimus compendium*, quod *HAC IN PARTE* tyroni commendari poterat. D. *Thomaſius* equidem *PRIMUS EST*, qui in fundamentis Juris naturæ & Gentium oſtendit, ut diſcernenda ſint hæc principia: Sed hæc illius Fundamenta pro tyronibus non ſunt. *Puffendorffii* liber de Officio Hominis & Civis hactenus pro optimo compendio Juris naturæ habebatur. At vero *HÆC TRIA PRINCIPIA IN EODEM VALDE CONFUSA SUNT*. - - - *Buddeus* in Elementis Jurisprudentiæ naturalis Puffendorffium utplurimum ſecutus, ex Grotio adjecit Jus Gentium, ſive illam Juris naturæ partem, quæ totos populos tangit, omniaque ſatis dilucide ordinateque expoſuit. Quin, *ſi tria principia Honeſti, Juſti, & Decori in ejus libro eſſent diſtincta*, poſſet is pro optimo compendio tolerari. Commendat deinde *Gundlingii* Tertiam partem Viæ ad Veritatem, ubi Jus Naturæ ſecundum recentiſſimum modum **nach der neueſten Façon** contineatur.

2. Similia fere habet Gundlingius in ſuo diſcurſu præliminari ſuper J. Nat. *Si Grotium*, inquit, *& Puffendorffium aſpicimus, ii jam Civilia jam naturæ jus, jam Gentium proponunt. Proinde mibi Puffendorffii pertæſum eſt, quoties ipſum explicavi. Perturbat enim homines, & me ipſum initio perturbavit.*

ante annum 1717. nemo diſtinxit Principia Juſti, Honeſti decori.

3. Ecce vero, invito cordatos viros ad rem ſerio expendendam. Uſque ad annum 1717. caruimus compendio Juris naturæ bono, quia antea nemo hæc tria principia diſtinxit; & is qui primus diſtinxit Thomaſius non eſt pro diſcentibus. Videant ergo illi omnes, qui ante hunc annum heterodoxas ſeu ſcholas ſeu commentationes adierunt ſpe Juris naturæ diſcendi, an non fuerint decepti? dum pro Jure naturæ, quod promittebatur, ipſis obtruſum eſt *confuſiſſimum chaos ex permixtis inter ſe, officiis Juſti, honeſti ac decori?*

Neque poſt an. 1717.

Them. XIV. Sed neque poſt annum 1717. ab iſtis generis humani magiſtris & populorum judicibus in ſuis de Jure naturæ libris, quos ſcholis obtruſerunt, obſervata eſt diſcretio iſtorum trium principiorum, ſine qua tamen diſcretione non eſt niſi confuſum chaos. Igitur uſque in hunc diem non niſi confuſum chaos ab his didicerunt, quicunque ab illis didicerunt.

Heineccius falſo promiſit hanc diſtinctionem.

1. Pro exemplo ſumam Heineccium, qui noviſſimus iſtas cathedras implet. Cujus librum reſeranti mihi primo in oculos meos nunc occurrit hic locus, Lib. I. Cap. VII. de officio erga alios. §. CLXXX. ubi hæc habet: „ Quum nemo teneatur alterum magis quam ſe ipſum amare (§. 94.) & ſæpe contingat, ut aut alicui ipſi, aut alteri pereundum ſit: conſequens eſt, ut eo caſu, ſiquis nos aggrediatur, in ancipiti illo periculo qualibet ſit *honeſta ratio* expediendæ ſalutis (§. 163.) adeoque & cum cæde repellere liceat, dumne quis limites juſtæ defenſionis excedat. §. CLXXXI. Quinam ſint juſtæ defenſionis limites, nemini erit obſcurum, qui abſolutam præcipue neceſſitatem, nullo alio modo evitabilem (§. 158.) *favorem* mereri meminerit. Ex hoc enim conſequitur, ut tum demum moderamini inculpatæ tutelæ ſit locus, ſi quis in abſoluta neceſſitate, vel reſpectiva quidem, ſed in quam ſua culpa non inciderit, verſetur (§. 158.) Ut defunctus omni periculo nullo amplius defenſionis jure gaudeat. Ut qui vel ſine adgreſſoris læſione, vel leviore malo adgreſſori repræſentato periculum evitare poteſt, ei jus non ſit ad cædem temere provolandi. Quum ex duobus malis phyſicis id, quod minimum eſt, malum eligendum eſſe vel ipſa recta ratio nos doceat. (Elem. Philoſ. mor. §. 152.) Hoc in notula adjecta deducit ex hac ratione; *quia homo obligatus ſemper eſt ad eligendum id, quod eſt optimum.* Optimum ergo cum ſit medium quo facillime ac tutiſſime finem noſtrum obtinemus, obligatos nos eſſe oportet ad medium facillimum & tutiſſimum.

„ Hoc autem fundamentum ex media Ethica ſeu doctrina *honeſti* ac *ſummi boni* ſumtum eſt, imo ex ſubtiliore Aſceſi. §. CLXXXII. His vero obſervatis principiis evidentiſſimis nihil facilius eſt, quam ad quæſtiones omnes quæ de hoc moderamine inculpatæ tutelæ incidere poſſint, reſpondere. Si enim quæritur, adverſus quos eo uti liceat? recte re-

„ ſpondebis, adverſus omnes, per quos in periculum illud ſine tua culpa adductus ſis (§. 81.) adeoque & adverſus furioſos, mente captos, itemque eos, qui alium invadere parantes te per errorem invaſerint. §. CLXXXIII. Nec minus inde diſces, quamdiu illud jus ſeſe adverſus invaſorem defendendi duret? Recte enim hic diſtingunnt doctores inter eos, qui in ſtatu naturali nulli magiſtratui, à quo defendi poſſent, ſubjecti vivunt, & qui cum aliis in civitatem coaluerunt. Quum enim in libertate illa naturali nemo ſit, à quo nobis de injuria caveri poſſit. Defendendi jus non poteſt non incipere eo tempore, quo in periculo eſſe cœpimus; & durare tamdiu, quoad extra periculi aleam ſimus conſtituti. (§. 181.) Quandoquidem vero periculum noſtrum incipit à tempore, quo alter hoſtilem animum adverſus nos oſtendit, & tantiſper durat, dum illum animum hoſtilem nondum depoſuit; tamdiu etiam durare jus defendendi, manifeſtum eſt. §. CLXXXIV. Quum contrà in ſtatu civili civis, qui hoſtilem animum adverſus civem prodit, inſidiasve alteri ſtruit, à magiſtratu poſſit coërceri: conſequens eſt, ut civis nec inſidiantem ſibi alterum opprimere, nec periculo defunctus vindictam, quam à ſuperiore ſperare poteſt, vi & armis petere poſſit, adeoque tempus inculpatæ defenſionis expediendæ anguſtis admodum finibus circumſcriptum cum ipſo periculo incipiat, nec duret diutius, quam ipſum periculum. §. CLXXXV. Præterea ex his principiis facile intelliges, non licere ei defenſionem ad cædem usque adgreſſoris porrigere, qui de ejus impetu præmonitus, aut eundem in tempore conſpicatus, domi ſe continere, aut in tutiorem locum ſe recipere, aut vulnere vel mutilatione aliqua ejusdem impetum cohibere poteſt: quamvis ad fugam, ipſo jam fervente conflictu, capeſſendam, ob anceps illius periculum nemo omnino obſtrictus videatur, niſi forte tutum ipſi pateat perfugium. Puffendorff de J. N. & C. II. 5. 13. Ubi tamen denuo monendum, quum in ſtatu civili tam breve ſit defenſionis tempus, ut in tanta animi perturbatione omnes evadendi vias circumſpicere non liceat, *merito non omnia tam amare exigenda, ac velut ad vivum reſecanda eſſe.* §. CLXXX. VI. Denique inde non minus intelligi poſſe videtur, pro quibus rebus quis ad violentam illam defenſionem ſeſe accingere poſſit? Quum enim quædam ſint calamitates, quæ homini aliquando ipſa morte videntur acerbiores, nec extrema tantum neceſſitas, ſed & ea, quam ſalva vita ferre poſſumus, *favorem mereatur* (§. 158.) conſequens eſt, ut, quæ pro vita, eadem pro ſanitate, nec non pro integritate corporis, imo & pro pudicitia tuenda, nec non pro magiſtratuum, parentum, liberorum, amicorum, ſed & omnium aliorum, quos in periculo conſtitutos eſſe animadvertimus, defenſione ſint permiſſa."

2. Hæc de inculpata tutela Heineccius. Ubi quatuor advertere licet 1. An non *MERITO, ÆQUO, FAVORE, HONESTO* reſarciat hæc ſua pauca? ipſique adeo *HONESTO* ſeu *OPTIMÆ ELECTIONI* inædificet? Quæ apud nos in ſubtili aſceſi & in ſupererogatoriis numerantur, non in ſtricte debitis; niſi quoad finem, qui ſemper optimus eſſe debet. 2. An iſta, quæ hic docet, ante ipſum ignoraverit mundus? 3. An certius aliquid, diſtinctius, copioſius, melius demum tractaverit, quam obvius quisque Caſuiſtarum aut ICtorum aut Philoſophorum? 4. An jus naturale abſtractum à civili docuerit?

Heineccius pleraque officia *juris* naturæ deducit ex honeſto & decoro

3. Quid multa? Cap. VIII. §. CCXIV. pro maxima parte officiorum juris naturæ ſtatuit Heineccius duo principia, *Humanitatem* ſeu *INNOXIAM UTILITATEM*, & *BENEFICENTIAM*, quæ alteri tribuit cum proprio detrimento. Unde plurima infert, quæ alii in Ethica tractant, cum ſint *HONESTA*, & *DECORA*, non ſtricti juris. *Utraque, ait, ob multarum rerum neceſſariarum indigentiam tam ſunt neceſſaria, ut homines ſine iis vitam SUAVITER & COMMODE traducere non poſſint.* En ipſa Decori & Utilis principia, & actiones: ad ſuavem & commodam hanc vitam tendentes, nimirum Eleemoſinam dare, potum ſitienti præbere, umbram æſtuanti facere, conſilium dubitanti, inimicis largiri ea quibus ipſe abundes, Beneficia ſapienter diſpenſare, ſine ſpe retributionis officioſum eſſe erga alios &c. quæ ibi enumerat.

que omnia commiſcet, ut ſi, quos reprehenderat.

4. Idem autem & paſſim librum ejus pervolventi manifeſtum fiet, Honeſti, Juſti, decori principia uno libro commixta eſſe, qui carpens ea in majoribus pro-

promiſerat alia omnia facere. Hoc paulo pejus eſt, quam quod Cancro acciderat, qui parvulos ſuos carpens, quod retro concederent, monſtraturus greſſum antrorſum, rurſus & ipſe retro abiit. Hic autem à juvenibus carpuntur veteres, & tamen eadem faciunt, ac deteriora; quod neceſſe eſt juvenibus uſuvenire.

Objectio ex noſtro exemplo ſumpta

Them. XV. Objectari hic poteſt: Heineccium & ceteros novos Naturaliſtas recte feciſſe, cum tria illa principia in Jus Naturæ adſumpſerunt: feciſſe enim id, quod nos contendimus faciendum; neque adeo à nobis vituperandos?

diluitur.

℟. 1. Si recte ab iis factum, conſequitur, vociferationes eorum de diſcernendis principiis & à Jure naturæ eliminandis caſſas fuiſſe. Sequitur etiam injuriam ab iis factam majoribus, quos ignorantes falſo dicebant, ob principiorum confuſionem. Sequitur item, operam nihilominus vanam eos his ſcribendis libris luſiſſe, qui fecerint eadem quæ fecerant majores: majores autem vane & inutiliter, iſtorum opinione, laborarunt: ergo etiam ipſi.

℟. 2. Nos vero iis neutiquam vitio vertimus hoc, quod tria illa principia Juri naturæ ſcribendo adhibuerint; ſed multo plura ac majora alia, quæ partim oſtendimus jam, partim oſtendenda etiamnum erunt.

Juſtitia quomodo ſervet medium rei?

Them. XVI. Objectatur frustra: Juſtitia vera eſt virtus, quæ ſervat medium rei, non rationis. v. g. cum debentur decem nummi, reddendi ſunt ex juſtitia decem nummi, nec debitum intenditur aut remittitur per rationes ſeu conſiderationes perſonarum &c: an debeantur regi, an nautæ? At vero Juſtitia illa legalis ſupra Them. IX. Reſp. 4ta oſtenſa, quæ ex diſciplina Juris naturæ diſcitur, non ſervat medium rei, ſed rationis; quia imperat actus omnium virtutum ceterarum, quæ omnes habent medium rationis, nempe proportionatum circumſtantiis. Igitur illa juſtitia legalis ſeu naturalis, quam nos hoc in opere tuemur, non eſt vera juſtitia. Vid. Cap. X. Them. XVII.

℟. 1. Etiam illa juſtitia legalis ſeu naturalis habet medium rei, quod Ariſtoteles V. Ethic. I. & ibidem Aguirre ſignificant, nempe bonum commune. Ubi bonum hoc non ſolum accipiendum eſt pro bono civitatis & cujuscunque ſocietatis tantum humanæ; ſed eo modo, quo Plato ac Cicero accipiunt ſociale ſeu commune bonum, nempe bonum totius naturæ, ſeu imperium DEI Summi Domini & ſubjectionem creaturæ. Prima enim ſocietas homini cum DEO eſt. Hoc certe imperium, hoc ſervitutis debitum nullam patitur modificationem, ſed eſt abſolute medium rei.

℟. 2. Ex eodem fundamento Ariſtoteles reſpondet iis, qui objicerent, ſuperfluam fore Juſtitiam legalem, ſi ea nihil aliud agat, quam omnes virtutes. Non eſt autem ſuperflua; quia ceteræ virtutes ſingulæ tantum ſpectant proxime bonum particulare: hæc autem Juſtitia legalis imperat & dirigit omnes virtutes ad bonum univerſale, de quo mox egimus, Vid. Aguirre loc. cit.

CAPUT IX.

Objectiones contra Principia Externa Juris naturæ Indicativa.

Objectio. aliqua noſtra ſigna non eſſe generalia.

Th. I. Contra tria priora themata ſeu principia Capitis VII. nempe contra *Ordinem rerum externarum*, contra *eventus Extraordinarios*, & contra *Res adverſas* &c: incaſſum objicitur, ea non eſſe principia generalia pro omnibus actionibus.

Reſpondetur.

Nam ℟. 1. Tanto majus eſt beneficium legiſlatoris divini, qui non contentus generalia & ordinaria ſigna voluntatis ſuæ edere, oſtendit etiam peculiaria pro diverſis & locis & temporibus. Sicut furcæ per vias erectæ, aut tabulæ alicubi valvis affixæ non omnibus indicant legem, ſed his, qui prætereunt, aut legere norunt; vera tamen ſunt ſigna ac promulgationes legis. Hac ratione nullus fuit populus DEO charior populo Judæorum, quem toties revertentem ad vomitum toties plagis, prophetarum minis, modiſque omnibus revocavit ad officium, novis & antiquis.

℟. 2. Etiam hæc fiunt aliquo modo generalia, cum in populos fideli traditione referuntur. Sic qui vel nunquam ſciret furtum eſſe vetitum, illud tamen diſceret,

diſceret, cum paſſim audit & videt, in furcam agi fures.

℟. 3. Ex Ariſtotele II. Ethicor. VII. *Sermonum eorum, qui circa actus verſantur, univerſales quidem magis communes, particulares vero magis ſunt veri. Actus namque circa ſingula ſunt: quibus ſermones rationesque conſentaneas eſſe oportet.*

In quem locum notat Sapientiſſimus Aguirre, niſi particulares regulæ in moralibus habeantur, caſuros nos in errorem Stoicorum, peccata omnia æqualia aſſerentium. *In hoc*, inquit, *diſſident ab habitibus practicis theorici ſeu ſpeculativi, quod horum tota vis eſt in axiomatis ac theſibus generalibus, quibus nituntur: Practici autem, ut Ethica Philoſophia, potius inſiſtunt ſingularibus: & ex iis evidentius notis regulas generales tradunt.* Particularia ergo notiora ſunt univerſalibus & hoc ipſo aptiora ad ſignificandum Jus naturæ. Vid. Cap. V. Them. XII. XIII. & XIV. & ibid. Th. VIII.

Objectio Principia debere eſſe innata.

Them. II. Fruſtra objicitur: Principia cognoſcendi juris naturæ omnia debere eſſe naturæ congenita, inſita, & *Innata*.

Negatur.

℟. 1. Id eſſe falſum. Imo potius natura noſtra dum capax eſt exteriorum & interiorum admonitionum, debet per utrasque deduci atque juvari. Deinde Status noſter jam non eſt amplius nude naturalis, ſed adventitio veſtitus & ornatus. Sicut ergo naturali nudo ſtatui potius conveniunt ſignificationes internæ; ita & adventitio ſtatui præclare conveniunt externæ; quia & ipſe adventitius plurimum in externis verſatur. Vid. Them. IX. n. 10.

℟. 2. Si hæc objectio valeret, deberet eſſe certum, dari ideas *innatas* ipſi animæ, nunquam acquiſitas ſtudio. At hoc minime certum eſt. Immo certius eſt contrarium, quod multis argumentis probat *LOCKIUS de Intellectu humano* toto libro I. & experientia docet infra Them. IX. n. 10.

Them. III. Leges *civiles* maxime Romanas *Canonicas* & cetera quæ ſequuntur male exturbant Heterodoxi à Jure naturæ propterea, quod à Sinenſibus & Japonibus non ſint receptæ, ut loquitur Heineccius. Neque ideo, ut ſcribit Gundlingius, *quia non omnes veritates naturales ex Corpore Juris diſci poſſunt*.

℟. 1. Ne Poëtæ quidem ac Philoſophi Græci aut Romani ſunt à Japonibus recepti, & tamen admittuntur ab Heterodoxis ad Jus naturæ ex iis diſcendum.

℟. 2. Nec Puffendorffius nec Heineccius eſt à Sinenſibus receptus, & tamen dicunt jus à ſe deſcriptum eſſe jus naturæ, & ex ipſorum libris ac ſcholis hoc diſci poſſe.

℟. 3. Iſta cautio conveniret illi magiſtro, qui cathedram haberet in Japonia: Non huic, qui in media Europa ſcribit, in qua receptum eſt & naturaliter juſtum agnoſcitur jus Romanum. Quod jus olim ſtante Romæ Imperio à tribus orbis partibus fere eſt obſervatum.

℟. 4. Quomodo probabit Heineccius etiam de Sinenſibus, eos Jus Romanum non agnoſcere pro naturaliter juſto? certe natio tam humana Jus tanti imperii Romani à magno Imperatore editum ſuſpiciet ut valde rationabile, ſi ipſis explicetur: Sicut nos doctrinam moralem Confutii, excepta religione, pro tali habemus. Aut ſi Imperii Codices ſtulti & irrationabiles videbuntur Sinenſibus, quales videbuntur libelli Heineccii?

℟. 5. Neque ex Gundlingio, Heineccio, Wolffio &c: *omnes veritates morales* diſci poſſunt: Ergo & Gundlingius & Heineccius & Wolffius ſunt excludendi à diſcendo Jure naturæ.

℟. 6. Sophiſma Gundlingii conſiſtit in illatione rei determinatæ ex ſuppoſitione confuſa. Non omnes, id eſt, *aliquæ indeterminate* veritates non poſſunt diſci ex S. Scriptura: Ergo *determinate iſta* de officiis naturæ non poteſt ex ea diſci. ut ſi dicam: Non omnes libri apte tradunt Jus naturæ: ergo Gundlingii liber inepte illud tradit.

Them. IV. *Jus Civile* non eſt ideo excludendum à jure naturæ, quod gentium exterarum controverſiæ non poſſint decidi ex eodem.

Jus Civile non excludendum, eo quod gentium controverſiæ ex eo non deciduntur.

Heineccius in præfatione ſic Interrogat. *Quid vero ſi gens quædam cum Turcis vel Sinenſibus vel Japonenſibus de violatis fœderum legibus expoſtulat? His ſcilicet facile perſuadebitur, juſta eſſe omnia, quæ non dicam ICti, aut Pontifices Romani, vel Thomas Aquinas, ſed ipſi prophetæ ac Apoſtoli ſcripſerunt* &c. Ex quo vult, Jus civile non pertinere ad diſcendum Jus naturæ.

℟. 1. Si hoc Sinenſibus non perſuadebitur, ne illud quidem perſuadebitur, juſta eſſe omnia, quæ Heineccius, Puffendorffius &c. ſcripſerunt.

℟. 2. Imo ne poſſunt quidem hæc poſteriora juſta videri, ſi juſta non videntur illa priora: quia Heineccius pleraque eadem dicit, quæ in Jure Civili &c: dicebantur: niſi quod multo inefficacius

ficacius & ſteriliter dicat. Si igitur abjiciendum Jus Civile, abjiciendus etiam Heineccius.

℟. 3. Magnæ curæ Heineccii, quas ſibi nec rogatus peperit, ut de Japonum bellis componendis tam neceſſarium librum ſcriberet, nunquam ab iis legendum.

℟. 4. Si à Japonibus violatæ ſunt *leges fœderum*, quæro, habentne tales leges, conſuetudine, ſcriptis aliove modo ſtabilitas? Ex his ergo repetent deciſionem. Si non habent hodie, illas cras vix recipient ab Heineccio. Vid. Cap. II. Th. XXX.

℟. 5. Heineccius hic committit Sophisma quod vocant accidentis. Juri Civili per accidens eſt, quod ignoretur à Sinenſibus: & Heineccius vult, Jus Civile per ſe eſſe inidoneum ad Jura naturæ agnoſcenda. Item eſt Sophisma conſequentis, & à particulari ad univerſale illegitimæ concluſionis: Ex Jure Civili non diſcunt Sinenſes: ergo nemo.

Jus Civile non excludendum ob id, quod non decidat lites Christianorum.

Them. V. Neque ideo à jure naturæ excludendum eſt Civile, quia ex hoc non poſſunt decidi controverſiæ populorum Chriſtianorum.

Præter omnia enim prædicta Reſpondeo 1. Neque ulla poteſt oſtendi controverſia Principum, quæ hactenus ex Grotio & ceteris fuerit deciſa. Nam quod partes litigantes aut bellantes in ſcriptis interdum allegent Grotium & alios, hoc non decidit rem. Allegantur enim etiam Jura Civilia; quibus tamen decidendi vim non admittit Heineccius.

℟. 2. Si dixerint, non ex Grotio, neque Puffendorffio, ſed ex rationibus eorum (in his enim conſiſtit jus naturæ) deciſionem faciendam: nihil efficiunt. Nam rationes multo meliores, clariores copioſiores & confirmatiores repetiuntur in Juris Civilis conſultis, Politicis &c. Ergo ſi poteſt deciſio fieri ex rationibus Grotii & aliorum talium, qui eas tantum expiſcati ſunt ex aliis &c: melius idem fiet ex rationibus ICtorum & ipſius Juris Civilis.

℟. 3. Si dixerint potuiſſe cauſas principum decerni ex Grotio, ſi modo voluiſſent Principes. Idem meliore jure dico de Jure Civili, ſi voluiſſent ex eo deciſionem accipere Principes.

℟. 4. Præterea nulla deciſio litium fit à ſola lege, ſed aut judex requiritur, aut arbitrium ſaltem, aut conventio qualiscunque, aut denique arma.

℟. 5. Si dixerit Heineccius, ſaltem ex Jure naturæ ſcripto poſſe litigantibus aulis ſuggeri ea, quæ ipſis oſtendant jus faſque, aut quæ perſuadeant, ut juri locum dent. Nimis ſimplex Scholarcha eſt Heineccius & aularum ignarus: Nunquam deſunt aulis rationes ſeu pro bello ſeu pro pace: nunquam deſunt exceptiones rationum: ne eo quidem tempore defuerunt, quo literis & ſcholis carebant. Et ſi hoc petitur, rationes nempe in utramque partem, inveniuntur in anterioribus Theologis, ICtis & Politicis tot ac tantæ, ut vix poſſit nova aliqua ab Heineccio excogitari, quæ priores latuerit. Vid. Cap. II. Them. XXX.

℟. 6. Sophisma iterum multiplex hic committitur: Ex Jure Civili non poſſunt decidi ampliſſima negotia: ergo neque cetera &c. Ex Heineccio non poſſunt decidi principatus: ergo nec ſtillicidia.

J. Civile non excludendum, ut ſciatur, quid hoc jure & jure naturæ obligatis.

Them. VI. Neque ob hanc cauſam à jure naturæ excludendum eſt *Jus Civile*, quia alliàs neſcirent homines, ad quid obligati ſint ex jure naturæ, ad quid vero jure civili. Item cur ex jure civili poſſint ad hoc aut illud obligari?

℟. 1. Non eſt neceſſaria notitia hujus diſtinctæ obligationis, niſi in paucis, v. g. matrimonialibus &c: Et naturalem obligationem tum à puero diſcunt ex doctrina Chriſtiana: tum in caſibus dubiis abunde explicata eſt per tot Juris & Theologiæ interpretes, cum quibus in nullam comparationem veniunt iſtorum novorum turbida compendiola. Add. Cap. VIII. Them. IX. Adhæc ad præcepta Juris Civilis obligantur ipſo Jure naturæ. Cum Jus Civile ſit *ipſa ratio*, ſicut confiteri debet Heineccius, Gundlingius & ceteri.

℟. 2. Ratio cur in univerſum obliget Jus Civile, paucis verbis dari poteſt; quia fundatur in doctrina Status & Juris Capite primo & ſecundo à nobis propoſita.

℟. 3. Pro caſibus autem legum & ſingulis legibus Ratio tum in ipſis legibus ſæpiſſime aſſignatur: tum ab ICtis ampliſſime inquiritur, & cuilibet ſtudioſo in ipſis Collegiis Juris ſollicite oſtenditur: Quia *ratio eſt anima legis.* In aliquibus autem non eſt neceſſarium: *Non enim omnium, quæ à majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi debet.*

Jus Civile eſt ipſum Jus Naturæ.

Them. VII. Ipſe Heineccius ceterique fatentur, Jus Civile Romanum eſſe *IPSUM JUS NATURÆ practicum.*

1. Nam in præfatione ait: *Siquis maximam Jurisprudentiæ Romanæ partem JUS NATURALE FACTIS HOMINUM APPLICATUM dixerit, is me non admodum habiturus ſit*

dorſſio nec Wolfio, nec in ullo fere eſt idem ordo, niſi qui alterum penitus exſcripſerit. Ut autem ordinem Juris Romani tueantur, id ego operæ JCtis tranſcribo: qui facile ſciunt, quam multa ſint *inverſa* in ordine novo, quem Heineccius invehere tentavit in Jus Romanum. Sed hoc jam nihil ad me.

8. Eandem fere cantilenam cantat D. *COCCEJUS*. Is enim in Præfatione *Novi Syſtematis Juſtitiæ naturalis & Romanæ*, editi Berolini an. 1740. apud Joannem Petrum Schmid in 8vo, ſic ſtatim incipit. §. I. *GROTIUS* dum
„ incomparabile illud de Jure belli &
„ pacis opus publici Juris fecit, decla-
„ ravit in ipſis prolegomenis, ſe juris
„ prudentiam privatæ diligentiæ ſtudio
„ adjuvare voluiſſe, quia *artis formam*
„ *ei imponere multi antehac deſtinaſſent,*
„ *perfeciſſet nemo*. §. II. Quam infeli-
„ citer id ſummus vir peregerit, ex
„ ipſo tractatu apparet. Præcipuam
„ enim juris Romani partem non ex Jure
„ naturæ demonſtravit, ſed, *vel* ex ju-
„ re naturæ pro certo rerum ſtatu, uti
„ dominia & judicia; *vel* ex jure gen-
„ tium voluntario, uti præcipuos ac-
„ acquirendi modos à JCtis Romanis
„ expoſitos; *vel* ex legibus civilibus,
„ ut reliquos acquirendi modos, item
„ quaſi contractus, & quaſi delicta &c.
„ §. III. *PRIMUS* B. Parens (Coc-
„ cejus Senior) ſpeciales juris Romani
„ partes ex juris naturæ principiis feli-
„ ciſſimo auſu illuſtravit &c. §. IV.
„ Cum vero ſemper perſuaſum mihi
„ fuerit, JCtos non ſine ratione do-
„ cuiſſe, Jus Romanum collectum eſſe
„ ex præceptis *juris Gentium*, à pri-
„ ma juventute in id animum intendi,
„ ut *confuſam juris Romani diſciplinam*
„ *in artem redigerem*, adeoque leges
„ Romanas ex ipſis ſuis fontibus ex-
„ plicarem. §. V. Ad finem hunc obti-
„ nendum alia demonſtrandi via uſus
„ ſum, ac illa, quam B. parens - - - ele-
„ git. Secutus potius ſum in demon-
„ ſtrandis juribus hominum inter ſe ve-
„ teres JCtos, conditores illos juris
„ Romani. - - - §. IX. Dum enim *fon-*
„ *tes juris naturalis* explicamus, *prin-*
„ *cipia ſimul Juris Romani proponimus.*
„ §. X. Ex proceſſu hujus operis ap-
„ parebit (pergit Coccejus) quam ſua-
„ viter concluſiones juris Romani cum
„ ratione naturali conveniant. Ap-
„ parebit, inquam nullam in legibus
„ Romanis, quatenus in Pandectarum
„ libris continentur, ſupereſſe iniqui-
„ tatem; & ea, quæ *mera arbitria* po-
„ puli Romani vel Prætoris vel Sena-
„ tus *HACTENUS viſa ſunt*, lucem
„ ex æquitate naturali accipere.

Poſtquam hæc dixiſſet D. Coccejus ſtatim incipit librum ſyſtematis ſui primum, atque in ipſo Procemii initio §. I. ſic habet: „ Juriſprudentia Ro-
„ mana ideo ſaltem obſcura, & ratio-
„ ni ſæpius minus conveniens videtur,
„ quia corpus illud juris quod vocant,
„ *ABSQUE OMNI ORDINE* tum
„ titulorum tum Legum compilatum;
„ *principia autem generalia* ex quibus
„ ſingulæ leges tanquam totidem con-
„ cluſiones ſequuntur, nullibi expoſi-
„ ta ſunt, etſi leges illæ plerumque
„ *rationibus naturæ* adſtruuntur. §. II.
„ *Hæc principia generalia, hos fontes le-*
„ *gum Romanarum*, id eſt *Rationes na-*
„ *turæ*, quæ in Corpore illo diſper-
„ ſæ ſunt, præſenti opere propoſui-
„ mus, adeoque Jura Romana ex *ſuis*
„ *principiis*, id eſt, ex ratione natu-
„ rali deduximus, eoque probavimus,
„ *Jus Romanum vere ex principiis ju-*
„ *ris naturalis & gentium collectum*
„ *eſſe*. Hactenus D. Coccejus.

9. Non pauca in his invenio ſatis confuſa, quæ obiter ſaltem & per tranſennam notare lubet, ut appareat, quid ſpei ex heterodoxis juris naturæ doctoribus ſuperſit, id quod identidem oſtendere mihi incumbit. Cumprimis in ea opinione eſt D. Coccejus, ante Grotium *multos* tentaſſe, *Jus Romanum in* ſcientiæ ordinem redigere. Non ergo heterodoxi, non Grotius, non B. parens, non ipſe D. Coccejus ſunt primi, qui in hoc deſudarint, quod tamen §. III. indicare videtur. 2do Grotium ipſum id infeliciter peregiſſe. Igitur opinione D. Coccei falſi ſunt clamores heterodoxorum, iactantium, hunc unum eſſe Jovem ſtatorem in pejus ſemper ruentis ignorantiæ. 3tio Peccatum Grotii hoc fuiſſe, quod jus Romanum *non ex Jure naturæ demonſtraverit, ſed EX JURE NATURÆ PRO CERTO RERUM STATU*, ut Dominia. Id quod mihi haud ſatis accurate dictum videtur: videtur enim conficere hanc ſententiam: Grotius *Jus civile non demonſtravit ex Jure naturæ abſtracto, ſed ex jure civili*, vel etiam habet ſententiam hanc: *Grotius Jus naturæ hypotheticum non demonſtravit ex jure naturæ abſtracto, ſed ex jure naturæ hypothetico*. Nam mihi quidem Jus civile & Jus naturæ hypotheticum ſunt fere idem. 4to Quamvis parens Coccei partes juris Romani ex juris naturæ principiis demonſtravit *PRIMUS*, nihilominus filius Coccejus ſibi perſuaſit JCtos docuiſſe, Jus Romanum colle-

Ineptiæ D. Coccejj.

ſtum eſſe ex præceptis Juris gentium; atque ob eam cauſam decrevit confuſam juris naturæ diſciplinam in artem redigere, hoc eſt leges Romanas ex fontibus explicare. Si quis quid cohærens in hoc ſermone repererit, ei vehementer gratulabor. Quamvis parens *primus* fuerit, tamen ego in artem redigam jus, quia JCti docuerunt etiam ante patrem, Jus Romanum ex Jure Gentium peti? Quamvis Columbus primus fuit, qui aliquot inſulas detexit, tamen ego inventionem novi orbis in artem redigam, quia Geographi docuerunt, inſulas eſſe natas ex terra: igitur ego ex ipſa origine inveniam inſulas. 5to Iſtud etiam non ſatis perſpicio: B. Parens *PRIMUS feliciſſimo auſu* partem Juris Romani ex principiis Juris naturæ illuſtravit: at ego filius illud aliter faciam: non faciam ut B. parens ex jure naturæ fecit: ſed faciam ut *veteres* JCti, conditores Romani. Pater meus *primus* Felix fuit, adeoque veteres ante ipſum fuere infelices. Propterea ego nolo felix eſſe in docendo, quemadmodum Pater; ſed faciam ut veteres, id eſt infeliciter. Male hæc ſonant. Aut ſi veteres felices fuerunt, non primus felix B. parens. 6to Poſt ſuum laborem ſperat D. Coccejus deinceps exemptum iri illum errorem, qui *hactenus* obtinuerat, nempe in Pandectis *mera arbitria* populi Romani contineri: Quomodo autem *hactenus* id viſum eſt, cum jam *veteres* JCti & conditores legum Romanarum docuerint, leges Romanas non ex *arbitrio mero*, ſed ex Jure Gentium Collectas eſſe. 7mo Quæ in Procemio ſequuntur, mihi meræ tenebræ ſunt. Ita enim ſonare mihi videntur. In jure Romano non exponuntur Principia generalia legum, ſed tantum Rationes naturæ. Ideo ego Jus Romanum ex ratione naturæ deducam, & ſic deducendo probabo, Jus Romanum ex principiis juris naturæ & gentium collectum eſſe. Neſcio ego, an principia generalia legum & rationes naturæ diverſæ inter ſe ſint? Jus Romanum non eſt deductum ex principiis generalibus, ſed ex rationibus naturæ: hoc peccatum correcturus Coccejus quid faciet? haud dubie Jus Romanum non deducet ex rationibus naturæ, ſed ex principiis generalibus. Id quidem ſperabamus nos, ſed ſpe præcoci; quippe Coccejus §. II. nihil aliud ſe feciſſe fatetur, quam ut *Rationes naturæ* proponeret. Si noſtri Scholaſtici ac Theologi morales hac ſcribendi ratione uterentur, nemora tota in ferulas non ſufficerent, quibus ſtupidi illi homines vapularent. 8vo Adverto, D. quoque Coccejum male tornatum ſermonem huc tamen deducere, ut cum Heineccio atque Gundlingio conſpiret: nimirum Jus Romanum eſſe quidem ipſam rationem, ſed propter ordinem Coccejo diſplicentem non poſſe Jus naturæ diſci ex Jure Romano. Hoc adeo compulit Coccejum, etiam poſt Grotium, & poſt B. Parentem, alterum infelicem alterum felicem, ordinem & viam aliam tenere nempe eandem quam Conditores Juris Romani tenuerant. Conſidera, te oro, prudens lector: Jus Romanum illum habet ordinem, quem ei dederunt Conditores ſui & veteres JCti: Sed hic nullus eſt ordo Igitur venit Coccejus filius, & ut ordinem ex nullo aliquem faciat, ſervat ordinem veterum, qui idem nullus eſt.

10. Quocirca *illud præclarum*, quod neſcivit Heineccius, ante multa ſecula à noſtris feliciter eſt occupatum & Heterodoxi illud præclarum quærentes alibi atque in ſuo fundo ſemper coacti ſunt ad eos ire mendicatum, quorum paupertatem elato ſupercilio exſibilaverant. Quique hæc rite expenderit, agnoſcet, ſpero, poſt multas contradictiones ab his novis doctoribus ad nihil demum aliud deveniri, quam ad id ipſum, quod carſperant, haud paulo deterius faciendum. Nec indignentur nobis, oro, ſi illis applicet antiquitas noſtra idem, quod Jobus in amicos non ſatis ſinceros queſtus erat. *Nunc autem*, ſtomachabatur, *derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei: quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo &c. & mandebant herbas & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus eorum: Qui de convallibus iſta rapientes, cum ſingula reperiſſent, ad ea cum clamore currebant.* Si antiqui doctores ſinguli eriperent his novis pennas, quas ſibi inde collegerunt, appareret turpis nuditas eorum, & ingens paupertas. Nunc tamen non ceſſant deridere veteres, quorum ſpoliis veſtiti ſunt toti; & ſi quid quantumvis perexiguum proferre potuerint, concurrunt & clamores plauſusque cient, jam ad nauſeam totius Europæ, cumprimis infelicis Germaniæ noſtræ. Optata Heinecii implerunt noſtri ante multa ſecula.

Them. VIII. Falſum eſt dogma, ſi qui aſſerunt, in Jure naturæ non eſſe locum *AUCTORITATI*, ſed *tantummodo Rationi*. Auctoritas, non ſola ratio valet in Jure Naturæ.

1. Auctoritatis neceſſitas ad intelligendum jus naturæ eſt fundata ac provenit ab ipſa naturâ. Vid. Cap. VI, Them. III.

2. Sen-

2. Senſus communis, qui eſt principium Juris naturæ agnoſcendi internum, plurimum tamen *innoteſcit* per auctoritatem. Qui enim ſolus aliquid intra ſemet ſentit & experitur, is non ſtatim ſcit, an iſte ſit ſenſus communis, ac naturalis ac rectus: ſed debet probare ſpiritum: & inter alia debet recurrere ad ſenſum communem, ſuumque ſenſum cum *aliorum* communi ſenſu conferre, cumque eorum exemplis & doctrinis. Hoc ipſum autem eſt auctoritatem ad cognoſcendum jus naturæ advocare.

3. Equidem poſſunt contra hoc aliquæ cavillationes fieri, easque facit Bœlius: ſed provocare licet ad omnes bonos non profligatos, an aliter revera & practice res habeat.

alias fit locus juri cerebrino

4. Quod ſi aliter haberet, & rectum eſſet omne id quod quilibet intra ſe privatim exiſtimat, nullo alio advocato in conſilium exteriore, nullum jus poterit unquam habere locum. Fiet enim *JUS CEREBRINUM*, & quod libet licebit, regnabitque *SPIRITUS PRIVATUS*. Leges interpretabitur quilibet pro lubidine: religio ſupernaturalis hoc ipſo excludetur, quia ratione *comprehendi* nequit: cetera fient quæ unicuique conſideranti facile occurrunt. Denique animadvertit S. *Cyrillus* Hieroſol. Catech. V. de Fide, num. III. *Neque vero apud nos tantum, qui Chriſti nomine cenſemur, magna eſt fidei commendatio, verum etiam univerſa, quæ in mundo geruntur & ab eis quoque, qui alieni ſunt ab eccleſia, per fidem tranſiguntur. - - - Nam etiam ſi ſcripturas non recipiant, proprias vero quasdam afferant doctrinas, easdem etiam per fidem recipiunt:* Fides autem nititur auctoritate. Vid. *Cap. IV. & Cap. V. Them. XXIX.* & ſeqq.

& Societas ſubvertitur.

5. Auctoritas adeo neceſſaria præſertim Statui *ſociali cuicumque* moderno, ut ſine ea nullus ſit, ſed chaos. & auctoritas frequentiſſime etiam contra rationem privatam eſt admittenda, ſequenda, eidemque parendum. Sic filii adoleſcentes ſæpe contra rationem ſuam, quæ adhuc debilis eſt, tenentur facere præcepta patris. Sic uxor marito, ſervus Domino, diſcipulus magiſtro, miles duci, civis conſuli, aulicus principi quotidie obtemperant, etiam cum ipſorum ratio contradicit; etſi rationem non capiant, qua Dux, aut Princeps agit vel jubet. Atque hoc non in rebus flocci, ſed ſummis, ac tantis, in quibus obedire non liceret, niſi eſſet obligatio naturalis: e. g. dum toti exercitus in mortem ruunt, dum totæ civitates & provinciæ excidio, parvulorum cædibus, fœminarum ſtupris, ſacrorum proculcationibus ſeſe exponunt. Quoties duo cives litem gravem apud judicem agunt, magnis advocatorum ſtudiis, isque cauſa cadit, de cujus bonitate phyſice ipſe certus eſt, & tamen captivato intellectu obtemperat, etiam conſcientiâ ductus ob hoc ſaltem ne rem turbet publicam? niſi potius Divinam in hac auctoritate providentiam adoraret.

Puffendorfii contradictio

Puffendorffius igitur, qui totum jus naturæ conſtituit in ſocialitate, ejusque executionem in ipſa ſocietate; is totum ædificium ſuum deſtruit, ſi excludit auctoritatem. Cum auctoritas ſit medium prope unicum, quo jura ſocialitatis in ipſam ſocietatem propagentur, & in eadem conſerventur: auctoritate autem ſublata neceſſe ſit omnem ſocietatem diſſolvi, adeoque omnem juris naturæ Puffendorffiani tam agnitionem quam executionem ceſſare.

6. DEus ſic etiam providit totis gentibus & ſocietati complexæ: ab orbe enim condito fuit ſemper aliquis monarcha, cujus metu & auctoritate multæ minores gentes ſubditæ & vicinæ continerentur in officio, nec tam facile aut prompte in quotidiana bella & injurias prorumperent: Quanquam etiam hi abuſi ſint auctoritate, ſicut nullus eſt homo qui non etiam abutatur ratione.

Absque auctoritate nulla poteſtas juris naturæ

7. Quid quod auctoritas ſit pars legis naturæ? Nam *honora patrem & matrem*, non eſt ſitum in quibusdam inanibus ceremoniis, ſed in obſequio, ut per eorum auctoritatem diſcamus, quid nobis ſit faciendum. Quod cum non ad ſolos progenitores ſed ad quoslibet, qui patrum loco eſſe poſſunt, pertineat, ad magiſtratus, ad Principes &c. liquet vel hinc, quam pernicioſam reipublicæ, & periculoſam Principibus Doctrinam ſeminent Juris naturæ novatores. Si enim ratio naturalis eſt id, *quo unico dirigenda* vita eſt etiam in ſtatu moderno non nude naturali, *excluſa auctoritate*, obſecro quid erit Princeps, quid magiſtratus? Si leges civiles item per rationem examinandæ ſunt, ut ratione earum non deprehenſa fas ſit ab iis deſciſcere; quid facient Principes, quorum juſſa ſunt illæ leges?

8. Monſtroſa eſt Novatorum doctrina ac ſecum pugnans. Jam enim à jure naturæ excludunt omnem auctoritatem, ſolaque ratione vivendum decernunt: mox in eadem diſciplina docent, Principis poteſtatem, in-

finitam, etiam ſupra ſacra eſſe; idque docent, in Jure ſuo naturæ. Nullus enim eſt iſtorum novatorum, qui non huc tendat; eo, credo, conſilio, ut corruptis & corrumpentibus libris viam faciant: Si enim hoc non docerent, Vulcanus in eorum libros armaretur à quibusdam. Malunt ergo contradictoria docere, quam non diſſentire ab omni antiquitate, præcipue Catholica.

Ariſtoteles admittit auctoritatem in demonſtrandis obligationibus Juris Naturæ. 9. Ariſtoteles agnovit, ad inveniendas & probandas naturales hominis obligationes recte ſervire auctoritatem. Nam Lib. I. Ethicor. Cap. VIII. ait. *Conſiderandum eſt igitur de Summo bono & fine, non ex concluſione ſolum & iis, ex quibus eſt IPSA RATIO, ſed ex iis etiam, QUÆ DE IPSO DICUNTUR. Vero namque omnia, quæ competunt, conſona ſunt, à falſo autem cito ipſum diſcrepat verum.* Itaque Ariſtoteles ex eo, quod antiqui de fine hominis abierint quidem in varias opiniones, nullus tamen Virtutem à ratione finis excluſerit, infert: Ergo verum debet eſſe, virtutem eſſe finem. *Hæc partim multi & antiqui, partim pauci viri que dicunt præclari, quorum neutros tota via aberrare, ſed aliqua ex parte in pluribus vera attingere, conſentaneum eſt rationi.* Ibid.

Item Plato. 10. *Plato* in Theæteto ait: *Abunde à nobis adverſus tuum præceptorem dictum eſt, quod neceſſario fatendum illi ſit, alium alio ſapientiorem eſſe, & illum quidem ſapientem hominem rerum* (ſcilicet *agendarum*, quia loquitur de juſto ac lege) *eſſe menſuram: nihil autem neceſſe eſſe, me, qui imperitus ſum, eſſe menſuram.*

& Wolfius. 11. *Wolfius* In præfatione Philoſophiæ practicæ profitetur vulgus, & eos qui vulgo non altius in moralibus ſapiunt, in jure naturæ *teneri* ſtare *auctoritate* ſapientum. Hoc igitur ſuppoſito, quod etiam aliter fieri in hoc humano genere non poteſt, id ſolum quæritur, quinam ſint illi, qui in moralibus altius & qui humilius ſapiant? Auſim ego provocare ad experientiam, & teſtes voco eos omnes, qui conſcientiæ atque geſtorum aliorum notitiam habent. Ruſtica plebs, juventus, & inter doctos illi, qui ſimplices magis quam acuti ſunt, an non iſti ſolidius inſiſtant uni principio morali, quam ſophorum iſtorum turba, naturaliſtarum præcipue, qui dum naturam quærunt ſine naturæ principio, non poſſunt ad prima pertingere, ſed ſemper in ultimis hærent. Unquamne ſimplex aliquis vir tanta in moralibus ſophismata pro fundamento agendorum ſtatuit, quanta Puffendorfius ac Wolfius, aliique ſophi. Vid. Cap. X. & XII. XIII. XVI. & XVII. Reſpondeat Wolfius: an altius ſapit, qui finem hominis claudit cum corpore, an Plato & humilis plebs, qui eundem quærunt in æternitate? An altius ſapit is, qui ſine DEO per ſceleratum atheum ſervari legem naturæ, acquiri virtutem, ſummum bonum ac felicitatem obtineri ſentit ac docet; an vero is potius, qui ſolum DEum eſſe primum verum ac ſummum bonum, cetera omnia nonniſi hinc & ab illo fonte bona, juſta, ſanctaque eſſe firmiſſime tenet ac ſentit, ſeu ſententiam hanc ſubtilis Philoſophus vocet opinionem ſeu exiſtimationem, ſeu fidem aut perſuaſionem ſeu ſcientiam. An non potius profani ſunt & curvæ in terras animæ, qui juſtitiæ regulam non in cælo quærunt, ſed in luto humanæ carnis & eſſentia etiam animæ humanæ, quæ per ſe nihil eſt? Nonne hi potius evanuerunt in cogitationibus ſuis, & traditi in reprobum ſenſum cum DEum agnoſcere ſe dicant, tamen non ſicut DEum glorificaverunt, ſed DEI negatoribus amici facti *ſummum bonum*, id eſt *finem omnium bonarum actionum & moralitatis principium* in eſſentia ac natura, quæ per ſe non eſt, repoſuerunt.

Auctoritas indicat Jus naturæ etiam ex heterodoxorum ſententia. *Them. IX. AUCTORITAS non ſola ratio* eſt principium indicativum Juris naturæ etiam ex Heterodoxorum doctrina, & alias ex ipſa experientia. Adverſarii peccant in Cap. III. Them. IV. & Cap. IV. Them. I. &c.

1. Puffendorfius, qui in Præfatione legem edixerat, *ſolis rationibus* ſecum agendum eſſe, is vitio vertit Grotio, quod Juri Belli & pacis quædam perperam dicta inſeruerit, *per quæ etiam veris ac utiliter dictis AUCTORITAS detrahitur.* Curanda igitur illius opinione in jure naturæ ſcribendo auctoritas. Idem porro L. II. J. N. Cap. III. §. 14. ait: *Nobis nulla via propior videtur & magis adpoſita ad inveſtigandum jus naturale, quàm ipſam hominis naturam, conditionemque, & inclinationes adcuratius contemplari.* Recte; ſed non eſt hoc inventum Puffendorfii. Nec Socrates ita fungus fuit, ut aliunde repeteret: nec Cicero Lib. IV. de Finibus Cap. X. & totis illis libris & libris de Legibus maxime primo. Verbo omnes Philoſophi & ſapientes id fecerunt.

2. *Adcuratius* inſpecta natura quid tandem novus inventor deprehendit? Tria tantum 1. Amorem ſui ſuper omnia ſeu maximum 2. Summam imbecillitatem. 3. Propenſionem hominis ad nocen-

nocendum jam ex ſola libidine jam omnino ex neceſſitate. Ex quibus eruit neceſſitatem *Socialitatis*, cui totum jus naturæ inædificat. Unde videas imbecilitatem intellectus ſibi ſoli credentis. Si enim Puffendorffius vel parum dare voluiſſet diſciplinæ & auctoritati majorum, ab his potuiſſet diſcere multo plura ac meliora ex quibus jus naturæ eſſet eruendum. Qualia nos ſupra indicavimus non à nobis inventa ſed ab aliis. Nunc autem ſe ſolum adhibens in Conſilium, invenit tria ſola, eaque falſa & ſecum pugnantia.

3. Falſiſſimus eſt enim & Sacrilegus *Amor ſui maximus*, & ipſum verum Naturaliſticæ infidelitatis ac Atheiſmi fundamentum, minime vero Juris. Ille *nocendi appetitus*, quem ait, falſus eſt? non enim ex ipſa hominis nuda natura oritur, ſed ex ſocietate demum: qui enim ſolus poſſideret aliquid vel ſolus viveret, non haberet appetitum nocendi cuiquam, cum tamen veram naturam humanam haberet.

4. Pugnant etiam iſta ſecum: Nam ſi homo animal eſt ex *lubidine & ipſa neceſſitate tam noxium*, præſtat ab omni ejus conſortio ſibi longe proſpicere: & DEus obligans ad ſocietatem iſtarum ferarum colendam, magnam pœnam immerenti impoſuiſſet. Vide iſta latius Cap. XIII. Them. V. &c.

ob imbecillitatem unius hominis.

5. Si vera eſt illa, quam prope infinitam Puffendorffius facit imbecillitas hominis, ut ſine *hominum* auxilio *nihil* fere poſſit: conſequitur hinc, hominem maxime indigere doctrina, diſciplina, id eſt auctoritate aliorum hominum, neque ad aliud magis, quam ad diſcendum officium humanum; cum his officiis inſtructi ex utero matris non prodeant. Hinc ille immenſus appetitus ſciendi ac ſciſcitandi in puerulis, qui toties petendo ipſa naturæ voce jubent, auctoritate parentum vel præceptorum ſibi accendi lucernam juris.

puerorum rudium.

6. Puerorum inſtar ſunt innumeri alii homines plebeij, agreſtes, aliique rudes, quibus tam eſt tenuis ſavilla rationis, ut ex eodem vix decimam partem officiorum, æterna omnia ex ſola fere auctoritate haurire debeant: eaque longe maxima eſt generis humani pars.

Ipſorum heterodoxorum.

7. Ipſum Heterodoxorum exemplum probat, auctoritatem valere ad diſcendum jus naturæ. Si enim hic non valet auctoritas, nullus debet ſuſcipere magiſterium, aut docere quemquam jura naturæ: docentis enim multa debet eſſe auctoritas. At ipſi per annos centum tanto iſta docendi pruritu ſunt correpti, ut quotannis novus aliquis Juris naturæ Doctor in ſcenam prodeat, pro inventis à ſe tanquam pro ipſius naturæ aris pugnans. Igitur agnoſcunt iſti, ad addiſcenda jura naturæ non ſatis eſſe appetitum ſocietatis, ſed & chartas & libros conducere, abſque hoc ſi eſſet, chartis pepercissent, atque homines noſtros permiſiſſent ſolam meditari ſocialitatem.

quorum libri non ſunt ipſa ratio.

8. Neque dicant, ſuos libros non conſtare auctoritate, ſed *IPSA RATIONE*, id quod Heineccius de ſuo libro profitetur. Nam id ſi quidquam veri haberet, non poſſent recentiores contradicere prioribus, neque Heineccius illos anteceſſores ſuos poſſet neceſſario derelinquendos declarare, *ipſi enim rationi* refragari, *ipſam rationem* deſerere piaculum eſt.

Puffendorffius auctoritatem admittit in J. N.

9. Puffendorffius Jur. Nat. Lib. II. Cap. III. §. 13. admittit: *Qui autem per ingenii hebetudinem demonſtrationes nectere ignorat, valde impudens eſt, ſi ſui cerebri dictatis, quatenus à RECEPTIS SENTENTIIS abeunt, aliquid tribuendum putaverit.* Qui autem ſunt illi, qui non ignorent demonſtrationes nectere in moralibus? Non *Grotius*, quem contemnunt plurimi, ut Philoſophia carentem; non *Puffendorffius*, cujus, cum ſerio quid agit, tot fere ſunt paralogiſmi & ineptiæ, quot verba, quod Cap. XIII. oſtendimus. Non *Wolffius*, Capite XV. & XVI. à nobis denudandus. Non Thomaſius, Kemerichius &c. Quia hi omnes mutuo ſe accuſant ignorantiæ, & falſorum principiorum. Igitur hi omnes *impudentiſſimi ſunt, ſi ſui cerebri dictatis, quatenus à RECEPTIS SENTENTIIS abeunt, aliquid tribuendum putaverint.* Ergo etiam doctiſſimi quique & demonſtrationum nectendarum ſua opinione peritiſſimi indigent auctoritate *receptarum ſententiarum*, ne ab iis diſcedant. Sic quidem Puffendorffius contra ſuasmet regulas fateri cogitur, ac vel imprudens veritatis invicto imperio parere, qui ibidem dicere pergit: *Vulgo autem, quod legem naturæ ex populari informatione uſuque publico haurire ſolet, ad ejusdem certitudinem SATIS ESSE DEBET AUCTORITAS ſuperiorum, qui illud in civitatibus exerceri curant; & quod ipſi rationes probabiles deſint, quibus ejusdem veritas labefactari aut convelli poſſit; & quod præſentem ipſius utilitatem quotidie deprehendit. QUO IPSO ETIAM LEX NATURALIS SUFFICIENTER PROMULGATA INTELLIGITUR, UT NEMO ADULTUS*

impudentes di ens aliter ſentientes.

ET

ET MENTIS COMPOS INVINCIBILEM EJUS IGNORATIAM OBTENDERE POSSIT. Hæc ille. Quorſum ergo veſtræ ſcholæ? Vulgus plerumque ſincerius agnoſcit jus naturæ, quia legibus credit. Studioſi hi cum leges ad examen audacter vocant, incidunt in libertatem exlegem, Juri naturæ inimicam. Habemus ergo faſendem Puffendorffium, per *auctoritatem publicam* adeo ſufficientet promulgari ſeu ſignificari legem naturæ, ut debiliora ingenia, & demonſtrationum ignara *non poſſint* eam ignorare. Talia autem ingenia cum ſint ex centum hominum partibus ſaltem nonaginta novem cum tribus quadrantibus, conficitur, toti hominum generi, ſi pauculos demas, Jus naturæ demonſtrari auctoritate. Notanda autem ſunt verba Puffendotfii: Vulgo ſufficere debere auctoritatem ſuperiorum ideo, quia *vulgo deſunt rationes probabiles*, quibus eam convellat: item ideo, quia *utilitatem præſentem* cernit quotidie. Ceſſante igitur apud alios ratione hac duplici & cauſa, quid fiet? Nempe quotidie aliquis *probabilem rationem* invenit, qua convellere ſibi videtur auctoritatem ſuperiorum vel legum, item quoties *utilitatem præſentem* non videt, ſed transgreſſionem in præſens ſibi utiliorem exiſtimat, toties vivet ſecundum hanc, convulſa auctoritate. Per hoc autem docet Puffendorffius facere id, quod Anacharſis dicebat eſſe abuſum in legibus: per hunc enim abuſum, ajebat ad Solonem leges ſimiles eſſe aranearum telis, quibus muſcæ quidem & papiliones irretirentur, at veſpertilio ſuperveniens muſcas cum ipſis telis prorſus auferret. Sic fiet, ut leges miſero tantum vulgo ſint poſitæ, Principes vero, aulici, nobiles, docti, & paulo ultra vulgum emerſi iis ſint abſoluti; quia hi facile invenient aut *rationem probabilem*, qua auctoritatem legum convellant; aut *utilitate lucroque præſente* ducti hanc ſequentur velut legem ſuam naturalem, certe Puffendorffianam, calcatis legibus civili, etiamque divina.

Puffendorffi Libertiniſmus & Epicuriſmus

10. Ariſtoteles pro fundamento poſuit, *Diſcentem oportet credere.* Diſcentes autem (quod ille JCtus agnovit) omnes ſumus, etiam cum alterum jam pedem in tumulo habemus: Nec Pythagaræ à quoquam ſuccenſetur, niſi quod *nimium* extendit auctoritatem fortaſſis etiam ad ea, quæ non practica ſed ſpeculativa ſunt naturalia, ut Phyſica, in quibus haud dubie minimus eſt auctoritatis locus: ampliſſimus autem in practicis moralibus. Præterea omnes homines ſemel ſunt rudes, ac debent diſcere: ergo omnes homines ſemel debent auctoritate duci.

Omnes diſcere debent: ergo credere

11. Hiſtoria ſocietatis Regiæ Pariſinæ Anno 1703. pag. 18. refert de juvene, qui adultioribus annis aurium uſum receperat, is ſurdus, quamquam omnina faceret ac imitaretur, quæ majores geſtu & exemplo docebant, auditu tamen recepto nullum callebat principium obligationis moralis; cum tamen ratione eſſet omnino præditus, & deinde exiguo tempore omnia moralia aliaque principia facile comprehenderet. Nimirum ſurdo defuere principia, quia illa non accepit, quia auctoritas eum non affecit quia caruit organo, per quod auctoritas illaberetur. Adeo vere profundeque definivit Apoſtolus: *Fides ex auditu* eſt, auditus autem per verbum. Roman. X. ℣. 17.

Exemplum juvenis ex ſurdo audientis.

12. Luculenter hoc ex ipſa ratione oſtendit S. *AUGUSTINUS* in eodem argumento, nempe Libro I. de Moribus Eccleſiæ Cap. II. *Unde igitur*, inquit, *Exoriar? Ab auctoritate, an à ratione? NATURÆ QUIDEM ORDO ITA SE HABET, UT CUM ALIQUID DISCIMUS, RATIONEM PRÆCEDAT AUCTORITAS. Nam infirma ratio videri poteſt, quæ cum reddita fuerit, auctoritatem poſtea, per quam firmetur, aſſumit. Sed quia caliginantes hominum mentes conſuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perſpicuitati ſinceritatique rationis adſpectum idoneum intendere nequeunt; ſaluberrime comparatum eſt, ut in lucem veritatis aciem titubantem veluti ramis humanis opacata inducat auctoritas. Sed quoniam cum iis nobis res eſt, qui OMNIA CONTRA ORDINEM ET SENTIUNT ET LOQUUNTUR, ET GERUNT* (nempe cum hæreticis) *nihil aliud maxime dicunt, niſi RATIONEM PRIUS ESSE REDDENDAM, morem illis geram, QUOD FATEAR IN DISPUTANDO VITIOSUM ESSE, ſuſcipiam. - - - RATIONE igitur quæramus, QUEMADMODUM SIT HOMINI VIVENDUM?* Ubi vides Sanctum Patrem de Jure naturæ diſcendo agere, nempe quomodo ſit homini vivendum. Fatetur vitioſum eſſe,

S. *Auguſtinus* in jure naturæ primas cedit *auctoritati*

cedit tamen iniquitati hæreticorum Rationem ſoluam crepantium.

ut

ut in hoc incipjatur à ratione, iniquitate tamen hæreticorum nil niſi *rationem ſolam* ſemper crepantium adactum eſſe, ut vitio gerat morem invitus.

B. Auguſtinus auctoritatem commendat in J. N.

13. Iterum *B. AUGUSTINUS* Libro de Quantitate animæ Cap. VII. num. 12. ait: *Aliud eſt enim cum auctoritati credimus, aliud cum rationi. AUCTORITATI CREDERE MAGNUM COMPENDIUM EST, ET NULLUS LABOR. Quod ſi te delectat, poteris multa legere, quæ magni & divini viri de his rebus* (loquitur autem de ſpeculativis, & omnino mathematicis) *neceſſaria quæ videbantur, ſalubriter imperitioribus quaſi nutu quodam locuti ſunt, credique ſibi voluerunt ab iis, quorum animis vel tardioribus vel implicatioribus alia ſalus eſſe non poteſt. Tales enim homines, quorum profecto maxima multitudo eſt, ſi ratione volunt verum comprehendere, SIMILITUDINIBUS RATIONUM FACILLIME DECIPIUNTUR, ET IN VARIAS NOXIASQUE OPINIONES ITA LABUNTUR, ut emergere inde ac liberari aut nunquam aut ægerrime queant. HIS ERGO TUTISSIMUM EST, EXCELLENTISSIMÆ AUCTORITATI CREDERE, ET SECUNDUM HOC AGERE VITAM. - - - Si autem cupiditatem iſtam refrænare non potes, qua tibi perſuaſiſti, RATIONE pervenire ad veritatem, MULTI ET LONGI CIRCUITUS TIBI TOLERANDI SUNT, UT NON RATIO TE ABDUCAT, NISI EA, QUÆ SOLA RATIO DICENDA EST, ID EST VERA RATIO; & non ſolum vera, ſed ita certa & ab omni ſimilitudine falſitatis aliena* &c. Egregie hæc quadrant in larvatos Juris naturæ doctores, velut Divus Auguſtinus Puffendorffium, Heineccium, Wolffium, Gundlingium reliquamque larvatorum turbam coram habuiſſet inſtruendam.

Iterum Auguſtinus

14. Idem *AUGUSTINUS* inter quinque gradus animæ ad puritatem tendentis hunc profecto proximum conſtituit: *Societatem humanam magni pendere, nihilque velle alteri, quod ſibi nolit accidere: SEQUI AUCTORITATEM AC PRÆCEPTA SAPIENTUM, AC PER HÆC LOQUI SIBI DEUM CREDERE.* Libro de Quant. Animæ. n. 73. Societati ergo adverſus eſt etiam Puffendorffius ſuaque magalia evertit, cum auctoritatem exeſſe jubet.

15. Alio loco S. Auguſtinus de Jure naturæ quomodo illud diſcendum ſit, ſic ſuadet: *Hæc autem diſciplina ipſa DEI lex eſt, quæ apud eum fixa & inconcuſſa ſemper manens in ſapientes animas quaſi tranſcribitur, ut tanto ſe ſciant vivere melius tantoque ſublimius, quanto & perfectius eam contemplantur intelligendo, & vivendo cuſtodiunt diligentius. HÆC IGITUR DISCIPLINA EIS, QUI ILLAM NOSSE DESIDERANT, SIMUL geminum ordinem ſequi jubet, cujus una pars vitæ, altera eruditionis eſt. Adoleſcentibus ergo ſtudioſis ejus ita vivendum eſt, ut à venereis rebus, ab illecebris ventris &c, ſe abſtineant. - - - Sequitur ut dicam, QUOMODO STUDIOSI ERUDIRI DEBEANT, QUI SICUT DICTUM EST* (nempe ad leges naturæ) *VIVERE INSTITUERUNT. AD DISCENDUM ITEM NECESSARIO DUPLICITER DUCIMUR, AUCTORITATE ET RATIONE. TEMPORE AUCTORITAS, RE AUTEM RATIO PRIOR EST. Aliud eſt enim, quod in agendo anteponitur, aliud quod pluris in appetendo æſtimatur. Itaque quamquam bonorum auctoritas imperitæ multitudini videatur eſſe ſalubrior, ratio vero aptior eruditis; tamen, quia NULLUS HOMINUM NISI EX IMPERITO PERITUS fit; nullus autem imperitus novit, qualem ſe debeat præbere docentibus, & quali vita eſſe docilis poſſit, evenit, ut OMNIBUS BONA MAGNA ET OCCULTA* (hoc eſt ſibi nondum nota) *DISCERE CUPIENTIBUS NON APERIAT NISI AUCTORITAS JANUAM; quam quisque ingreſſus ſine ulla dubitatione vitæ optimæ præcepta ſectatur. Per quæ cum docilis factus fuerit, TUM DEMUM diſcet, & quanta ratione prædita ſint ea ipſa, quæ ſecutus eſt ante rationem; & QUID SIT IPSA RATIO, QUAM POST AUCTORITATIS INCUNABULA firmus & idoneus jam ſequitur* &c. Lib. II. de Ordine Cap. VIII. & IX.

auctoritatem in diſcendo præcedere docet.

16. Hic, ni fallor, haud paulo prudentior eſt ordo diſcendi officii & juris naturæ, quam qualem præcipiunt larvati doctores præpoſterum; qui jubent adoleſcentulos, id eſt rudes, prius ratione ſua niti, tum denique auctoritatem

CAPUT X.

Num Religio aut Sacra Scriptura ſit excludenda ex Jure naturæ docendo, aut ex principiis illius indicativis?

* Capitis VII. Themate XIII. præcipuum Juris naturæ indicativum ſtatuimus S. Scripturam. Hoc tanti momenti eſt, ut illud, & quidquid huc pertinet, accuratius ſit examinandum.

Larvati doctores fœdiſſimos errores invenerunt.

Them. I. Ex falſo Juris naturæ ſtudio tam multiplex & monſtroſus error prodiit, ut ſit fœdum & relatu miſerum.

Hoc thema ampliſſime comprobavit Clariſſimus *P. SCHAWRTZ* Juris Naturæ Part. I. Tit. III. Inſtruct. II. ſed & aliàs paſſim. Quem legendum conſulimus, hic tantum paucula ſpecimina depromptturi, exempli duntaxat cauſa.

Puffendorffii contradictiones.

1. *PUFFENDORFFIUS* in Jure naturæ Religionem à Juſto naturali excludit. Et debet ſane excludere, quia ex ſuo principio *Socialitatis humanæ* non poteſt eam deducere. Contrà in libro de officio hominis ac civis, quod eſt compendium Juris naturæ, religionem ſaltem indirecte attingit. Vid. P. *Schwartz.*

2. *Idem* docet, religionem non tantum in ſtatu naturæ nudæ, ſed & in civili, & in ſtatu legis gratiæ eſſe cuivis liberam. Contrà docet, Principes habere poteſtatem etiam pœnis coërcendi Idololatras, magos, blaſphemos. Et Rurſus tamen alibi docet, Principes habere poteſtatem curandi religionem internam ſubditorum, de *externo* autem cultu non multum ſollicitos eſſe debere.

3. *Idem* docet, leges eccleſiaſticas tantum ex *conventione libera* libertate naturali ſtatutas eſſe, ac ne principibus quidem Chriſtianis fas eſſe contra tabulas illas conventionales aliquid præcipere, aut aliter quam ex his tabulis definire lites religionis; cum populus in hac parte non renuntiaverit libertati naturali. Ex quo ſequitur, religionem non eſſe officii naturalis, ſed permiſſam tantum libero arbitrio. Item ſequitur, à Chriſto religionem nemini præceptam; aut non obſtante Præcepto Chriſtianos, quamvis præcepto agnito ſe ſubjecerint, eſſe liberos ad ſequendum vel non. Alibi contrà docet, Principibus adeſſe poteſtatem leges eccleſiaſticas ſeu conventionales abrogandi, novaſque ſtatuendi. Et rurſus contrà docet, nihil in religione poſſe Concilia; cum quivis propriæ fidei judex ſit, donec in ſupremo judicio judicium à Domino feratur.

4. Atque talia ſcribit Puffendorffius in inſtruendo Jure naturæ & in libello de religione ad Jus naturæ exigenda, quod tamen Jus naturæ profitetur ſe ſcripſiſſe pro ſtatu aliquo, qui abſtrahat à religione, & qualis ſtatus nec ſit nec fuerit, nec eſſe poſſit, niſi in concavo lunæ. In illo autem ſtatu ajebat non conſtare de ulla hominis felicitate poſt hanc vitam, nec de pœnis à DEO ſtatutis aut præmiis. Et quomodo in ſtatu, pro quo ſcripſit ſuum jus, potuit conſtare de extremo judicio? & quidem de judicio ſupra religionem, quæ ad ſuum naturale (utpote abſtractum & nunquam futurum) jus nullo modo pertineat, cum ea religio actu extet. Igitur manifeſtum eſt, iſtum hominem miſcere ima ſummis, eandemque religionem, quam homines ſine revelatione colerent, colendam proponere Chriſtianis, eamque ſolam. In quæ abſona, contraria, & contradictoria eum præcipitarunt tum ignorantia ſua tum maxime odium Vatinianum Catholicorum, quorum ſacra ſi per ipſum ſtaret, exuſta ſqualerent omnia.

Thomaſii fœda doctrina & pugna.

6. *THOMASIUS* naturalem religionem ad figmenta rejicit, & à Juris prudentia naturali plane excludit. *Alibi* contrà eam ad Jus naturæ admittit, ſed ultimo loco ac dignitate poſtremam, ita ſane, ut ante omnia cavendum ſedulo ſit, ne religio ſupra ſtatum civilem dominetur, ſed conſtanti in ſervitute teneatur. *Alibi* dicit, juſtum eſſe DEUM coli, non autem naturaliter præceptum; quia ratio nihil deprehendat, cur DEUS velit coli ſive à ſingulis ſive à ſocietate.

Fleiſcheri abſurda.

7. *FLEISCHERUS* in Inſtit. Jur. Nat. docet, abſurdum eſſe, dicere, obligari nos ex regulis juſti ad cultum internum. Gloriam DEI non promoveri agendo juſta honeſta; impoſtores eſſe, qui gloriam DEI promovendam

* *R. P. Deſing Part I.*

turent. Cultum autem externum DEI tantum ad regulas *decori* pertinere; quia hæ exigunt, ut homo in *indifferentibus* (qualis eſt cultus DEI externus) ſeſe accommodet aliis. Hactenus fere ex P. *Schwartz*.

Hobbii impietas.

8. *HOBBIUS* ſeu *Hobbeſius* ſicut omnem obligationem non niſi ex pactis deducit, ante quæ nihil fuerit juſtum, ita omnem etiam religionem. Alia præterea impia, æternoque ſilentio ac tenebris digna.

Velthuſii contradictio.

9. *VELTHUSIUS* operum ſuorum Tom. I. pag. 370. Religionem omnem ſubjicit principi. Et p. 368. admittit, ex ſuâ doctrina ſequi contradictoria, Cap. IX. *in quo quædam, quæ ex dictis profluunt, exhibentur ſequelæ. Sequitur*, inquit, *primo, magiſtratum unquam regimini ſubeſſe eccleſiæ. - - - Si Chriſtianus eſt, eccleſiæ & regiminis eccleſiaſtici caput eſt. Et ſi magiſtratus privatis aliquid credendum aut faciendum præcipiat, cui ſalva conſcientia ſubditi non poſſunt obſequi &c: tum à publica ipſis licet ſecedere, privatamque erigere eccleſiam.* Hoc admiſſo mox tamen eodem loco docet: *Sub magiſtratu Chriſtiano Naturali uti jure non licet; ſed in hac controverſia de gubernatione eccleſiæ mandata tantum expreſſa conſideranda & obſervanda ſunt.* Qui paulo ante contrarium docuerat, cum diceret, Belgas ſeu Hollandos ſub Philippo II. rege naturali jure uſos ſeceſſionem feciſſe ab eccleſia & ab religione per Chriſtianum principem Philippum *expreſſe mandata*. Idem Velthuſius inter ſequelas ſuæ doctrinæ ipſemet numerat doctrinam omnium Calvinianorum, quamvis ipſi contradixerit vehementer Academia Lugdunenſis. Maxime vero ſe confirmat horrendâ doctrina *TRIGLANDI* in libro de Civili & eccleſiaſtica poteſtate p. 317.

& inſana impietas.

Ad civilem poteſtatem pertinet judicare & ſtatuere, quanam religio inter cives publice exercenda ſit. Si magiſtratus à VERA religione recedat, FALSAMQUE in locum ejus introducat, ſua quidem abutitur poteſtate, VERUM TAMEN JUS HABET ILLUD FACIENDI, nempe falſam religionem præcipiendi.

Heineccii ſecum ipſo pugna.

10. *HEINECCIUS* quoque profeſſus ſcribere jus naturæ pro Sinenſibus, imo ne pro his quidem, ſed *pro ſtatu fictitio*, qui nec eſt nec erit, & pro nuda natura; tamen in hoc ſuo nudo & implumi jure naturæ curam ſuſcipit religionis Chriſtianæ, eccleſiæ & Conciliorum. Expendat autem prudens lector: Si Heineccius ſcribit jus naturæ pro moderno ſtatu, qua fronte ex illo jubet abeſſe Chriſtum, Apoſtolos, leges? quæ conſtituunt modernum noſtrum ſtatum; cum hæc ſint illa *certa ac ſtabilis ratio vivendi*, qua nos vivimus. Vid. Cap. I. Them. I. Si vero ſcribit Heineccius jus naturæ tale in quo nullus ſit locus Chriſtianæ religioni, ſed ſit ab illa tanquam ab *ignota* abſtrahendum, qua ſcribendi prudentiâ in hoc ſuo opere tradit præcepta de religione Chriſtiana, de eccleſia noſtra, de Conciliis noſtris? Hæc in ſtatu fictitio nudæ naturæ utique non invenerit Heineccius? Nempe omnium iſtorum larvatorum, nudam naturam clamantium nullus alius unquam fuit ſcopus, quam ut profeſſi diſſimulaturos ſe religionem Chriſtinam, hæreſes & virus & inimicitias ſpargerent in Catholicam eccleſiam. Hæc eſt cauſa unica, qua penſi non habent ſua promiſſa fallere, ignorantiam ſuam denudare, orbique docto ſe exſibilandos proſtituere, dum livori, odio, furiisque in Catholicos fecerint ſatis. Nam ſi hæc, quæ Clariſ. P. Schwartz, & ego poſt illum hoc in libro de ipſis in propatulo exponimus, propudioſa & erubeſcenda non ſunt, dejerem ego, à toto mundo periiſſe frontem.

Puffendorffii inſcitus livor.

11. Neque dimittendus adhuc *PUFFENDORFFIUS* eſt, quamque præclare de religione Chriſtiana ſentiat, indicandum. In commentatione ſuper Bullam Clementis IX. PP. Sic incipit: „Religionem Chriſtianam conſtat ab initio, *non conſenſu aut decreto ſummarum poteſtatum* in civitates publice receptam, ſed ſenſim, „& tacitis velut gradibus *irrepſiſſe*; „plebe cumprimis eandem paſſim arripiente eo avidius, quod illa adverſa fere fortuna preſſa aut cum „tenui ſorte collectari ſolita mire caperetur dogmatibus, quæ & præſentem numinis gratiam inter triſtiſſima quæque, & non finiendam gaudiorum vim poſt mortem pollicebatur. Ipſi principes, & quod in civitate eminens dignitate, ſapientiamque profeſſi, quibus vetera aboleri inſtituta diſplicebat, & omnia nova, ab plebe præſertim profecta, faſtidiebantur, ſerius eidem ſeſe religioni adplicuerunt; & poſtquam diu fruſtra eandem impugnando deprehenderant, *inolitas animis perſuaſiones* haud quidquam ſuppliciis „extingui, quin potius ex oppoſita

„ Vie-

„ violentia altius radices figere; vel potius incaſſum cadere omnes mortalium conatus, qui DEO deſtinata convellere aggrediuntur. Per iſthoc igitur tempus, quo religio Chriſtiana ſummis poteſtatibus ignorabatur aut oppugnabatur, ipſi Chriſtiani inter ſe *utcumque* eccleſiam adminiſtrabant, doctoreſque omnium ſuffragio electi aut conſenſu approbati collatis fere ſtipibus alebantur. Inter ipſos vero doctores præcipui, quos epiſcoporum vocabulo inſigniri placuit, conventus agitabant, prout neceſſitas falſi dogmatis confutandi ſubigebat, aut decor eccleſiæ novis ſtatutis ſanciendus videbatur: *ſicut fieri ſuevit circa omnia collegia, quæ ignaris aut invitis ſummis poteſtatibus PRIVATO CIVIUM AUSU enaſcuntur.* Poſt ubi principes eccleſiæ nomina dare cœpiſſent, haud quidquam *inſolitas diu.* Chriſtianorum conſuetudines & adultam per aliquot ſecula epiſcoporum auctoritatem convellere auſi ſunt, populo fere abs horum nutu pendente. Quin aliqui ultro ipſorum poteſtatem ac opes auctum ire *opinione pietatis, aut ut ipſos cum addicta iisdem plebe ad deſtinata ſua eo haberent promptiores.* &c. Hæc hisque plura Puffendorffius. Nec Celſus aliquis aut Porphyrius, nec Julianus Apoſtata unquam religionem Chriſtianam tam profano oculo aſpexerunt, ut larvatus hic, Chriſtiano nomine tegens impietatem. Eccleſiam Chriſti furtum facit & injuſtum conventiculum, quia contra ſummæ poteſtatis juſſa irrepens. Jure dubites num ille vel audierit aliquando legi evangelium, aut Apoſtolorum hiſtoriam.

Ad atheos &c. convincendos non eſt excludenda à J. N. S. Scriptura &c.

Them. II. Religio, DEI notitia & S. Scriptura à Jure naturæ tradendo non eſt propterea excludenda, ut jus naturæ perſuadeatur atheis & aliis infidelibus.

1, Imo contrà his maxime ſuaderi debet S. Scriptura, ex qua melius quam ex Wolffio diſcent naturæ jus. Huc enim malorum ventum eſt, ut iſtam ſcripturam conferre cum miſeris ſophiſmatum ſeminatoribus neceſſe ſit. Eſt autem Scriptura *vivus ſermo DEI & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis* Hebræor. IV. ✝. 10. Id experti ſunt tot olim gentiles, qui hac lecta proſelyti facti non tantum fidem unius DEI, quæ juris naturæ eſt, profeſſi ſunt, Jeroſolymam confluentes; ſed alia etiam juris naturæ capita, ſibi antè ignota, ex hac didicerunt. Eunuchus Candaces Æthiopum reginæ Quæſtor ex hac non fidem modo in Chriſtum adeptus eſt, ſed morum etiam diſciplinam meliorem ſuæ genti intulit.

Exemplum comitis Roſſenſis Athei impudentiſſimi.

Joannes Wilmot Comes Roſſenſis profeſſus publice fuerat ſcelus contra jura naturæ maximum, nempe Atheismum; Vixerat ita, ut vivere poſtea hominem docuit Wolffius, atque ut jam docebant Hobbius gentilis ſuus, & Puffendorffius: nempe admittebat neceſſitatem doctrinæ moralis, propter regimen civitatum, propter ſanitatem, vitam, & amicitiam: pudebat eum vitæ turpiter actæ, non propter DEUM aut vitam futuram, ſed quod beſtiis ſimilis vixerit, & incommoda vitæ ſibi attraxerit, morbos, infamiam. Igitur decrevit vitæ modum plane diverſum tenere. Ad hoc ſperabat pervenire ſe poſſe ſtudio philoſophiæ, & acumine ingenii multum in ea profeciſſe & ſibi videbatur & aliis. Hinc factum, ut rationalis ſcientiæ cumprimis peritus ridiculo haberet tanquam ſophiſtas, & ontologiæ ac logicæ expertes illos, qui ipſi dicebant, philoſophiam talem non habere principium efficax & potens ad refrænandos ſeu regulandos appetitus; aut qui dicebant, ad hoc opus eſſe ſuperiore aliquo non homine ſed DEO; hos ille habebat pro Enthuſiaſtis & ignorantibus. Eodem tempore fatebatur tamen, illos homines etiam in hac vita optimos & feliciſſimos eſſe, qui ſibi perſuadere poſſent religionem, DEUM, ac DEI providentiam, in qua placide conquieſcant; eamque ſe, ſi fieri poſſet, multo pretio redempturum eſſe: quod tamen ſibi impoſſibile eſſe confitebatur. Prophetas & miracula dicebat eſſe hiſtorias paradoxas, inventa ac fraudes ſacerdotum abutentium ſimplicitate populi. Cetera demum, quæ ut ſint impia, juri tamen naturæ larvato ſunt conſentanea.

Ex lectione S. Scripturæ converſ.

Poſt hæc & cetera omnia quid fit? Legitur Comiti Caput Iſaiæ quinquageſimum tertium, ubi Chriſti pro mundi ſalute cruciatus explicantur; & ille fatetur: * „ Tum ſen-

„ ſiſſe

* Qu'il avoit ſenti une force interieure, qui l'entrainoit, & une clarté ſi vive, qu'il n'avoit pû y réſiſter: que les paroles de cette prophetie lui avoient ſemblé tout autant de rayons de lumiere.

„ fiſſe ſe vim quandam internam ſeſe
„ trahentem, & lumen tam vivum,
„ cui reſiſtere non poſſet. Verba pro-
„ phetiæ hujus inſtar totidem lucis ra-
„ diorum ſibi viſa eſſe, qui ſpiritum pe-
„ netrarent ſuum: ita plane, ut non
„ tam rationibus ſibi propoſitis convic-
„ tus eſſet, ſed vi quadam ſuperiore
„ raptus deinceps in divinum ſuum
„ ſalvatorem tam fortiter crediderit,
„ ut ſi eum vidiſſet inter nubes cœli
„ apparentem." Atque ſic tactus velut ſalutari quodam fulmine ſenſit in ſe exuſta injuſtitiæ in ſeſe radicata zizania, quæ cum omni philoſophia extirpare ei impoſſibile fuerat: & faſſus denique eſt: *Se, qui toties Deum exiſtere negaſſet, nullum tamen potuiſſe invenire aſylum, præterquam in illius magna miſericordia & compaſſione infinita.* Non ego hinc retraham manum, dum, quid Comiti aliàs evenerit, ipſius maxime verbis exſcripſero: ſunt autem hæc:
„ Die quadam intereram concilio atheo-
„ rum apud perſonam illuſtrem. Hic
„ ego omnium cauſam egi, & contra
„ DEUM ac religionem ante ſigna cer-
„ tamen ſuſcepi, tam dextre & gnavi-
„ ter, ut omnium plauſu excepta ora-
„ tio fuerit. Confeſtim vero ſenſi ar-
„ cano me horrore occupatum, qui me
„ intra memet redire coëgit. Debui
„ certe exclamare: Fierine poteſt Bo-
„ ne DEUS, ut Ens lumine gaudens,
„ quod poteſt levatis ſurſum oculis
„ contemplari mirabilia DEI, verbo,
„ quod uſum ſenſuum & rationis ha-
„ bet, impendat ea ad inſultandum in-
„ ſolenter creatori ſuo?" Sed ne hoc quidem telum debellavit Comitem, donec S. Scriptura, ut ſupra diximus, lecta rebellem expugnaverit. Utinam hoc ſaltem, aliiſque exemplis monentibus larvati Juris naturæ doctores reſipiſcerent, nec divinam ſcripturam ac religionem à juſtitia naturali condiſcenda excluderent *eum in finem, ut atheis proſit.* Utinam etiam temperarent nimiæ in profanam DEIque expertem Philoſophiam fiduciæ, *SOLA neſcio quali quantaque RATIONE* nixæ. Idem enim Comes ingenue faſſus eſt totius cæcitatis injuſtitiæque ſuæ originem fuiſſe *JUS NATURÆ LARVATUM. Stulta iſta*, inquiebat, *iſta abſurda philoſophia, qua hodie tam vehementer incantatus eſt mundus, præcipue quomodo illam HOBBIUS ET QUIDAM ALII propagarunt, hæc eſt, quæ me perdidit, me magnumque numerum meliorum Nationis ingeniorum.* Eſt autem Hobbii totus labor in eo, ut juſtitiam naturalem abſque DEO conſiſtere & oriri tantum ex pactis hominum contendat.

Hobbii Jus naturæ fecit Atheos.

WOLFFIUS dicere non poteſt, ſe Hobbii diſſimilem eſſe, ob id, quod Hobbium ipſe refutat. Nam Hobbium non refutat in eo, quod juſtitiam naturalem independentem à DEO faciat; cum etiam ipſe Wolffius eadem doceat, ut Cap. XVI. oſtendemus. Igitur in hoc Wolffius eadem ratione, qua Hobbius fuit Anglorum, poteſt eſſe ſeductor Germanorum.

Hobbio non diſſimilis Wolffius.

PUFFENDORFFIUS quoque ſe Hobbio diſſimilem dicere nequit, ob id, quod Puffendorffius profiteatur, juſtitiæ naturalis originem & formalem rationem pendere à voluntate DEI, quæ dictaminibus rationis vim legis tribuat. Nam & Hobbius aliquid ſimile dixerat; quia tamen id cum ejus ceteris principiis philoſophicis non cohærebat, viſus eſt cetera ſerio, Deum autem tantum alia quæſita cauſa & colore dixiſſe, ut *Cumberlandus* oſtendit: id quod & nos de Puffendorffio arguemus infra Cap. XIII. Them. XII. & alibi. Adde Cap. X. Them. VIII.

neque Puffendorffius

Quapropter non obſtante hoc, quod *Puffendorffius* ac *Wolffius* videantur alicubi refutare Hobbium, eodem tamen veneno infecti etiam ipſi ſunt; ſicut qui de alterius oculo feſtucam extrahere laborat, poteſt adhuc trabem ſuomet in oculo geſtare. Profecto Comiti Roſſenſi Hobbius non ideo nocuit, quia non fuerat Hobbius imbutus Ontologiâ, Pſychometria &c. ſed ideo quia DEI negligentem doctrinam in moralibus adornavit. Aliàs diſcipuli ejus evaſiſſent tantum rudes Ontologiæ, Pſychometriæ, Geometriæ. Nunc autem, cum eſſent boni Geometriæ, Ontologi ſpeculativi &c: per Hobbium tamen ita inſtructi ſunt, ut fierent ex DEI cultoribus & agnitoribus, ignorantes & abnegatores DEI. Cum igitur in hoc ſimiles ſint Hobbio *Puffendorffius* ac *Wolffius*, fieri poteſt, ut ex ipſorum ſchola prodeant ontologi qualescunque, qui tamen ſint ignorantes DEI ac negatores. Idque non per accidens & ex cauſa

tametſi uterque refutet Hobbium, ad ſpeciem tantum.

Unde & ex Wolffio ac Puffendorffio facile fiunt Athei.

lumiere, qui penetroient ſon eſprit: de ſorte, qu'il ne fût pas ſeulement convaincu par les raiſons, qu'on lui alleguoit, mais qu'entrainé par une force ſuperieure il avoit toujours cru depuis en ſon Divin Sauveur auſſi fortement, qu'il l'avoit vû paroitre dans les nuées du ciel.

cauſa externa, ſed ex ipſis horum principiis, DEUM à genere morum excludentibus per rationem.

De Hac Comitis Roffenſis quondam Athei hiſtoria videatur libellus ſequens: *Memoires touchant Jean Wilmot Comte de Rocheſter par Gilbert Burnet 8. à Zuric, chez Heidegger. 1743.* In quo quidem libello aliqua adverſus Catholicam religionem *dicuntur* nulla ratione ſeu probatione reddita; quæque cum ceteris collata per ſe neceſſario evaneſcant.

Gentiles barbaros non ſubtilis ratio, ſed virtus inſtruit.

2. Infidelibus autem *Barbaris* veritas fundamentalis bonorum morum, juſtitiæ atque officii humani non tam ſubtili ratione prædicanda eſt, quam virtute, quæ ex religione Chriſtiana & ſacris literis omnium clariſſime elucet. Scribit S. *Xaverius* Lib. II. Epiſt. IX. de Indis ſuis in hunc modum: „ Indi „ omnes vel Ethnici vel Saraceni ſunt „ admodum imperiti. Quapropter iis, „ qui hæc loca Evangelii propagandi „ cauſſa peragraturi ſunt, non tam li„ teris opus eſt multis, quam virtuti„ bus. - - - Tales enim India deſide„ rat, viros ſcilicet egregia caſtitate „ atque humilitate, qui nullam ſpe„ ciem præſeferant ſuperbiæ atque ela„ tionis. “ Idem repetit Epiſt. XI. Et ab eodem Xaverio interrogati primi ex Japonia diſcipuli. Quid in inſtitutis Chriſtianis eos maxime afficeret, *primas ſemper detulerunt confeſſionis & Eucbariſtiæ ſacramentis. Et ſimul illud adjecerunt: Neminem, ſua quidem ſententiâ, rationis compotem fore, qui, cognitis Chriſtianæ religionis myſteriis* ac *legibus*, Chriſti non amplectatur fidem.

Chriſtique doctrina exemplo Japonum.

Etiam acutiores barbari Chriſti fidem probant

3. Et hæc quidem Xaverius de barbaris rudibus apud Indos. De iis autem, qui argutiore ſunt ingenio non diſſimilia refert: *Omnino*, inquit Lib. III. ep. VII. *Japonum ingenia eximia ſunt, & mire obedientia rationi - - - Bis concionabamur de die, concionem ſemper excipiebat concertatio de religione bene longa. - - - Poſt multorum dierum certamina & interrogationes denique victi manus dare, & ad Chriſti fidem ſe conferre cœperunt. Omnium autem principes extiterunt ii, qui in concertationibus precationibusque acerrimos ſeſe præbuerant adverſarios. - - - Enimvero id Bonzii* (eorum myſtæ) *iniquo ferebant animo: cumque ipſi concionibus intereſſent, ac cernerent, multos fieri quotidie Chriſtianos, eos graviter accuſabant, quod avita religione deſerta ſequerentur novam. Quibus illi reſpondebant, SE CHRISTIANAM LEGEM AMPLECTI, QUOD EAM JUDICARENT MAGIS NATURÆ CONSENTANEAM eſſe quam ſuam. - - - Atque ante noſtrum quidem adventum perpetuo, uti accepimus, pugnabant inter ſe, cum ſuam quisque ſectam optimam eſſe contenderent: ſed poſtea quam nos audierunt, certamine de ſuis diſciplinis ac religionibus omiſſo, de Chriſtiana lege certare cœperunt univerſi.*

tanquam naturæ magis conſentaneam.

4. Exponebantur autem Japonibus duo capita. Primum eorum quæ ad ſupernaturalem fidem Chriſti pertinebant ut de creatione mundi, Incarnatione &c. alterum quæ ad doctrinam Chriſti moralem legemque naturalem, ut de decalogo &c. Utrumque caput rationabiliſſimum viſum eſt Japonibus, iis exceptis, quorum corruptæ voluptatis intererat, nihil in religione ac lege mutari. Id colligere eſt ex eadem epiſtola VII. *Percontanti* (regi) *unde tandem eſſemus? cur in Japoniam veniſſemus.* „ Reſpondimus, nos Europæos „ eſſe, eo miſſos divinæ legis prædi„ candæ gratia. Quippe cum nemo, „ quin DEUM ejusque filium JEſum „ Chriſtum omnium gentium vindi„ cem ac Salvatorem caſte pieque co„ leret, ſalvus atque incolumis eſſe „ poſſet. Tum ille divinam ſibi legem „ exponi juſſit. Quare bonam volu„ minis partem recitavimus. Et quam„ diu de ſcripto diximus (diximus au„ tem horam eoque amplius) diligen„ ter ab eo attenteque auditi ſumus, „ atque ita dimiſſi. In ea urbe dies „ permultos morati in viis ac triviis „ verba fecimus ad populum. Com„ plures avide præclara Chriſti facta „ audiebant; cumque ad acerbiſſimam „ ejus cædem ventum erat, lacrimas „ tenere non poterant. Veruntamen „ Chriſtianis ſacris initiabantur admo„ dum pauci.

tam quoad fidem quam quoad moralia.

Cur autem initiarentur pauci, rationem reddit, nempe metum à rege. At poſtquam rex libertatem fecit, paſſim dederunt, ita ut in illa civitate Amanguci intra bimeſtre numerarentur quingenti tum nobiles tum è plebe Chriſtiani.

5. Erant Japones aliqua ratione Athei, quippe in quorum doctrina nihil de DEO conditore omnium, præſertim animorum memorabatur. Inferni pœnas metuebant, paradiſum ſperabant: at auctorem pœnarum & præmiorum ignorabant, ut habetur Lib. IV. epiſt. I. & alibi. Ceterum *Gens pollet ingenio*,

&

& ſtudiis inſudat, legum præſertim & Jurisprudentiæ humanæ, politicæque rationis, cujus exquiſite pernoſcendæ ingenti plerique cupiditate flagrant: ut habet epiſtola XI. Lib. V. Si Puffendorffius & Wolffius ad hos populos politicos & Atheos inſtruendos miſſi fuiſſent, hi duumviri, ut Japones cetera vitiis contra naturam deditos ad bonam frugem, atque ad obſervantiam legis naturæ reducerent, quid feciſſent? nempe ante omnia ſuaſiſſent, abſtrahendum eſſe à DEO, præcipue Chriſti nullam mentionem faciendam, quippe qui eſſet ſcandalum gentibus; *ſola ipſaque ratione* cum ipſis agendum. Enimvero etiam ante Wolffium ratio non deerat Japonibus ſupra omnes gentes curioſis ſciendi, & tamen non veniebant in agnitionem principalium legis divinæ mandatorum. Alia omnia egit S. Xaverius & ſocii: ante omnia Chriſtum & hunc crucifixum, more Pauli, annuntiaverunt, tum docuerunt DEUM creatorem, ac denique neceſſitatem deponendi vitia. Quæ omnia mire illuſtrarunt Japonum intellectum, mire expugnarunt voluntatem. Eat nunc *HEINECCIUS* quoque & vetet gentiles ex Scriptura docere.

Wolfius inſignis ſcilicet fuiſſet doctor Japonum.

Plato agnovit Jus naturæ ſine revelatione DEI non poſſe perfecte ſciri.

6. Plato Ethnicus fuit, & Jura naturæ ex ſolo lumine naturæ ſcripſit, clare tamen agnovit & frequentiſſime contendit, omne naturaliter juſtum à DEO abſtrahi non poſſe, ſed ipſum naturale juſtum conſiſtere in conformatione & ſubjectione ad DEUM. Falſiſſimi ergo ſunt moderni quidam Chriſtianorum nomen gerentes, cum aſſerunt, jus naturæ abſque DEO conſiſtere poſſe, ſi ſolum rationis ductum ſequamur. Platonis autem, ſed & aliorum philoſophorum hac de re doctrinas paſſim attulimus. Juvat tamen ex Platonis *Theæteto* nonnihil adjungere, ubi ſic ait: „ *Mortalem autem naturam*, & hæc „ noſtra loca neceſſario ambit malum „ & circumvagatur. Quamobrem danda eſt opera, ut hinc illuc quam celerrime fugiamus. Fuga autem eſt, „ ut DEO quam proxime fieri poteſt „ aſſimilemur atque conformemur. „ DEO autem aſſimilat juſtitia ſanctitas cum ſapientia conjuncta. “ Deinde aniliter decipi illos ait, qui ideo ſtudendum eſſe bono cenſent, ut boni videamur & pergit: „ Res autem revera ita habet. DEUS nusquam & nequaquam injuſtus eſt, ſed quantum „ fieri poteſt *juſtiſſimus* (ὡς οἷόν τε δικαιότατος) DEO autem nihil ſimilius eſt, „ quam quum ex nobis hominibus aliquis quam juſtiſſimus eſt. In hoc „ nimirum & vera hominis præſtantia „ verſatur: *quantum vero inde abſcedit, nullitas, & hujusmodi inertia atque imbecillitas, ut hominis nomen amittat, certe exiſtit*. Hujus enim „ (DEI) cognitio & ſapientia & vera „ virtus eſt: ignoratio contrà, inſcitia & manifeſtà improbitas: aliæ vero, quæ facultates (δοκοῦσαι) & quaſi „ ſapientiæ eſſe videntur, in civilibus „ quidem imperiis moleſtæ, in artibus „ autem manualibus illiberales. “

Plato multis modis melior Juris naturæ doctor præ Wolfio:

Jam conſideret prudens ac probus lector, hancque philoſophiam cum *cacoſophia Wolffiana* contendat. Wolffius ante oculos habens certam cognitionem DEI & illum negare non valens, certe non audens, dicit, ex ratione poſſe inveniri juſtitiam naturalem, quæ conſiſtat etiam remota DEI cognitione, etiam abnegato DEO & huic abnegatori DEI adeſſe virtutem, & bonum ſummum. Vid. Cap. XVII. Contrà Plato gentilis, hac DEI tam clara demonſtratione deſtitutus, & ex ſola ratione eum cognoſcens, affirmat, veram juſtitiam, veram virtutem, verum Bonum ſummum non in alio conſiſtere quam in relatione ad DEUM. Aut ergo Plato philoſophus non fuit ſed ſomniavit, aut Wolffius in meridie cæcutivit.

docet enim *Servitutem DEI* eſſe legem naturæ.

Idem Plato in epiſtola VIII. ad Dionis propinquos loquens non ſpeculative, ſed pro præſenti Syracuſanorum neceſſitate conſilium fidele ſuggerens ſic ponit: „ *Servitus namque & libertas* „ infinita nullisque cancellis circumſcripta ſummum eſt malum: quod „ ſi modo quodam definiatur, ſummum „ bonum. Optimo illa modo conſtat „ ſervitus, quæ DEO paret: immoderata eſt, quæ hominibus exhibetur (* nempe propter ipſos homines non propter DEUM) „ quidem hominibus „ ſapientibus lex eſt: inſipientibus voluptas. “

Gundlingii dicterium, ex Scriptura non diſci legem Nat.

Them. III. Nihil probat argutia Gundlingii dicentis: *Quia ex ratione lex naturæ agnoſci poteſt, non opus eſt ad legem naturalem ſcriptura ſacra. Duæ ſunt revelationes, altera facta eſt per ſcripturam, altera fit per rationem. Quid opus eſt uti ſcriptura, ſiquid ex ratione intelligere poſſum?* &c. Diſcours über das Vernunft-Recht Cap. I. §. 5. Item alius cavillus: *Veritatem naturalem ex ſcriptura diſci non poſſe, aliàs ex ea etiam arithmeticam opporteret diſcere. Et demum concludit: Illos miſerabiles homines eſſe, qui velint jus naturæ ex S. Scriptura docere*: Scripturæ

Digitized by Google

tura ***LONGE ALIUM FINEM*** ***eſſe.***

Mihi contra miſerabilis videtur hic larvatus, ac novus Doctor, qui cum Jus naturæ in S. Scriptura contineri convictus alibi fateatur, illud inde accipere veret, velut Tantalus inter aquas ultro miſere ſitiens.

& ipſi Gundlingio contrarium

1. Ipſe Gundlingius Capite III. §. 49. 50. alia via ingreditur: *Infantes*, ait, „ſunt ſicut animalia: contre„ctant flammam, invento cultro ſe„metipſos conſcindunt. Quapropter „paullatim facultate ratiocinandi im„bui debent &c. Infans ratiocinia „non audit; hinc alia adhibentur me„dia, & flagris exercentur ut ani„malia. Ergo, ſi pueri diſcunt jus naturæ ex ore patris, imo & ex flagris: quidni valeat ad hoc ductus divinarum literarum, in quibus non alia præcepta juris naturæ ſunt quam quæ ſapientiſſimus quisque parens filio prodere unquam poteſt? Non, ſed quia heterodoxos ſemel cepit iſtud cacoëthes, ſacram ſcripturam ex jure naturæ excludendi, ex omnibus quidem aliis diſci jus naturæ poteſt, ſola eſt ſcriptura ad hoc plane inepta & miſerabilis.

fatetur enim,

ex ſacra ſcriptura

2. Corrigit vero ſe Gundlingius Cap. I. ad §. 29. - - - 39. dicens: „Quamvis non exiſtimem, natura„les veritates ex ſcriptura demon„ſtrari debere, expedit tamen, ubi„que oſtendere, quomodo ratio & „ſcriptura concordent. Unde Jaque„lot de la conformité de la Foy avec „la raiſon monſtravit, quo pacto „*Philoſophiæ* ex proprio fundo ſit ſtu„dendum, una tamen conſiderandum, „quomodo cum ea conſentiat ſcriptura, „*ſtulta enim hæc philoſophia eſt, quam* „*deſerere moriturus debebo.* Leibni„tius quoque ſcripturam ſpectavit: „*Quia ne poteſt quidem aliter fieri.* „Si Chriſtianus factus ſum, eosque „non fero, qui Chriſtianismum con„temnunt, ut quid ergo ſepono „revelationem, aliaque via incedo? „*Multo* etiam *melius* in res penetra„mus, ſi in auxilium ſcripturam ad„vocamus. Hæc Gundlingius, in „quo calida frigidis pugnant, humentia ſiccis. Initio huic *miſerabilis* eſt ille homo, qui velit jus naturæ ex S. Scriptura docere; mox eidem *ſtultam* Philoſophiam ſequuntur, qui ſcripturam ſeponunt. Imo mox Jus naturæ ne *poteſt quidem aliter* niſi adhibita revelatione obtineri à Chriſtiano. Ego certe hinc conficio, ſi omnes alii libri & doctores apti ſunt ad docen-

Jus naturæ Chriſtianis neceſſario diſcendum

dum naturæ jura, larvatos iſtos tot ſophismatum ac contradictionum Satores ad Jus naturæ ex iis diſcendum eſſe plane ineptos, ob eorum inſignem in his rebus ignorantiam & ſuſpectam nequitiam.

Leibnitius optat,

3. *LEIBNITIUS* quamvis & ipſe heterodoxus, prudentiæ tamen laude ſuperavit deſultorium Gundlingum & profunda eruditione eidem præſtitit. Hic vero non miſerabilem fore exiſtimat, qui jus naturæ ex ſcriptura deduceret: imo inquit: *Recte a viris doctis inter deſiderata relatum eſt.* *JUS NATURÆ ET GENTIUM TRADITUM SECUNDUM DISCIPLINAM CHRISTIANORUM, id eſt, Chriſti documentis τὰ ἀνώτερα, ſublimia divina ſapientum. Præfat.* Cod. Jur. Gent. Tales autem Chriſtiani ſublimia ac divina ſapientes qui ſunt? Wolffius? Puffendorffius, aliique à DEO & religione ſejungentes jus naturæ? an apoſtoli eorumque Succeſſores Pontifices, Concilia &c.

Jus naturæ ex disciplina Chriſtiana tradi.

4. Tota ergo res huc denique cadit: In *SPECULATIVIS NATURALIBUS* pro initio diſcendi non eſſe ſumendam ſcripturam ſacram, ſed rationem: ſic tamen ut etiam in his ad S. Scripturam reſpiciendum ſit. In *PRACTICIS* vero *MORALIBUS* ſcriptura omnibus hominibus utiliſſima, Chriſtianis vero *plane neceſſaria*, ad diſcendum juſtitiam naturalem: & Gundlingius ipſe fatetur, *aliter fieri non poſſe*, maleque morituros, qui ſecus faciant. Peccat igitur Puffendorffius, Heineccius, & Gundlingius ſuo ore damnatus, qui ſcholis ſcribunt Chriſtianis & abſtineri tamen à ſacra ſcriptura jubent manus oculoſque.

Naturalia ſpeculativa non:

bene autem moralia ex S. Scriptura debent diſci.

5. Ceterum primum Gundlingii argumentum in Themate propoſitum, ſophiſticum eſt, atque huic ſimile: *Quid opus eſt coloribus, ſi poſſum imaginem pingere carbone?* Quid opus eſt S. Scriptura ſi poſſum Jus naturæ docere ratione? Poſſum ludere organo: ergo non poſſum ludere chely. Gundlingius docet Jus publicum: ergo non docet Jus naturæ. Hanc Logici noſtri dicunt *Fallaciam ſenſus diviſi*, qualis eſt hæc: *Aqua eſt frigida: erga non poteſt eſſe calida.* Ceterum & pudet me ſæpe adeo ad ſcholam redire, & tamen neceſſe eſt tum arrogantiæ iſtorum Solipſorum retundendæ, & detegendæ fraudi, qua ſpecioſe in medium producta ſolent iſti incautos noſtros decipere.

Sophisma Gundlingii

Scriptura à Jure Nat. non excludenda quod à gentibus non ſit agnita.

Them. IV. S. Scriptura à docendo Jure naturæ non eſt ideo excludenda, quod non ſit ab omnibus gentibus agnita & recepta, ut argutatur Heineccius.

Sophiſma Heineccii.

1. Reſpondimus Cap. IV. Th. X. &c.

2. Miſera rurſus hæc eſt conſecutio, & ſophisma periculoſum Heineccii *ſcriptura eſt ignota aut non recepta* Japonibus: ergo non eſt apta ad veritatem demonſtrandam Saxonibus, ſed neceſſarium eſt in Saxonia ſcholam erigere pro Sinenſibus: Sicut miſera eſſet hæc alia: *Heineccii libellus non eſt notus aut receptus æthiopibus: ergo is non eſt idoneus ad docendum juvenes Saxones.* Vel hæc: Euclides non eſt cognitus Groenlandis: ergo P. Pardies non potuit ex eo docere Sinenſes. Sophiſma Heineccii eſt à negatione actus ad negationem potentiæ: Liber ignotus mihi, actu me non docet: at aptitudinem tamen ad docendum habet.

Sinenſes prudentiores ſunt iſtis larvatis doctoribus

3. Siquis in medio Sinarum Imperio erigeret cathedram de Jure naturæ & gentium, vetaret autem in eam doctrinam adhiberi Confutium, tametſi profiteretur, in Confutio eſſe jus naturæ; eum hominem, opinor, Sinenſes à ſua juventute longe arcerent, & ergaſtulo dignum haberent. Et nos abſurdiora audentibus etiam applaudimus!

Juventus Chriſtiana aliter docenda quam pagana.

4. Liberi noſtrorum nobilium non ad hoc mittuntur ad ſcholas, ut erudiantur, quo poſſint Japonum ſimiles fieri aut Turcarum.

5. Quin Doctor Chriſtianus tradens jus naturæ etiam paganis, ex charitate teneretur S. Scripturam & Doctrinam Chriſtianam adhibere: præcipue ſi facile ea cum naturali congruit, aut eadem eſt. Nunc autem non modo congruit, ſed altera ſine altera non conſiſtit: & nihilominus novi hi Doctores eas divellunt, idque apud Chriſtianos.

Pagani ob defectum S. Scripturæ errarunt.

6. Veteres pagani, quamquam multa in jure naturæ interdum perviderent, multa tamen in eo peccarunt, non aliam maxime ob cauſam, quam quod revelatione, quam ſuſpirabant, carerent. Iſti larvati eam habent, & proijciunt.

Oſiander Lutheranus docet.

Quid dicet Heineccius Andreæ *OSIANDRO* Lutherano Profeſſori Tubingæ, qui in reſponſo ad Analyſin Gregorii Valentiani de Eccleſia Part. I. num. VI. fol. 17. hæc de S. Scriptura edit: *Univerſalis experientia in cordibus fidelium, imo & infidelium (niſi omnem prorſus humanitatis ſenſum exuerint) clamat, manifeſta ſigna loquentis DEI conſpici in ſcriptura, ex quibus* ***EVIDENTISSIME*** *pateat, cæleſtem eſſe, atque ex ipſius DEI ſinu prolatam Doctrinam, quæ prophetarum & apoſtolorum libris comprehenſa eſt.* Et adeo quidem evidenter, ut Gregorius de Valentia S. J. Profeſſor Theologiæ Ingolſtadii vehementer ab Obſiandro traducendus fuerit, quod is *motiva* credibilitatis conquiſierit, ex quibus pagani admonerentur intelligere, quam rationi convenniens ſit S. Scriptura. Hoc certe non pugnabit Heineccius, veritatem juſtitiæ in ſacra ſcriptura æque clare apparere ac in ſuo libello. At de ſuo libello dicit ipſe, ab omnibus eſſe recipiendum, niſi qui *plane obbrutuerint.* Idem de Sacra Scriptura dicit Oſiander. De utro id verius dicatur, de ſcriptura an de Heineccii libello, ſi quid frontis eſt Heineccio ipſum judicem facio.

divinitatem S. Scripturæ evidentem eſſe niſi brutis.

Heineccii arrogantia

Cum paganis ut agendum ratione, ut auctoritate?

8. Equidem & S. *CYRILLUS* Hieroſolimitanus Catheſi XVIII. num X. ſic jubet: *Cum iis, qui ſcripturas non recipiunt, armis è ſcriptura non ſumptis decerta, ex rationibus ſolis & demonſtrationibus. His enim neque quis ſit Moyſes, nec quis Heſaias, compertum, nec evangelia nec Paulus cogniti.* At vero Cyrillus ibi de rebus agit ſolius fidei, quarum *POSSIBILITAS* à gentilibus impugnatur, ut Reſurrectionis corporum. Poſſibilitas autem metaphyſicæ objectum eſt, & rationis ſolius. Contra jus naturæ partim iam notum ex ratione inferiore, partim ex auctoritate inferiore bene poteſt probari ex ſcriptura tali, quæ quin jus naturæ contineat, ne gentiles quidem negabunt, nedum Heineccius.

Heterodoxi agnoſcunt Scripturam ad J. N. adhibendam.

Thema V. Heterodoxi agnoſcunt, ſcripturam ſacram ad diſcendum Jus naturæ adhibendam, ac nihilominus eam excludunt.

1. De *GUNDLINGIO* id mox ante probatum dedimus Themate III.

Heineccius

2. *HEINECCIUS* cum Lib. I. J. N. §. 15. ſtatuiſſet, Jus naturæ complecti leges per rectam rationem promulgatas, inde conſequi docet, *ut jus naturæ derivandum non ſit ex ſacris litteris, nec ex legibus divinis poſitivis &c.* & addit: *Quamvis, quum idem ſit revelationis ac rectæ rationis Auctor, facile largiamur, non modo multa, quæ ratio dictat, in ſacris litteris repeti, ſed & miram eſſe utriusque juris conſonantiam; nec quidquam DEum in ſacris pandectis vel præcipere vel probibere, quod juri per rectam rationem promulgato adverſetur.*

Juris naturæ præſidium à S. Scriptura petit.

3. Is ipſe *HEINECCIUS* Lib. I. Cap. III. §. 94. magnopere ſe delectari profitetur, quod tandem ex *COC-*

CEIO invenerit *principium Juris naturæ* tale, quale à *SACRIS LITTERIS PRÆSIDIUM accipiat.* Aliis quoque locis non abſimilia confitetur. Ex quibus intelligo, Heineccium pro conſcientia ſua libenter admiſſurum fuiſſe ſacras ſcripturas in demonſtrationem juris naturæ: non auſum tamen fuiſſe vincere metum politicorum, quibus & ipſe ſerviebat. Unde rurſus colligas licet, cum non ſatis inſtructum & idoneum juris naturæ magiſtrum eſſe, qui verum ſubijciat timori humano. Vel Socrates illo melior eſt, qui cum ab eo in judicio peteretur, uti deinceps ceſſaret, falſas Athenienſium de divinis doctrinas juventutem dedocere, publice reſpondit: *Si his conditionibus dimittere me velitis, reſpondebo utique vobis. O viri Athenienſes! diligo vos equidem atque amo: DEO tamen parere malo quam vobis, & quamdiu ſpirabo vireſque ſuppetent, philoſophari non deſinam, exhortans & docens quemcunque nactus fuero.*

ejus reſpectus humanus.

Socrates illo melior

Thema. VI. Sacra Scriptura & revelatio non ſunt ideo excludendæ a docendo diſcendoque Jure naturæ, quod ſint ſupra naturam.

Scriptura non excludenda ideo, quod ſit *ſupra naturam.*

Etenim 1mo Non eſt ſupra naturam, quod ad præcepta moralia ſpectat. Quamvis modus, quo latæ ſunt illæ leges ſcriptæ, ſit ſupra naturæ vires. Moralia autem S. Scripturæ adeo non ſuperant naturam humanam, ut potius eam præ aliis omnibus Doctrinis ſecure ac plene perficere poſſint. Quod quidem experientia conſtat, quia hæc præcepta & conſilia ſequentes tot viri veteris ac novi teſtamenti ſanctiſſime vixerunt.

2. Quid autem facies Andreæ *OSIANDRO* eccleſiaſtæ quondam in aula Würtembergenſi, qui in reſponſo ad Analyſin Gregorii Valentiani S. J. Tubingæ an. 1593. edito pag. 32. in hunc modum pugnat: An vero nihil in ſcripturis eſt, quod cum principiis pugnet naturalibus? „ Quale igitur illud eſt,
„ quod Moſes totam rerum univerſitatem ex nihilo conditam affirmat? &c.
„ Et quomodo ad rationis principium
„ quadrat doctrina de ſatisfactione à
„ Chriſto præſtita, quam cæleſtis pater univerſo mortalium generi deſtinavit, adeoque aliena juſtitia juſtificari credentes voluit? &c An
„ cum natura non pugnat, quod Chriſtum ſuo corpore mari tanquam aridæ inambulaſſe, per lapidem ſepulcralem penetraſſe, per januam clauſam tranſiſſe, atque id genus alia,
„ quæ cum principiis philoſophicis di-
„ recte pugnant, præſtitiſſe legimus?
„ Ipſa denique mortuorum reſurrectio
„ cum humanæ rationis principiis inſenſiſſime pugnat &c. „ O præſtantem philoſophum. Hic certe præ Ariſtotele præque Platone potuiſſet ſcholarum philoſophicarum dux renuntiari, poſt devoratas tamen aliquot ellebori libras. Atque hoc docet is, qui divinitatem Scripturæ evidentem niſi brutis dicit. vide ſupra Them. IV. num. 7.

Oſiander docet

S. Scripturam directe cum natura & ratione pugnare.

3. Plurima naturalia admittimus pro regulis & fundamentis, quæ quidem captum noſtrum ſuperant: ut gravitatem corporum, quamvis nemo adhuc ejus indolem attingere potuerit, aut cur ad centrum non contra agat corpora? cur ſecundum lineam rectam? cur pro ratione maſſæ acceleret motum? Hæc omnia admittimus ſine ulla ratione reddita, & tamen ſine ulla dubitatione; iiſque tanquam fundamentis inædificamus & ſcientiam phyſicam, & infinitas actiones domi, ruri, ac militiæ noſtras, & multas utiliſſimas artes ex his deducimus, quia ſola conſtante experientia hoc ſcimus. Neque judicium de his noſtrum demutamus, ſi interdum videmus contraria accidere. Eodem modo debemus admittere principia moralia ſacræ ſcripturæ, quia experimur, ea conſtanter valere apud omnes ætates, omnibus locis, tametſi interdum contraria evenire videantur. Nam ſemper reditur ad has regulas: ſicut ſemper reditur ad gravitatem, quamvis interdum videamus lapidem aſcendere, aut linea curva ferri, aut plane quiſcere.

Etiam quæ non capimus nobis ſunt regulæ & fundamenta agendi.

Thema. VII. S. Scriptura præ ratione & Philoſophia docet optime mores.

Scriptura docet mores plus quam ratio

1. Adduco ſententiam D. *ISIDORI* Peluſiotæ Lib. IV. Epiſt. 91. „ Chri-
„ ſtus ait: Omnia, quæ volueritis, ut
„ faciant vobis homines, & vos facite
„ ipſis ſimiliter. - - - Quid quæſo vel
„ Platonis dialogi, vel Homeri fabu-
„ læ, vel legiſlatorum codices, vel
„ Demoſthenis libri, vel Tragœdiæ va-
„ rii atque inopinati Caſus, vel co-
„ mœdiæ argumentum, ſi ad hanc bre-
„ vitatem perſpicuitatemque confe-
„ rantur? - - - Quot dialogos con-
„ ſcripſit eruditiſſimus Plato, dum co-
„ natur demonſtrare, quid ſit juſtitia?
„ nec tamen quidquam potuit proferre,
„ quod eſſet perſpicuum, aut perſua-
„ dere quibusdam. - - - Quam mul-
„ ta ſcripſit; Ariſtoteles, Platoni ſe op-
„ ponens, ejusque dogmata traducens
„ velut in comœdia? Sed neque ipſe
„ quidquam utilitatis contulit, niſi

„ quod pugnam verborum vitæ huma-
„ næ generavit. Quam multa Stoïci
„ adverſus Ariſtotelem armati conſcri-
„ pſerunt ? Sed horum quoque extin-
„ cta ſunt dogmata. Comparent igi-
„ tur cum iis, qui ſapientes perhiben-
„ tur, divinorum oraculorum perſpi-
„ cuitatem, & deſinant nugari, divi-
„ namque oraculorum dictionem am-
„ plectantur; quæ non ad ambitionem,
„ ſed ad utilitatem audientium reſpe-
„ xit. S. Iſidorus Peluſiota Lib. IV.
„ Epiſt. 91.

Philoſophi ex ratione inter ſe pugnant de fundamentis morum;

2. Idem manifeſtum eſt ex pugna Philoſophorum & hodiernorum Juris naturæ doctorum, omnino de rerum ſumma, non tantum de accidentariis quibusdam, neque de peculiaribus concluſionibus; ſed de *Summo bono*, de *ultimo fine* de *felicitate ultima*, de *Juſto* ipſo, de *principio Juris.* Recte adeo Porphyrius Chriſtianorum hoſtis acerrimus de ſuis gentilibus teſtatur apud Euſebium Præparat. Evangel. Lib. XIV. Cap. X.

fatente Porphyrio hoſte Chriſtianorum.

Apud nos, inquit verborum conflictus ingens, quippe qui HUMAMA TANTUM EXISTIMATIONE de Bono ſtatuamus. Ceterum qui ad aſſequendam illam cum ſuperiori natura conjunctionem incumbunt, ii profecto hanc ſi partem inveſtigationis (de DEO & divinis) *prætermiſerint, FRUSTRA TANTUM IN SAPIENTIÆ STUDIO LABORIS OPERÆQUE CONSUMUNT.* Quibus bus ſubjungit Euſebius: *Quid tandem à Philoſophis doctum iri nos exſpectemus, ſi, quæ ab iis dicuntur, partem ea maximam fidei faciendæ principia non aliunde, quam ex CONJECTURARUM QUADAM PROBABILITATE ducant?*

Nec diffitetur id Wolffius §. 318. Philoſophiæ Practicæ, ubi ſtatuit, ac deſumit ex pœnis, quas ipſe poſitivas vocat, manifeſtum ex ratione eſſe, dari obligationem divinam poſitivam ad ſervandam legem naturæ, ac deinde adjicit: *Poſitivam HANC obligationem divinam urget Moſes, eademque urgetur in iis, quæ Decalogo adijciuntur. Chriſtus vero multo luculentius eandem docuit, dum præmia & pœnas, quæ poſt hanc vitam à reſurrectione corporum homines manent, clariſſime propoſuit. - - - Quæ vero à philoſophis demonſtrantur, auctoritas ſcripturæ ſacræ confirmat &c.* In quo tamen paragrapho hoc peccare videtur Wolffius, quod tam alteram vitam quam alia non pertinere ad philoſophos dicit Wolffius, ſed tantum ad Theologos: ideo, quia iſta ex rationis principiis demonſtrari nequeant. Verum ſi nihil ad Philoſophos *morales* pertinet, niſi quod *metaphyſica certitudine* demonſtrari poteſt, tota omnino Ethica ex philoſophorum foro debet exceſſe: cum in hac multo pauciores ſint ejusmodi metaphyſicæ demonſtrationes, quam in phyſica; ubi tamen paucæ quoque ſunt. Plato & plerique omnes veteres philoſophi certe *qua philoſophi* tractarunt Jus naturæ, & tamen admiſerunt vitam alteram, eamque multis argumentis moralibus demonſtrarunt. Itaque falſus eſt Wolffius, decernens, ad Philoſophum hoc non pertinere. Aut Plato, & illo multo anteriores philoſophi non fuerunt. De his vero nos alibi.

3. Multo autem manifeſtius ea præſtantia doctrinæ Chriſtianæ moralis ab effectu & experientia probatur.

Homerus olim ac ceteri Poëtæ erant magiſtri juris ac morum, & in ſcholis diſcebantur: ſed paucis, nempe Græcorum.

Plato eos prohibuit à ſua ſcripta & chartacea republica tanquam impios, quales revera ſunt.

Ipſius Platonis leges & reipublicæ formam nullus vicus accepit, ſed Academici in ſcholis ex ea docebant Græcos paucos juvenes Jura naturæ.

Ex his alii volebant Platonem emendare, & Ariſtoteles quidem blanditus Principibus & divitibus felicitatis ſaltem partem conſtituit in honore & opibus. Sed nulla vel minima civitas ad ejus leges ſibi vivendum putavit.

Epicurus major adulator ſummi boni id eſt, voluptatis cauſa omnia facienda conceſſit.

Zeno Stoicus in gratiam hominum ſeveriorum in ſola virtute repoſuit honeſtum & juſtum. Nec tamen ulla *Gens* evaſit Stoica.

Venit aliquis Romanorum Princeps, Romanorum jam tum orbis Dominorum. Is videbatur aptior ad leges populis ferendas. Erat enim in republica Domina nutritus, Romana Græcaque ſapientia inſtructiſſimus, ipſe rempublicam Romanam ſummo loco Conſul non geſſerat modo, ſed prudentia ſua ab interitu adeo vindicaverat, ut *Pater Patriæ* diceretur. Quis non crederet, leges ab hoc ſummo viro latas ſaltem aliquot villis placituras? Tullius is eſt *CICERO*, qui ſcriptis legibus, adjectoque à ſemetipſo commentario, necui forte obſcuriores videri poſſent, & redditis ubique palam legum ſuarum rationibus quid egit? Admodum nihil.

Venis

Venit ergo Chriſtus ex Judæorum gente contempta, contemptus etiam à ſuis & ſuſpendio infami necatus. Hic nihil ſcripſit, neque ſcribi mandavit, ſed tribus ſolis annis paucas civitates pertranſiens agensque cum peccatoribus, claudis, cæcis & rudibus edixit partim eadem quæ aliqui Philoſophi dixerant, partim terribiliter ardua ſed juſta tamen, nihil autem diſcipulis promiſit, quod in ſenſum caderet, ſed omne promiſſum poſt mortem diſtulit: & tamen juſſit pro ſuis legibus acerbiſſimos cruciatus & mortem ſubire. Eaque omnia per duodecim piſcatores & ſutores inermes ac rudes in totum orbem promulgavit. Quid porro contigit? Id nempe quod oculis noſtris videmus. Gentes ſapientiſſimæ huic ſubmiſere ingenia; potentiſſimæ ſubdidere rempublicam; feriſſimæ ſubjecere vim; delicatiſſimæ ſenſum huic ſuum conſecrarunt. Omnis autem illa turba Platonis, Stoæ, Peripati, Epicuri, Ciceronis velut repente conticuit, & nunc non niſi mancipatus & obſequii cauſa adhibetur in ſcholis.

Philoſophorum Jus naturæ duravit tantum usque ad Chriſtiana tempora

tam conticuit.

4. In hanc rem pulcher eſt locus S. Auguſtini, teſtis ſynchroni quem exſcribere non piget, Epiſt. CXVIII. ad Dioſcorum num. 21. „ Qua in re, „ inquit, ſatis mihi videtur demonſtratum eſſe, errores gentium „ ſive de moribus, ſive de natura rerum, ſive de ratione inveſtigandæ „ veritatis, qui, quamvis eſſent multi „ & multiplices, in his tamen duabus ſectis (Epicureorum & Stoicorum) eminebant, expugnantibus doctis, & tanta diſſerendi ſubtilitate „ atque copia ſubvertentibus, Duraſſe „ tamen usque in tempora Chriſtiana. „ Quos jam certe noſtra ætate ſic obmutuiſſe conſpicimus, ut vix jam in „ ſcholis Rhetorum commemoretur „ tantum, quæ fuerint illorum ſententiæ: certamina tamen etiam de loquaciſſimis Græcorum Gymnaſiis „ eradicata atque compreſſa ſunt; ita „ ut ſiqua nunc erroris ſecta contra „ veritatem, hoc eſt, contra Eccleſiam Chriſti, emerſerit, niſi nomine cooperta Chriſtiano ad pugnandum proſilire non audeat. Ex quo „ intelligitur, ipſos quoque Platonicæ „ gentis Philoſophos, paucis mutatis „ quæ Chriſtiana improbat diſciplina, „ invictiſſimo uni regi Chriſto pias „ cervices oportere ſubmittere, & intelligere verbum DEI homine indutum, qui juſſit, & creditum eſt quod „ illi vel proferre metuebant. „ Et num 33. concludit. „ Itaque *totum* „ *culmen auctoritatis lumenque rationis* „ in illo uno ſalutari nomine atque in „ una ejus Eccleſia recreando atque *re-* „ *formando humano generi* conſtitutum „ eſt. „ Videatur Idem Auguſtinus De „ Vera Religione Cap. III. n. 3. &c. Euſeb. Propar. I. 3.

5. Huc & illud pertinet S. Auguſtini de vera Religione Cap. IV. n. 6. *Illi enim ſi reviviſcerent, & invenirent refertas eccleſias, templaque (*dæmonum*) deſerta, & à cupiditate bonorum temporalium & fluentium ad ſpem vitæ æternæ & bona ſpiritualia & intelligibilia vocari & currere humanum genus, dicerent fortaſſe, ſi tales eſſent, quales memorantur. Hæc ſunt, quæ nos perſuadere populis non auſi ſumus, & eorum potius conſuetudini ceſſimus, quam illos in noſtram fidem voluntatemque traduximus.*

6. Naturales Socialiſtæ nequidem quid eorum cauſæ interſit intelligunt. Si Socialitas eſt fundamentalis lex Juris naturæ, illud quod ſocialitatem maxime docet, maxime eſt idoneum ad jus naturæ diſcendum, nihil autem magis & illuſtrius docet ſocialitatem veram quam Chriſtiana Religio, ut Cumberlandus advertit apud Puffeodorffium ipſum J. N. L. II. Cap. III. §. 15. fin. Ipſeque Puffendorffius in Analectis De Concord. Pol. cum Relig. Chriſt. Ergo ipſimet ſuam diſciplinam inconſulto privaot lumine ac præſidio unico.

Placet etiam *SERRANI*, qui Platonem interpretatus eſt, animadverſionem judicii plenam in Timæum hic adjungere. Sic autem ſcribit: „Etiam atque etiam providendum eſſe in his „ diſputationibus, ut duo extrema caveamus: ne dum pulcherrimæ cognitionis ſtudio vehementer tenemur, „ ethnicarum Sirenum illecebris capiamur, id eſt, repleamur pravarum „ opinionum præjudiciis: vel dum conamur horum errorum ſcopulos evitare, ea remedia iis emolliendis inſtituamus adhibere, commodius interpretando philoſophorum ſententias, ut aliena perſonâ illos prorſus „ induamus, & veritatem transformemus, hujusmodi eis affingendo, de „ quibus ne ipſi quidem unquam cogitarunt; & germanæ veritati vim „ etiam inferamus: quarum illud ineptiſſimum, hoc ſceleratiſſimum. „ Non enim ideo debent legi ethnicorum philoſophorum ſcripta à nobis, „ ut ab illis petamus cognitionem veritatis tanquam fontibus: ſed ut perſpiciamus, quatenus progrediatur „ humana ratio in cognitione de DEO,

„ & de virtute, & de vita æterna: videlicet hactenus, ut ſint homines ἀναπολόγητοι ex naturalis illius cognitionis luce, quæ in tantæ corruptionis, qua genus humanum plane obvolutum eſt, tenebris lucet. - - - -

ſed ad S. Scripturam examinentur.

Hæc autem mihi quidem tutiſſima videtur regula ad certam fructuoſamque philoſophicæ Doctrinæ cognitionem, ut adhibita judicii diligentis animadverſione, quidnam illi dicant, prudenter conſideremus: quæ primævæ, id eſt unius, veritatis veſtigia apparebunt, ſtudioſe amplectamur, ac proinde eadem veritatis ἐλέγχῳ mendacium in illis deprehendamus atque convincamus. Mendacium autem erit, quidquid à veritate aberrabit; ſibi enim ubique conſentiens eſt veritas. *Illud autem veritas exiſtimandum erit in philoſophis, quod propius acceſſerit ad eam doctrinam, quæ in ſacris Bibliorum libris continetur*, quæ eſt una ac certa veritas & Germana Philoſophia. Quidquid ergo vel diſerte cum illa conſentit, vel ipſius principiorum analogia, verum eſt. Illa igitur primæ veritatis veſtigia in philoſophis diligenter ſunt obſervanda. Quæ quidem non pauca apud illos comperiuntur: ſed quam abſurde in media via deficiunt! quam ineptas concluſiones ex bonis principiis eliciunt! Convincendo igitur mendacio, cujus apud illos magna copia eſt, ita adverſus eos agendum erit, ut ipſi de ſe ipſis profitentur.

enim ipſimet fateantur,

Rerum enim veritatem non affirmant penes ſe eſſe, ſed tantum εἰκόνας, illius veritatis, quantum quidem in hominem cadere poſſunt, & adulterina quadam ratiocinatione effictas atque efformatas.

divina revelatione eſſe opus.

FATENTUR SE DIVINO QUODAM SERMONE OPUS HABERE, QUO AD VERITATEM DEDUCANTUR, QUAM SE AMICE AMPLEXUROS TESTANTUR, SIQUIS DEMONSTRARIT ET MELIORA DOCUERIT. In hoc maxime argumento obſcuriſſimo quidem illo, id ſubinde inculcat Plato, auxilium à DEO implorans ut ducem ſe præbeat in his ſalebroſis mæandris. Quid hic ergo? A philoſophis ad ipſos philoſophos provocemus, & illas ſcintillas veritatis, quæ in ipſis apparebunt, idem ipſis opponamus, & mendacium inde deprehendamus, quum ſibi ipſis repugnabunt philoſophi;» Serranus ergo vir Philoſophicarum rerum præ Puffendorffio, Wolffio, Heineccio, ut videtur, peritus, agnovit criterium veritatis philoſophicæ in moralibus ex ſcriptura petendum; in quo conſentientes habet ipſos philoſophos, maxime philoſophorum regem Platonem, qui & ipſe optavit divinitus quidpiam revelari. Conſentientes in hoc habet omnes gentes etiam barbaras, unice exoptantes revelationem divinam. Quantum ergo probrum ſunt moderni quidam heterodoxi, qui *philoſophice* de ſummo bono, fine & obligatione naturæ humanæ diſſerere ſe poſſe negant, niſi revelationem etiam à ſeſe agnitam procul abjecerint cum ipſo DEO. Aut Plato divinam revelationem pro veritate morali eruenda exoptans Philoſophus non fuit: aut iſti revelationem agnitam repudiantes non ſunt philoſophi, judicet de his Sanior mundus. Ego Conſilium Serrani ſecutus monſtrabo Capite maxime XVI. hos multo minus Philoſophos fuiſſe, qui ſibi fere ubique, ubi de fundamentis agitur, repugnent & contradicant.

Them. VIII. In Jure naturæ niſi ſeductionis ſuſpectus eſſe velis, non eſt abſtrahendum à DEO, neque ab officiis erga DEum, neque talia principia ponenda, ex quibus non ſequatur obligatio erga DEUM, aut DEUS non conſtituatur finis juris naturæ proprius.

In Jure naturæ non abſtrahendum à DEO

1. Qui enim abſtrahit à DEO, ille in medio relinquit, deturne DEUS nec ne? DEO autem non ſtabilito in animis nullum datur primum movens, nullus ultimus finis ad juſtitiam ſervandam: alii enim fines præter DEum aſſumpti ſunt inſtabiles, & tantum movent quamdiu ipſi ſunt, v. g. utilitas, reſpectus humanus, amor civis, parentis, conjugis; illis autem ceſſantibus ceſſat motus lineæ moralis.

2. Etiam *GUNDLINGIUS* (quamvis DEI verbum ex Jure naturæ excludat) ſtatuit: *Mihi fixum eſt, DEum ex ſyſtemate Juris naturæ omitti non poſſe. Initium ſapientiæ eſt timor DEI. Cur hic relinquamus DEum? In Matheſi poſſum à DEO abſtrahere: nihil hic refert ſi errem: Secus habet in MORALIBUS, ubi diſplicet DEO ni faciam.* Diſcours über das Vernunfft-Recht. Cap. I. §. 32-39. ubi & oſtendit, omiſſo DEO nemini potenti aut Principi, aut in occultis verſanti poſſe ſuaderi ſufficientem cauſam ne aliena auferat, ne voluptate perfruatur &c.

quod & Gundlingius agnoſcit.

3. Qui

Digitized by Google

Abſtrahentes ſeducunt in Atheiſmum

3. Qui abſtrahit ab officiis erga DEUM, & dicit, illa ad Jus naturæ non pertinere, ille docet, non eſſe juſtitiam in DEI cultu: quod idem eſt ac dicere, hominem ad nihil obligari DEO. Unde ſequitur DEUM non eſſe Dominum, hominem non eſſe ſervum. Quod eſt ipſa medulla & origo Atheiſmi. Et ſeductores ad Atheiſmum habendi ſunt omnes tale jus naturæ docentes; quidquid verbis proteſtentur.

ſicut illi qui officia erga DEUM remittunt tantum ad Theologiam.

4. Huc etiam pertinent illi, qui docent, officia erga DEUM tantum ſpectare ad *Theologiam* naturalem; Theologia enim naturalis in iſtorum ſenſu, eſt ſcientia *ſpeculativa*, conſiſtens & quieſcens in agnitione veritatis circa divina. Sed veritatem divinam peſſime attingunt, etiam naturalem tantum, illi, qui nihil practice nobis erga DEUM faciendum docent, ſed tantum ſpeculativam conſiderationem DEI exigunt. Nam talis ſpeculatio non repræſentaret DEUM ut Dominum, nec ut principium noſtrum, nec ut finem. Et poſſet talis ſpeculatio eſſe etiam ſi tam homo quam DEUS eſſet ens uterque abſolutum & independens. Hoc autem rurſus eſt principium Atheiſmi. Vid. Cap. V. Them. XV. n. 3.

5. Gundlingium in hanc claſſem non refero. Is enim fatetur, in Jure naturæ non poſſe abſtrahi à DEO ejusque cognitione etiam practica: attamen cum Jus naturæ ad plurima ſe extendat, ipſe profitetur, ſe tantum illam partem juris naturæ tractare, quæ ad externa & pacem colendam pertineat. Quo dicto nolo approbare omnes illius de Jure naturæ doctrinas. Contra Puffendorffius aliique promittunt *totum jus naturæ*, & tamen in re admodum ſubſtantiali deficiunt: unde in periculum ſeductionis conjiciunt diſcipulos ſuos; qui poſſunt inferre, ſe, ſi Puffendorffium teneant, totum jus naturæ tenere. In quo tamen deciperentur.

Pericula ex Puffendorffio &c.

obligationes dantur non ſolum externæ.

6. Ejusdem ſeductionis periculum creant, qui docent, obligationes juris naturalis tantum eſſe ad externa, non ad interna. Interna porro tantum ſpectare ad diſciplinam honeſti quatenus honeſtum eſt juſto contradiſtinctum. Quod idem eſt, ac per omiſſionem aut commiſſionem internam non violari jus; aut, ſubjectionem internorum erga DEUM non dari. Quod eſt Atheum; & tamen ab Heterodoxis non ſemel uſurpatum.

Puffendorffius tantum externas obligationes poteſt admittere.

7. *Principia Puffendorffii* ad hoc thema plane pertinent. Ponit enim Principia, ex quibus totum jus naturæ, ſeu omnes obligationes hominis, quatenus *ratione ſola* attingi poſſunt, eruantur; & ſubſiſtit in ſola *ſocialitate hujus vitæ*, è qua mihi nullam obligationem erga DEUM educere poteſt. Ergo poteſt infirmis perſuadere totum ab ipſis naturæ jus obſervari, modo ſociales ſint. Hoc vero Atheiſmo aut Naturaliſmo eſt plane Germanum. Vid. Cap. XIII. Them. IV.

Quomodo Puffendorffius ſupponat DEUM?

8. Neque abſolvitur Puffendorffius ex hoc, qud alicubi memorat, *ſupponere ſe Deum*: Etiam Epicurus ſuppoſuit. Neque ſufficit, eum alicubi memorare cultum DEI: nam hic cultus non ſequitur ex ejus principiis: ergo infirmi poſſunt ſuſpicari, Puffendorffium nonniſi extra ſua principia & extra oleas, ut ajunt, hoc aliunde inſeruiſſe. Neque ſufficit, ipſum alicubi etiam memorare, DEUM eſſe principium & rectorem omnium, nam ſi id volebat rite docere, debuiſſet etiam omnia in DEUM tanquam ultimum finem referre. In toto autem naturæ jure nihil refert ad DEUM, ſed omnia tantum ad tranquillitatem ſocietatis: In qua ſi totus finis naturæ humanæ conſiſtit, vicit Atheiſmus. Nec reipſa docet *providentiam*, quamvis verbis ſemel efferat; cum neget ratione conſtare, an à DEO præmia ſint poſita; cum aſſerat, immortalitatem animæ ad jus naturæ nihil pertinere. Ipſe Gundlingius loc. cit. affirmat. *Illa moralis doctrina miſerabilis eſt, in qua OMITTITUR immortalitas animæ.* Hæc enim mortalitas eſt omnium Atheorum votum, & Atheis adeo plurimum favet, DEO autem ejusque providentiæ detrahit, conſequenter jus naturæ ſubvertit is, qui totam juſtitiam conſiſtere docet, ſeu ſit immortalis anima ſeu non ſit. Cicero non ex ſacra ſcriptura, ſed ex ſenſu communi hauſit, quod ait. *Providentia DEI ſublata auferri etiam cultum ſincerum & pietatem: cum qua ſimul & ſanctitatem & religionem tolli neceſſe eſt: quibus ſublatis perturbatio vitæ ſequitur & magna confuſio.* Lib. I. de natura deorum. cap. II. Tale jus naturæ præſidio ſuo, Providentia inquam divina, deſtitutum evertit ipſum Puffendorffianum larvatum jus, ipſam ſocietatem, & ne gentilibus quidem, pro quibus iſti doctores ſcribere profitentur, eſt proficuum ſed pernicioſum. Vid. Cap. X. Them. XXXIII.

inconſequenter tantum & lin. dicre.

Neque docet providentiam DEI

adeoque nec juſtitiam.

Immortalitate animæ in medio relicta.

8. Eadem juſtitia tollitur, ſublata animæ immortalitate. *Reſpice enim quid dicam,* inquit S. Cyrillus Hieroſolymitanus: *Multi homicidæ in lecto impuniti*

puniti

ſuniti deceſſere. Ubinam ergo DEI juſtitia? Plerumque homicida quinquaginta homicidiorum reus, ſemel abſciſſo capite pœnas luit: ubinam ergo quadraginta novem cædium pœnas daturus eſt? Niſi poſt vitam hanc fuerit judicium ac retributio, injuſtitiæ Deum arguis. Catecheſi XVIII. n. IV.

Cur SS. Patres adferam ego?

9. Dudum ſuſpicor ſtomachari Wolffium, & philcterodoxos: ſemper me ad Patres recurrere, ad illos Patres, ad Patres in jure naturæ? Das iſt von Hertzen ſchlecht. Equidem & dixi hoc ſæpius & ſæpe dicam: Ego in uno quolibet Patrum plus rationis, juſtitiæ ac virtutis reperio, quam in omnibus, qui larvata adhuc jura naturæ ediderunt. Et quando in juſtitia naturali & religione naturali ad illos rationaliſtas, ut ita dicam, recurritur, majori ego jure mecumque orthodoxi ſtomachabuntur: Das iſt von Hertzen ſchlecht.

Puffendorffius poteſt eſſe ſcandalo gentilibus

Them. IX. Tales doctrinæ ſunt ſcandalum gentibus, casque ſi videant tolerari ut juſtas apud Chriſtianos, poſſunt à ſalute & doctrina Chriſtiana averti.

1. Non enim omnes ſunt ita fortes, ut cum B. AUGUSTINO reponant iis, qui S. Scripturam excludunt: *Illud vero quis ferre poſſit, quod nos notiſſimis ac jam in manibus omnium libris conſtitutis credere vetant, & iis, quæ ipſi proferunt, imperant ut credamus. Egone de illa, quam conſtanter latiſſime divulgatam video, & eccleſiarum per totum orbem diſperſarum conteſtatione munitam, dubitabo miſer, &, quod eſt miſerius, te auctore dubitabo?* &c: De Moribus Eccleſ. Lib. I. n. 61.

cum lex Chriſti à vitæ regula excluditur ſtudioſe,

2. Quis paganus non offendatur, ſi intellexerit, Chriſtianis eſſe datam legem à legislatore ſuo Chriſto, ſecundum quam vivant in omni juſtitia; & tamen à Chriſtianis ſcribi libros de juſtitia in omni vita ſervanda, ac de ea ſcholas haberi, ſic tamen, ut ad hoc jus in omni vita ſervandum Chriſti lex non pertineat, neque ex lege Chriſti diſci poſſit, quomodo in omni vita agendum ſit juſte? Vid. Cap. XI. Them. XVIII. num. 4.

ac DEI voluntas.

3. Et quam abſurdum eſt, ſi *Chriſtiani* negent, DEUM DEI voluntatem ac divina non poſſe humana ratione doceri, atque ideo non eſſe principia juſti naturalis: cum tamen omnes *philoſophi* etiam *barbari* ſtrenuiſſime id propugnent, quod hi, Chriſtiani dicti, negant? Socrates ob id ipſum etiam mortem eſt perpeſſus. Agnoverunt philoſophi DEUM auctorem juſti: ergo poteſt agnoſci. Ergo ab agnito auctore non eſt abſtrahendum, ſed ab eo ducendum eſt principium juſti.

Puffendorffius poteſt in peccatum inducere Principes

Them. X. In peccatum per iſtos, & à Chriſti obedientia, atque adeo ab æterna ſalute *poſſunt* abduci principes.

velut ſi regimen non ſubſtet legi Chriſti,

1. Cum enim ipſis ſuadetur, regna adminiſtrari debere ex jure naturæ hoc eſt ex *ſola* ratione, excluſa hinc penitus lege Chriſti; videtur per hoc ſuaderi, regna Chriſtiana non debere regi ſecundum præcepta DEI, aut Chriſti: ſive in adminiſtrandis regnis non ſpectandas eſſe, multo minus ſequendas regulas Chriſti & Scripturæ Sacræ. Igitur etiam repugnante lege DEI ac Chriſtiana juſte agent reges quidquid *ipſorum rationi* videtur? Hinc profecto ſubire poteſt primo neglectus divinæ legis, tum & parvipenſio doctrinæ Chriſti, propriæque rationis libido; præcipue ſi hæ doctrinæ eorum etiam proceribus inſitæ aſſidue regum aures circumſtrepunt. Hinc deinceps multa in rem publicam mala, cura hujus tantum vitæ, ceteraque ſequuntur, quæ morientes feciſſe nollent.

aut velut lex Chriſti ſit noxia reipublicæ,

2. Cum præterea Puffendorffius aliique palam criminentur, veram religionem noſtram eſſe pernicioſam reipublicæ, videanturque non ob aliam cauſam ſuos juris naturæ libros protruſiſſe, quam ad rem Catholicam denigrandam & inquinandam, adducam hic epiſtolam *S. Auguſtini* ad Marcellinum 738. Auguſtino objecerant quidam gentiles, Chriſti præceptum de malo non reddendo, de maxilla altera præbenda idque genus alia, reipublicæ moribus eſſe contraria; inter cetera reſpondet Auguſtinus interrogando: „Quomodo „ poterant Romani gubernare atque „ augere rempublicam, quam ex parva & inope magnam opulentamque „ fecerunt, qui accepta injuria ignoſcere quam proſequi malebant? Teſte Salluſtio in Catilina. Quomodo „ Cæſari adminiſtratori utique reipublicæ mores ejus extollens Cicero „ dicebat, quod nihil obliviſci ſoleret „ niſi injurias? Dicebat enim hoc tam „ magnus laudator, aut tam magnus „ adulator. Sed ſi laudator, talem Cæſarem noverat: ſi antem adulator, „ talem eſſe debere oſtendebat, principem civitatis, qualem illum fallaciter prædicabat. Quid eſt autem, „ non reddere malum pro malo, niſi „ abhorrere ab ulciſcendi libidine? „ Hæc cum in eorum leguntur auctoribus, exclamatur & plauditur; „ deſcribi atque prædicari mores videntur, quibus dignum eſſet exur-

quod jam ante criminabantur gentiles.

„ gere civitatem, quæ tot gentibus im„ peraret, quod accepta injuria ignoſ„ cere quam perſequi malebant. *Cum* „ *vero legitur præcipiente auctoritate* „ *divina &c: accuſatur religio tan*„ *quam inimica reipublicæ.* Ut quid „ autem ad illud reſpondeam, quod „ dicunt, per quosdam Imperatores „ Chriſtianos multa mala Imperio ac„ cidiſſe Romano? Hæc generalis con„ queſtio calumnioſa eſt. Nam ſi aper„ tius certe de præteritis imperatori„ bus aliqua commemorarent, poſſem „ ſimilia vel fortaſſe etiam graviora de „ imperatoribus non Chriſtianis & ego „ commemorare, ut intelligerent, vel „ hominum hæc eſſe vitia non doctri„ næ; vel non Imperatorum, ſed alio„ rum, ſine quibus imperatores agere „ nihil poſſunt. “ Hæc D. Auguſtinus. Adduxit deinde teſtes Salluſtium & Juvenalem, qui luxu & opulentia periiſſe rempublicam teſtantur. Tum ita pergit: „ Quid ergo exſpectas; ut ego „ exaggerem, quanta mala importave„ rit ſucceſſu proſpero iniquitas ſuble„ vata, quandoquidem & ipſi, qui ali„ quanto prudentius attenderunt, plus „ dolendum viderunt, paupertatem „ quam opulentiam periiſſe Romanam; „ In illa enim morum integritas ſerva„ batur, per hanc autem non muros „ urbis ſed mentes ipſius civitatis dira „ nequitia omni hoſte pejor irrupit. “

Finis Juris Nat. Puffendorffiani evertit rempublicam.

3. Huc nempe deducit tum incogitantia de DEO in adminiſtranda republica, tum finis Puffendorffianus Juris naturæ, ſi nempe in regnis republicaque gerenda pro fine ſtatuuntur *commoda hujus tantum vitæ.* Hæc ipſa commoda, hæc affluentia ſunt illæ peſtes, quæ cum ad ſummum pervenerint, cumque adeo *ſummum bonum Puffendorffianum* videntur jamjamque parituræ, & ſeſe, & ipſa etiam ſecum neceſſaria, rempublicam denique ipſam evertunt & diſſipant. Neque mihi dixeris, non ab affluentia & commodis hanc venire perniciem, ſed à malo commodorum uſu, & ab abuſu doctrinæ abſtrahentis à DEO. Nam affluentia hujus vitæ pro ſcopo juris poſita & neglectus doctrinæ cæleſtioris, ſunt ipſa via ad interitum, nempe affluentia ipſa non ad aliud quam hanc vitam neque ad DEUM ordinata, eſt ipſa tentatio, & illicium peccati, imo ipſum peccatum; cum à fine ultimo deficiat, quippe ad alium finem ultimum quam DEUM ordinata. Doctrina quoque à DEO practice in vita humana ac regimine abſtrahens eſt ipſa deviatio practica à fine ultimo.

Them. XI. Eadem doctrina corrumpit etiam privatos & ſingulos, & Juſtitiæ civibusque eſt exitioſa.

Puffendorffius corrumpit etiam privatos.

1. Si enim religio & doctrina Chriſti non eſt publice neceſſaria Chriſtianis, quis eam neceſſariam exiſtimabit privatim? Apud Spartanos auri uſus erat vetitus. Invento ergo in ædibus auro, quod Perſæ clam ſubmiſerant, deliberabatur. Alii projiciendum ſtatuebant: alii fulgore capti in publicos ſaltem uſus adſervandum: ſed ſapientiores intercessere, hac ducti ratione: Neminem fore, qui privatim contemnat aurum, ſi id publice in honore eſſe conſpexerit. Vicit hæc ſententia, & aurum tenebris ſepultum fuit. Eundem in modum, ſi publice in honore eſt Jus naturæ Puffendorffianum & Wolffianum, ſi publice neceſſe eſt Chriſto aurem præcludere, Scripturam ad vitam civilem nihil attinere putare, ſi publice immortalitas animæ tanquam metaphyſice indemonſtrata ex regula vitæ humanæ eſt excludenda, ſi publice fas eſt moderari imperiis absque reſpectu ad præmia pœnasque DEI tanquam ratione non conſtantes: Si inquam publice poteſt perfecta juſtitia omiſſis ſupra dictis obtineri & beatitudo ac ſummum bonum, & rationabile publice eſt ridere ceteros maxime eccleſiam, Patres &c: quomodo pro ſe quisque privatim exiſtimabit, ſibi aliter agendum. Non erit laudabile, honeſtum ac bonum civi, quod eſt honeſtum principi? Imo mihi videtur, non contemnenda pars reipublicæ Chriſtianæ hac peſte jamjam correpta, & libertinis, exlegibusque ſcatere, qui reges ſibi ſua ſola ratione videantur.

2. *TULLIUS* gentilis ait Lib. I. de natura deorum cap. 2. *Haud ſcio, an pietate adverſus deos ſublata fides etiam & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus JUSTITIA tollatur. Eſt enim pietas juſtitia adverſum deos.* Iſti autem Chriſtiani crepant, à noſtris Patribus juſtitiam naturalem ſublatam conſpurcatamque fuiſſe, quod illi DEI cultum & Chriſti dogmata inſeruerint moribus.

Impertinentia heterodoxorum.

3. Romani nobiles Cato, Pompejus, Lucullus, Piſo, Scipio aliique verſus finem reipublicæ ſolebant aut in Græciam diſcendæ philoſophiæ cauſa proficiſci, aut Græcos magiſtros ſuæ domi audire. Ab his magiſtris immutata ſunt principia moralia ac dictamina nobilitatis Romanæ: qui enim antea fidem, virtutem, leges ſervare ſolum juſtum eſſe pro certo tenuerant, à philo-

Romani ratione ſola, relictis legibus, corrupti ſunt.

ſophis jubebantur non ita ſerviliter addicti eſſe legibus, ſed *RATIONE SUA UTI.* Rationis privatæ uſu ſemel præ ratione publica, præ moribus & legibos patriis recepto, non modo mores boni paulatim evanuerunt, ſed & ſubierunt mali, & confuſio principiorum nata eſt, inter Romanos tanta, quanta fuerat inter Græcos, ut nemo fere quo ſe verteret, aut ubi eſſet jus, inveniret. Hinc ſubiere mortes violentæ ſibimet illatæ, hinc puerorum abuſus, hinc Stoica indolentia, aliaque majoribus ignota. Quæ eo efficacius ſeduxerunt, quod, qui illa ſequerentur & facerent, etiam *Philoſophi*, id eſt Sapientiæ amatores putarentur. Atque in hunc modum non armis magis quam vitiis conciſa eſt illa res publica, quod fatetur Salluſtius loco non uno.

Noſtra ætate contingit idem.

5. Siquis noſtram ætatem conſiderat attentius, neſcio an prope eadem nobis contingant, eademque facientibus eadem etiam timenda ſuperſint. Conſiderent ea Sapientiores, & quibus reipublicæ ſalus curanda in.umbit. Metus autem hoc eſſe debet gravior, quod non illa principla, quæ patrum tantum noſtrorum arbitrio inſtituta ſunt, ſuffodiuntur, ſed quod ipſa DEI lex & ſanguine proprio Confirmatum Chriſti teſtamentum ſupremæque ejus voluntates attendi debere à *juſtis*, iisque etiam *Chriſtianis*, negantur. Et tamen hæc diſciplina pro vera Philoſophia, Sapientia vera, veraque juſtitia venditur; & in ea non parva gloriæ pars à juventute reponitur: atque habentur indocti atque ad rempublicam inepti illi, qui hoc jus Puffendorffianum non ſuxerunt.

Excuſatio Naturaliſtarum vana.

Them. XII. Non excuſat naturaliſtas, ſi dicunt, non negamus Sacram Scripturam aut doctrinam Chriſti, imò agnoſcimus ipſi: Sed per eam non cognoſci naturaliter juſta aſſerimus: Ceterum illam in ſuo vigore relinquimus.

Nam 1. Etiamſi ita haberet, eſt tamen abſurdum, & non tolerandum, idque minus, quàm tolerarent Sinenſes hominem docentem, ex Confutio non debere aut poſſe diſci naturaliter juſtum, ceterum Confutium in ſuo vigore relinqui, minus inquam hoc tolerabile; quia Confutius homo eſt inſtar ceterorum, etiam de Sinarum ſententia, qui errare potuit, & forte erravit. Noſter autem & Heineccii quoque regulator Deus eſt.

Lex Chriſti non dirigit tantum futuram ſed præſentem.

2. Ex horum doctrina ſequitur, etiam à Chriſtianis vitam noſtram præſentem exigi poſſe ac debere, quin pro ejus regula adhibeatur doctrina Chriſti. Nam vita præſens exigenda eſt ex lege naturæ; lex naturæ ex doctrina Chriſti non diſcitur; ergò vita præſens nou eſt ex doctrina Chriſti exigenda. Rurſus vitæ præſentis ſcopus eſt is, ad quem dirigit principium juris naturæ; juris naturæ principium eſt ſocialitas, quæ ſcopum habet tranquillitatem externam hujus tantum vitæ. *Alia autem eſt indoles, alius ſcopus religionis Chriſtianæ ab hac diſciplina juris naturalis; eoque recte Apoſtolus miſerrimos dicit fore Chriſtianos omnium mortalium, ſi in hac tantum vita in Chriſtum ſperarent*, ait Puffendorff. Jur. Nat. Lib. II. cap. III. §. 19. fin. Quo, ni fallor, hoc dicit, Chriſtianam doctrinam non pertinere ad dirigendam hanc vitam, ſed ad futuram, ſi qua ſit, egregie nempè: in hac vita ſerviemus Puffendorffii juri naturæ, & in altera Chriſto. Aut cum hic ſervierimus tribus annis Puffendorffio, ibi æternam mercedem repetemus à Chriſto.

3. Quæro jam: Chriſti doctrina eſtne neceſſaria ad regulandas actiones humanas naturaliter juſtas, an non, idque in præſenti vita? nempe potum aquæ frigidæ dare; abſtinere ab injuria; reddere Cæſari, quæ ſunt Cæſaris; parere dominis; ſubeſſe poteſtatibus; fratri Racha non dicere; aliquibus, qui poſſunt capere, conſilia evangelica ſuſcipienda ſervandaque permittere; Regibus denegare arbitrium tam doctrinæ Chriſtianæ, quam Hierarchiæ & diſciplinæ eccleſiaſticæ? eſtne ſcopus Chriſti, iſta nobis præcipere agenda in hac vita ſolum, cum in altera peragi nequeunt? ſi ita eſt, poteſt ergo & debet Chriſti doctrina habere hunc ſcopum, ut regulet actiones naturaliter juſtas hujus vitæ; non tamen propter hanc vitam tantum; cum nec jus naturæ in hac ſola vita ſubſiſtat, ſed *inſuper* jubeat omnia facere propter aliam vitam, hoc diſcrimine, quod jus naturæ intendat vitam alteram naturalem mere, Chriſtiana etiam ſupernaturalem fruitionem plenam Dei.

Si non eſt ita, ſufficit Chrſtiano, in altera vita Chriſtum ſequi, in hac autem Platonem aut Grotium aut Puffendorffium, imo etiam Platonem ejusque ſanas doctrinas ſequendo, ſequerer nihilominus moralem Chriſti doctrinam; quia Platonis leges & omnium philoſophorum corrigendæ ſunt ſecundum leges morales Chriſti ac reliquæ ſcripturæ.

4. Neque dixeris, Chriſtianum ùt Chriſtianum debere vivere ſecundum Chri-

Digitized by Google

Chriſtum etiam in hac vita; ut Philoſophum vero debere vivere ſecundum Puffendorffium. Quo mihi hæc ſubtilis Philoſophia, quam non modò Apoſtoli, ſed & gentiles contempſerunt? Hi enim profitebantur, ſecundum regulas à DEO traditas vivendum etiam philoſophis eſſe, ſi modo aliquæ à DEO vivendi regulæ nobis revelarentur. *Sic enim creditur & docetur, quod eſt humanæ ſalutis caput, non aliam eſſe philoſophiam, ideſt, ſapientiæ ſtudium, & aliam religionem.* S. Auguſtinus, inquit de vera religione cap. V. n. 8. Plato non uno loco agnoſcit, ſe & alios ſequi debere & ſecuturos eſſe legem, ſiqua à DEO ſibi expreſsè annunciaretur. Nos autem Europæi, & inter hos Germani agnoſcimus legem aliquam à DEO nobis annuntiatam, eam juravimus, eam didicimus; ergò etiam ex philoſophi naturalis ſententia obligamur hanc legem ſervare.

Chriſtianus ut Philoſophus vivat ſecundum Chriſtum.

5. Gentibus enim notum eſt, Religionem vinculum ſeu ligamen eſſe omnium actionum juſtarum: cum omnes legiſlatores initio legum ſuarum hanc poſuerint, ut in omnibus actionibus reſpiciendum ſit ad DEUM, cui ligemur & cujus cauſa ligemur etiam aliis. *Minimè autem convenit*, ait Cicero, *cum ipſi inter nos abjecti, neglectique ſimus, poſtulare, ut Diis immortalibus cari ſimus & ab his diligamur.* III. De finibus Cap. XX. Ergo *propter hoc*, ut ſimus DEO conjuncti ſervanda eſt amoris proximi lex, ſublato autem tali jure omnes virtutes morales tolli neceſſarium agnoſcit idem Cicero. *Nam hæc naſcentur ex eo, quod natura propenſi ſumus ad diligendos homines, quod fundamentum juris eſt: neque ſolùm in homines obſequia, ſed etiam in DEOS ceremoniæ, religioneſque tolluntur, quos non metu ſed eâ conjunctione, quæ eſt homini cum DEO, conſervandas puto.* Lib. 1. de Legibus. C. XV. Unde non parum ſapientior eſt *FRITSCHIUS*, qui in libello *Princeps peccans* dicto probat, peccare Principes, qui *alium*, quam gloriam DEI, & ſubditorum *æternam* ſalutem regiminis ſui finem & ſcopum ſibi propoſitum habeant. Item peccare Principem, qui omne de religione judicium, excluſo clero ac populo, ad ſe trahit. Item eos etiam, qui libertiniſmum & confuſionem religionum in republica permittunt &c. Item qui in delictis divina lege ſevere prohibitis aggratiandi jure abutuntur. Qui homines malos, impios, atheos, latæ vel nullius conſcientiæ in aula ſua fovent, eoſque ad dignitates & officia publica evehunt. Adhæc in delictis contra DEUM diſpenſatio principis nullo modo locum habet, ut agnoſcit & probat *Limnæus* Jur. Publ. Lib. IV. Cap. VIII. num. 280. *Knipſchild* de Civ. Imper. Lib. II. Cap. XXVII. num. 19. *Beſold* Diſputat. Polit. III. Claſ. I. Theſ. XIV. Quæ omnia pulcre oſtendunt, à Jure naturæ, à Politica, à reipublicæ moderatione excludi divina præcepta non poſſe, ſed ex iis diſcendum quid facto opus ſit.

Cum religio dominetur omnibus actionibus humanis.

Etiam Principum in regenda republica

6. Ergo tametſi *ſocialitas* deberet ſtatui pro vero fundamento Juris naturæ, Puffendorffius tamen & alii in ipſa ſocialitate omiſerunt caput, nempe DEUM, atque adeo nullum poſuerunt Juris fundamentum. Quæ autem ſocialitas eſſet ſtatuenda, ſi præfracto animo nolebant à Chriſto diſcere, diſcere potuiſſent aliquo modo ex gentili Cicerone; qui cum Lib. I. cap. VII. de Legibus Principium Juris ex natura non tantum humana, ſed univerſa repetiiſſet, etiam ipſe invenit ſocietatem; ſed *primam hominis ſocietatem* ſtatuit *eſſe cum diis.* Si hoc ex S. Scriptura excerperemus, ſuſpecti eſſemus heterodoxis, ſed Ciceronem utique non habebunt ſuſpectum. Idem & Plato ſenſit in Gorgia, & Philoſophi alii.

Socialitas Puffendorffii caret capite, i. e. DEO.

7. Apoſtoli autem verba de miſeria Chriſtianorum I. Corinth XV. ℣. 19. perperam accipit Puffendorffius, dum vult exſculpere, finem hominis, abſtrahendo à Chriſto, conſiſtere in felicitate ſocietatis tantum in hac vita, per Chriſtum autem finem ſeu aſſecutionem felicitatis poſt vitam homini de novo conſtitutum eſſe. Quam doctrinam eſſe falſam & infidelitatis miniſtram ſequenti capite oſtendemus. Sicut poſt Chriſti prædicationem finis ultimus Chriſtianorum non eſt in hac tantum vita, ita etiam ante illam prædicationem finis ultimus totius humani generis non fuit in hac vita. Ergo ex iſta miſeria majore Chriſtianorum hypothetica Puffendorffius non tantum imperite ſed improbe infert diverſitatem finis ultimi, & ex diverſitate tali patrocinium perperam quærit ſuo larvato Juri naturæ ſcopum in hac tantum vita captandi. *Major illa miſeria* de qua Apoſtolus, hæc eſſet: quia ceteri omnes homines ſi in hac tantum vita finem juſte quærunt moderato uſu hujus vitæ, (quod docet Puffendorff) miſerrimi omnino ſunt; quia quod quærunt non inveniunt, ſed eo

Apoſtoli verba corrumpit Puffendorffius.

Finis hominum non eſt hæc vita, etiam ante Chriſti prædicationem.

æternum carent; Ita eadem ratione miſerrimi ſunt etiam Chriſtiani; imo in oculis hominum minus illuminatorum etiam ſunt miſeriores omnibus aliis hominibus non Chriſtianis, quia & ſine æternum privantur ſicut alii, & inſuper carent illis rebus, in quibus multi homines ſaltem aliquam umbram felicitatis ſuſpiciunt, nempe commodis multis; & mortem etiam, vincula, cruciatus inter illas perſecutiones patiuntur, quas eo tempore expertus jam eſt S. Paulus ceterique.

8. Cæterum quam belle ſonat in auribus Chriſtianorum, juventutis maxime, illud jus naturæ, quod juſtitiam veram conſiſtere docet in appetitu hujus mundi: quodque profitetur ſcopum ſibi propoſitum eſſe à Chriſtiana doctrina *longe abeuntem*. Abortivum tale jus aptum plane eſt à DEO ſummo bono abducere. Nam ſi Puſſendorffius ſerio vult hominem ad DEum converſum & in illo acquieſcentem, ipſius doctrina non haberet ſcopum à doctrina Chriſti alienum. Nunc autem habet, ipſemet confitente.

Jus naturæ Chriſtianum non ſeparandum à Jure naturæ communi

9. Juris naturæ ac gentium *ut Chriſtiani* ſeparatio practica à jure naturæ & gentium in communi & barbaro, eſt contra mentem omnium gentium Chriſtianarum, quæ ab illo multum abhorrent. Quoties legimus in litteris ſic dictis *Manifeſtis* amaras conqueſtiones de exuſtione oppidorum, trucidatione inermium, tanquam contra jus gentium non quidem barbarum, ſed certe Chriſtianorum patratis? In eundem modum *mancipatus* eſt contra jus gentium non quidem barbarorum ſed Chriſtianorum, tanquam in jure naturæ melius eruditorum. De Turcis mancipia facimus, non de Suecis. Ii porro Doctores, qui regulas Chriſtianas ſeparant & excludunt à jure naturæ in erudienda juventute Chriſtiana, *anſam præbent*, *ut de novo introducatur antiqua in bello barbaries*.

Fallacia in dicto *Chriſtianus ut Chriſtianus*

10. Ceterum latet aliqua fallacia in illa diſtinctione & reduplicatione *Chriſtiani ut Chriſtiani*; quæ paucis explicanda eſt. Verum eſt, Chriſtianus duo complectitur, ob hoc ipſum, quia eſt in ſtatu adventitio: Omnis enim ſtatus adventitius habet obligationem duplicem, alteram primam naturalem origigariam, alteram adſcititiam ac derivatam. Sicut aliquis *Francus* habet obligationem humanæ naturæ, & civitatis Francicæ tanquam adventitiæ. Sed hæ duæ obligationes diſtinguuntur inadæquate, ut loquuntur ſcholæ, nimirum diſtinctione *includentis & incluſi*, qualis eſt ex. gr. inter hominem & animam hominis. Jam enim Cap. I. Them. V. docuimus, Statum primævum non tolli per ſtatum adventitium, ſed perfici. Et rurſus eodem Capite I. Themate XIX. & XX. docuimus, ſtatum adventitium non includi in primævo, ſed primævum includi in adventitio. Igitur Status civitatis Francicæ includit in ſe ſtatum humanum. Eodem etiam capite Them. XIV. &c. docuimus, ſtatum Religionis eſſe adventitium: & in ſtatu religionis includi ſtatum primævum humanæ naturæ. Quamobrem verum manet, diſtinctionem inter hominem & Chriſtianum, eſſe diſtinctionem includentis & incluſi ſeu inadæquatam.

11. His, ut erat neceſſe, expoſitis jam facile eſt pervidere *ſophiſma* Naturaliſtarum: Si D. Wolfius inſtruendum in arte ratiocinandi acciperet *Petrum* aliquem, ſuamque Doctrinam faceret attendere unice ad animam Petri, abſtrahendo à Petro ut Petro, quippe ſi doctrina hæc ad Petrum ut Petrum tenderet, non poſſe prodire bonam ratiocinandi artem; credo equidem D. Wolfium hac ſua diſciplina & labore pertenue aut nullum potius minerval promeriturum; neque facile inveniret quemquam, qui eum non pro ſophiſta & nugatore eſſet habiturus. Pari ratione omnes iſti larvati Juris naturæ doctores vocant ad ſe juvenes Chriſtianos, petunt legi à viris Chriſtianis, eiſque promittunt: nos inſtruemus veſtram naturam humanam & docebimus, quales actus juſtos edere illa Debeat? ſed cavemus diligenter, & vos etiam ipſi cavere, ne attendamini tanquam Chriſtiani; hoc enim ſi in vobis attenderetur, non poſſet prodire niſi ſpuria juſtitia naturæ veſtræ. exponitur,

12. Ut eo amplius detegatur ſophiſtica fallacia larvatorum Naturaliſtarum, explicemus, quid ſit Chriſtianus ut Chriſtianus? hoc eſt, quæ ſint *obligationes* Chriſtiani ut Chriſtiani. Nemo Chriſtianorum mihi negaverit, *Chriſtianum ut Chriſtianum* obligari ad duo: nempe ad *aliqua CREDENDA*, & ad *aliqua AGENDA*. Equidem ſuſpicor futuros quoſdam, qui pugnandi pervicacia contendant, Chriſtiano ut Chriſtiano nihil aliud obligationis incumbere, *niſi ut credat*: atque in hoc intime conſiſtit tota Acatholicorum ſecta, Chriſtiano ut Chriſtiano nihil præter *ſolam fidem* eſſe neceſſarium, nulla autem *opera* ſeu agenda illi ut Chriſtiano impoſita. Si hæc eſt ſententia larvatorum Juris naturæ doctorum Puffendorffii, Heineccii, Wolfii, quos denudan-

magisque declaratur

heterodoxi ſub larva Juris naturæ

voluit ſtabilire hæreſin de *ſola fide* juſtificante

nudandos ſuſcepimus, in aprico jam eſt: *Iſtos doctores nihil aliud per Jus naturæ ſuum quærere, quam ut hæreſin & ſectam per ſpeciem Juris naturæ in omnes homines derivent:* Nempe ſolam fidem ſufficere Chriſtiano. Quodſi jam totius Acatholicorum Juris naturæ ſcopus in ſolus eſt, ut hæreſis larva Juris veſtita tradatur, quomodo non erubeſcunt Catholici parentes filios ſuos horum diſciplinæ tradere? Aut quomodo non erubeſcunt illi, catholici, qui de hoc periculo moniti frigide & inſulſe reſpondent: hæc monita ſunt ex animo inſulſa, das iſt von Herzen ſchlecht. Videatur Præfationis noſtræ finis. At vero ſi Acatholici Naturaliſtæ confitentur, pet jura naturæ à ſe deſcripta nihil aliud quæri, quam ut hæreſin ſuam de *ſola fide* ſtabiliant etiam inter Catholicos, ſive ut Catholicam teligionem evertant, & mundum hæreticum facient: ego cum illis pugnam jam non conſeram. Sufficit mihi *LARVAM DETRAXISSE*, ut hæreſis, jam nuda ſine adſcititio pulcro veſtitu compareat. Cæterum remitto lectores ad Theologos noſtros, imo & ad antiquiſſimos Eccleſiæ Patres, ad Apoſtolos, ad ipſius Chriſti præceptoris verba, quæ docent, ſolam fidem Chriſtiano ut Chriſtiano non ſufficere; atque adeo illos, qui contraria Chriſto docent, non colligere cum Chriſto &c.

Chriſtianus ut Chriſtianus tenetur obligationibus naturalibus.

13. Suppoſito ergo, fidem ſolam Chtiſtiano ut Chriſtiano non ſufficere, conſequitur, *Chriſtianum UT CHRISTIANUM obligari ad Bona opera*, ad virtutes, ad juſtitiam naturalem. Ex hoc autem rurſus manifeſtum eſt, eum doctorem, qui Chriſtianum informandum accipit in juſtitia naturali, id Beneficium præſtare Chriſtiano ut Chriſtiano, quia Chriſtiani ut Chriſtiani eſt, opera bona facere. Sicut è converſo qui Chriſtianum ut Chriſtianum erudiendum accipit, debet omnino jura naturæ & virtutes illum docere, quia hæc conveniunt homini Chriſtiano ut Chriſtiano.

Obſervatio Juris naturæ eſt Chriſtiani ut Chriſtiani

14. Præterea juſtum ſophiſma ex alio peſtilenti fundo excrevit: quem nunc detegemus. Ad omnia illa obligatur Chriſtianus *ut Chriſtianus*, quæ à Chriſto præcepta ſunt diſcipulis ſuis ita, ut ex obſervatione horum præceptorum agnoſcerentur eſſe diſcipuli Chriſti ſeu Chriſtiani. Sive ſigna, ex quibus aliquis agnoſcitur eſſe Chriſtianus, conveniunt homini *ut Chriſtiano* ſeu Chriſtiano ut Chriſtiano. Jam autem ſignorum iſtorum duo iterum ſunt genera, alia conſiſtunt in eredendo, alia in agendo. De ſignis Chriſtiani in credendo conſiſtentibus, non eſt quod addamus verbum. De agendis autem manifeſtum ex Evangelio & ex Apoſtolorum epiſtolis eſt, Chriſtum mores & juſtitiam exigere perfectam ad hoc ut agnoſcantur ex iis eſſe diſcipuli Chriſti ſeu Chriſtiani. Et hactenus quidem doctrina, quam expoſuimus Catholica eſt: ſed jam exponenda eſt hæreſis Acatholicorum, cui larvam juris naturæ circumponunt.

Heterodoxorum id negantium ſcopus eſt, *Chriſtum non eſſe legislatorem.*

Nimirum negant, *Chriſtum Præcepta edidiſſe ad vitam hanc pertinentia*: negat Puffendorffius Chriſti doctrinam ad hanc vitam pertinere, *ALIUM eſſe hujus doctrinæ SCOPUM* nempe vitam alteram, ſiqua datur, negant alii heterodoxi, *CHRISTUM LEGISLATOREM* eſſe, ex quo etiam negant, Chriſtiano ut Chriſtiano *agenda* incumbere. Quæ hæreſis dudum expugnata, hoc loco debellari à me iterum non debet: non enim inſtitutum jam fert meum contra hæreſes dimicare, ſed oſtendere, Jus naturæ heterodoxorum ad hoc tendere: ut Catholica religione è diſcentium animis per fraudem ejecta per fraudem irrepat hæreſis, hoc autem cum oſtendo, uti nunc denuo oſtendi, *Larvam Juris naturæ*, heterodoxorum libris utique detraho; Agnoſcant igitur incauti monitorum noſtrorum contemptores, quam ex animo inſulſum ſit eorum judicium, von Herzen ſchlecht.

Chriſtianus meliorem habet legem naturæ.

15. Hactenus dicta rationem ſatis claram habent, ſiquis nolit ultro claudere oculos. Etenim Lex naturæ tantum nos obligat, quantum eſt nobis cognita; eo quod ipſa cognitio practica obligationis ſit ipſa Lex naturæ participata, ut docuimus ſemper; atque hæc eſt cauſa, cur invincibiliter ignorans non peccet, ſeu non agat contra legem naturæ, quia in hoc caſu legem non habet, ſive non habet cognitionem practicam obligationis. Jam vero Chriſtianus *ut Chriſtianus* practicam cognitionem obligationum naturalium habet & intenſive & extenſive majorem ac certiorem. Chriſtianus ergo *ut Chriſtianus* habet firmiorem obligationem naturalem. Quapropter denique qui obligationes naturales tradit Chriſtianis, non poteſt excludere lumina illa majora ac certiora, quæ Chriſtianis *ut Chriſtianis* conceſſa participataque ſunt. Eſſe autem Chriſtianis talia lumina, nemo qui quidem Chriſtianus ſit, ignorat. Ideo quippe Plato reliquique gentiles doctrinam juris naturæ incertiorem, mancam, & non tato pravam tradiderunt, quia lumen ſuperius optabant

quidem, ſed obtinere non poterant. Et ideo heterodoxi Juris naturæ doctrinam tradunt non mancam tantum ſed pravam & à DEO fine naturæ abducentem, quia lumen ſuperius ipſis immerentibus oblatum petulanter repellunt & exeſſe jubent.

Gentiles agnoverunt,

16. Ut oſtendamus autem, non à nobis tantum ita ſentiri, ſed à ſapientiſſimis jam olim atque nunc viris, præ quorum luce noctuæ ſint Puffendorffius, Heineccius, Wolffius; Theologi dudum obſervarunt, ab omni genere humano agnitum fuiſſe, lapſam à ſtatu meliore eſſe naturam humanam, atque in ignorantiæ & infirmitatis barathro jacere, è quo emergere nequeat, niſi veniat quiſpiam & potentiæ maximæ & ſapientiæ, qui manum docendo juvandoque porrigat. Quotquot igitur venerunt tales ſapientes, paſſim agniti & aliquo tempore habiti fuerunt pro talibus, qui humanum genus ex his malis ad juſtitiam veram & verum bonum perducturi eſſent: quamquam incaſſum: Venit ergo Orpheus, venit Mercurius, Lycurgus, Socrates, Plato, Zeno, promiſeruntque hominum generi liberationem: Nos ſequimini, beati eritis. Et profecto multi in eorum ſe diſciplinam tradiderunt, donec cernerent etiam hos ad vera bona neutiquam conducere. Venit ad extremum Chriſtus, ſuam doctrinam proponens talem, ut ſi is vera auxilia non præbuit, verumque bonum non docuit, deſperatum ſit de omnibus aliis. Videatur hæc pulcre expendens *THOMASSINUS* Dogmatum Theologicorum Tom. III. de Adventu Chriſti Cap. XIII. & Tomo I. de Incarnatione Lib. I. Cap. VIII. &c. Ubi oſtendit inter auxilia à Chriſto præbita humano generi eſſe: *Legem naturalem* ad majorem perfectionem redactam, repurgatamque à gentilium tenebris & erroribus: docens, hanc etiam vitam deponendam eſſe, ut ex hac ſovea emergas ad felicitatem homini ab initio deſtinatam. Quod Philoſophi aut neſcierunt, aut dicere auſi non ſunt, aut efficere & impetrare à ſuis non potuerunt. Nam *Socrati quidem certe nemo tantum* fidei

homini lapſo neceſſarium eſſe reſtauratorem.

Pro talibus habiti ſunt veteres Philoſophi; Incaſſum.

Chriſtus denique juvit

Legem naturæ perficiens.

Pro quo mortem ſubiere multi, non pro philoſophis.

„ habuit, ut pro placito ejuſcemodi
„ mortem perferret; Chriſto autem,
„ qui & à Socrate ex parte agnitus
„ eſt &c. - - - Non quod alienæ ſint à
„ Chriſto Platonis doctrinæ, ſed quod
„ ſibi ipſis non omnino conſtent; ſicut
„ neque aliorum, Stoicorum videlicet
„ Poëtarum & Hiſtoricorum. Pro ſe
„ enim quiſque ex parte nativæ ſibique
„ inſitæ divinæ rationis id quod affine
„ & cognatum ſibi eſſet cernens, re-
„ cte promulgavit. - - - Quæcumque
„ ergo apud omnes recte dicta ſunt, no-
„ ſtra Chriſtianorum ſunt. Nam ſcripto-
„ res omnes propter rationis ſemen il-
„ lis inſitum *perquam tenuiter* ea quæ
„ ſint, cernere potuerunt. Aliud eſt
„ enim ſemen alicujus & imitatio pro
„ virili parte conceſſa, aliud id ipſum
„ per cujus gratiam inde provenien-
„ tem participatio illa & imitatio exi-
„ ſtit. „ S. Juſtinus Martyr Apologia

prima. Nempe aliud ſunt Philoſophi ex tenui radio veritatis loquentes; aliud ipſa veritas & ſol juſtitiæ; Aliud Puffendorffius, Wolfius, Heineccius ad ſolem hunc ultro occludentes oculum, ut videntes non videant, & intelligentes non intelligant, quando lumen humano generi ab antiquo exoptatum ad Juris naturæ doctrinam iſti recalcitrantes petulco pede eijciunt. Nos vero hoc argumentum claudemus prolata pulcra ſententia S. Chryſoſtomi in Epiſtolam Imam ad Corinthios Homilia VII. ubi obſervat, gentes non fuiſſe relicturas veterem doctrinam, ſuavem & commodam, qualis eſt noſtrorum heterodoxorum, amplexurasque haud fuiſſe doctrinam Chriſti ſeveram, niſi hæc præ illa viſa fuiſſet rationabilior.

minime pro Puffendorffio &c.

„ Atqui, inquit, gentium quidem res
„ & inſtituta abſque diſcrimine (peri-
„ culo) tenuerunt; noſtra autem ſu-
„ ſceperunt cum periculis. Quam-
„ obrem ſi cum majori ea ratione te-
„ nuiſſent, quum in eis tanto tempore
„ eſſent educati, non ab eis defeciſſent;
„ & maxime cum nec ſine periculo li-
„ ceret ab eis deficere. Poſtquam au-
„ tem ex ipſa rerum natura cognove-
„ runt, illa eſſe periculo & errore ple-
„ na, propterea etiamſi mors intenta-
„ retur, à conſuetis quidem defece-
„ runt, ad nova autem confugerunt:
„ utpote *quod hoc quidem dogma (Chri-*
„ *ſtianum) eſſet ſecundum naturam, il-*
„ *lud vero præter naturam.* Gentium

exemplo & nos à Puffendorffii, Heineccii, Wolffii ac ceterorum doctrina juris naturæ abſtineamus, & ſequamur doctrinam Juris naturæ à Chriſto luculentiſſime traditam, utpote, *quod hoc quidem dogma ſit ſecundum naturam, illud vero præter naturam: id* quod ultimis hujus libri partibus amplius docebimus.

17. Waltonius doctiſſimus Anglus editor Bibliorum Polyglottorum in præfatione agnoſcit dicitque, *aurea eſſe ac veriſſima verba* Pontificis maximi Gregorii XIII. in literis Apoſtolicis ad Regem Catholicum datis, quæ Bibliis regiis

S. Scriptura præcepta moralia plene continet.

giis præfixæ ſunt, nempe: *Scripturarum beneficium permagnum eſſe. Namquod ad theologiam attinet, quæ eſt ſumma philoſophia, his libris omnia noſtræ religionis & divinitatis myſteria explicantur: quod vero ad eam partem attinet, quæ MORALIS nominatur, HINC quoque OMNIA ad OMNES VIRTUTES PRÆCEPTA colliguntur: Quibus quidem duabus partibus omnis noſtra ſalutis & felicitatis ratio continetur, ut nihil eſſe poſſit horum librorum lectione dignius, nihil fructuoſius, NIHIL OMNI HOMINUM GENERI ACCOMMODATIUS, nihil majori doctrina & ſapientia refertius.*

18. Equidem iſta omnia de S. Scriptura eſſe plane vera, convictiſſimus quisque eſſe debet ex ipſa ejus lectione; quæ lectio certiſſime oſtendet, Jura naturæ omnemque moralem doctrinam cum ſummo & unico fundamento deſcriptam eſſe in Sacratiſſimo hoc libro. Atque ego tot virorum idem ſententium dicta non eo fine protuli in medium, quaſi horum ſententiæ eſſent demonſtrationes mathematicæ iſtius rei: Sed quod ſint demonſtrationes morales, quæ mathematicis in certitudine nihil concedunt, ut dudum Illuſtris Huetius in demonſtratione Evangelica probatum dedit.

Scripturam ad Jus naturæ valere probarunt multi.

Conſideret, oro, lector, uter ex duobus in regula morum accipienda ſequendus ſit? An illi, qui dicunt, S. Scripturam non bene ſtatui pro regula morum, id eſt, pro libro tali, ex quibus mores & Jura naturæ diſci poſſint; quique hujus dicti ſui rationem aut pondus nullum proferunt? An potius ſequendi ſint illi, qui S. Scripturam dicunt ad hoc probe valere; quique dicta ſua pulchre oſtendunt, quibus liber ipſe Scriptura omnino conformis eſt; & quibus ſuffragatur experientia multa, eo quod multi ex illo libro vera ac ſana naturæ jura, alias ignorata, didicerint?

negant heterodoxi ſine probatione.

Heterodoxi aliqui, homines pauci, iique heri nati dicunt, Scripturam ad hoc nihil valere, neque dicti ſui afferunt demonſtrationem, quam ipſi ſibi alias fieri poſtulant, de rebus etiam ſole clarioribus? neque oſtendunt experientiam ullam. Iſtis nos opponimus tot alios viros prudentes, dictorum ſuorum rationem reddentes; opponimus confeſſionem ipſorum heterodoxorum vel ab invitis expreſſam; opponimus experientiam. Poſtulamus igitur jure, uti ſententiam æquus lector ferat.

Quos refellit experientia.

Experientia autem videtur rem omnino conficere debere. Nam ſi vel unus hominum fundamenta vera ſani juris naturæ oſtenditur didiciſſe ex S. Scriptura potius quam vel ex aliis libris, vel ex inventis rationis philoſophicæ, ac metaphyſicæ; hoc ipſo jam erit ſemper verum, Poſſe ex S. Scriptura diſci jus naturæ verum ac ſanum, idque melius quam ex ontologia profana. Atqui non unus homo, ſed innumerabiles etiam populi interque hos Germani majores noſtri. Vid. epiſt. *S. Hieronymi* ad Sunniam & Fretelam. Veriora ac ſaniora jura naturæ didicerunt ex ſcriptura ſancta, quæ tamen jura ex ratione librisque profanis & ontologia frigida nec illi nec alii potuerant diſcere: uti manifeſtum eſt, & à nobis aliquo modo exhibitum. Igitur eſt manebitque ſemper verum, Jura naturæ non tantum bene ex S. Scriptuta diſci poſſe, ſed *melius* quam ex ratione ac philoſophia profana, maximeque ex Ontologia Wolffiana, ceteris multo ineptiore ad fundamentale ac ſolidum Jus naturæ docendum aut demonſtrandum.

Them. XIII. Fruſtra contendunt Naturaliſtæ, ſe non docere, deſerendam eſſe doctrinam Chriſti, atque ex actionibus vitæ humanæ excludendam, ſed tantum ex jure naturæ demonſtrando; ceterum ſuadere, ut pro actionum regula aſſumatur Chriſti doctrina.

℞. 1. Si ſaltem hoc proteſtarentur, illudque ſæpius facerent, non tantum eſſet periculum perverſionis in juventute incircumſpecta. Sed non faciunt. Contra aſſidue clamant tantum de neceſſitate hujus ſocialitatis, deque injuſtitia actionum, quæ ad hanc non tendant, deque excludendo Evangelio.

Eſt proteſtatio actui contraria.

℞. 2. Quin etſi iſtas proteſtationes facerent, non ſatis facerent. Si enim eadem actio, quæ jure naturæ recta eſt, regulanda tamen neceſſario eſt per doctrinam Chriſti: ſi ratio humana ac tota natura regulanda eſt per DEum, & ipſum jus naturæ ſubeſt DEO: Si Chriſtiani actione naturaliter juſta ſalvari non poſſunt, niſi ſit juſta ex regula Chriſti: ſi idem eſt utriusque doctrinæ ſcopus: ſi ſcopus unius doctrinæ attingi non poteſt à Chriſtiano, quin adhibeatur altera doctrina; cur Chriſtianos ita inſtruunt, ut ſemper doceant tantum unam doctrinam adhibere altera non tantum tacite præterita, ſed conceptis verbis contentioſe excluſa? Sicut Doctores Chriſtiani, Apoſtoli, Patres, Theologi, cum doctrinam Chriſti explicant & tradunt populis, non excludunt doctrinam morum naturalem; quia nec ipſe Chriſtus eam excluſit, ſed elegantiſſime tradidit: Ita Chriſtiani Doctores Juris non debent id quod majus eſt & quod ad

finem

ſinem naturæ ultimum certius conducit, excludere; quia etiam ipſa natura non excludit divinam doctrinam, ſed unice exigit atque exoptat tanquam perfectionem ſuam. Præcipue cum *doctrina moralis Chriſti ſit revera doctrina juris naturæ.* Vid. ex Gundling. ſupra Th. III. num. 3.

℟. 3. Is qui ceteros omnes juſti doctores ſugillat & explodit, quique promittit verum & *perfectum jus naturæ* tradere hominibus, ex quo perfectam juſtitiam diſcant, non debet à ſua doctrina practica excludere doctrinam juſtitiæ naturalis ceteris omnibus perfectiorem: omnibus autem perfectior eſt ea, quæ in ſcriptura ſacra continetur & in doctrina Chriſti. Vid. ſupra Them. VII.

Jus naturæ heterodoxum poſſet tolerari *ſpeculative* forte, ut Epicureorum.

℟. 4. Ferendi forte eſſent, ſi dicerent, Jus ſuum naturæ eſſe tantum ſpeculativum & per modum hypotheſis, ſicut leges Platonis & Ciceronis. Nunc vero contra faciunt, voluntque reipſa ſic vivi, ut ipſi docent, ſic adminiſtrari rempublicam, ſic opprimi religionem, ſic felicitati hujus vitæ omnia poſtponi. Sicut Epicureos fortaſſe minus damnaſſent ceteri philoſophi, ſi illi per modum hypotheſis expoſuiſſent ſpeculative ſuam de voluptate doctrinam, ut otioſis materies diſputandi ſuggereretur: Verum cum illa doctrina in mores tranſit, & voluptas pro fine vivendi aſſumpta eſt, merito damnata eſt illa cacoſophia. Quamvis enim forte Epicurei veram & laudabilem voluptatem intelligerent, damnari tamen meruit eorum doctrina, quia pronam occaſionem præbere potuit aberrandi: ita damnari meretur etiam doctrina Naturaliſtarum, quia ex ea pronum eſt ſaltem minus circumſpectis, deviare ab ultimo fine, & conſiſtere in felicitate caduca.

Them. XIV. Rurſus non juvat Naturaliſtas, tueri ſe exemplo Juris civilis. Nam etiam in hoc abſtrahitur, inquiunt, à religione & Scriptura, eaque doctrina relinquitur Theologis.

Jus Civile non abſtrahit à religione.

℟. 1. Jura Civilia non abſtrahunt à religione Chriſtiana, ſed eam pro fundamento ponunt. Legatur frons ipſa Codicis Juſtinianei: *De ſumma Trinitate & fide Catholica, & ut nemo de ea publice contendere audeat.* Hi autem naturaliſtæ non tantum audent de ea fide publice contendere ſed eousque temeritatis procedunt, ut eam publice editis libris excludant à juſtitia & adminiſtranda republica. Deinde Lex prima Codicis quid imperat? *Cunctos populos, quos Clementia noſtræ regit imperium, in tali volumus religione verſari, quam divum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis religio usque adhuc inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandriæ epiſcopum, virum Apoſtolicæ ſanctitatis: Hoc eſt, ut SECUNDUM APOSTOLICAM DISCIPLINAM EVANGELICAMQUE DOCTRINAM Patris & filii & ſpiritus Sancti unam Deitatem ſub pari majeſtate & ſub pia Trinitate credamus. Hanc legem ſequentes CHRISTIANORUM CATHOLICORUM nomen jubemus amplecti: reliquos vero DEMENTES VESANOSQUE JUDICANTES, hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere, divinâ primum vindicta, poſt etiam motus animi noſtri, quem EX COELESTI ARBITRIO ſumſerimus, ultione plectendos.*

Sed hereticos damnet, veſanosque declaret.

Ex quibus liquet, hereticos, id eſt à Sede Petri & à doctrina Evangelii, Apoſtolicaque *diſciplina* ſeu inſtitutione alienos ab Imperatoribus non agnoſci *naturaliter juſtos*; quia eosdem *DEMENTES & VESANOS* pronunciat, id eſt à recta ratione ſive à jure naturæ alienos.

In hanc autem ſententiam conſpirant cetera Juris Civilis communis edicta eodem & ſequentibus titulis propoſita. *Sacras & divinas regulas etiam noſtræ ſequi non dedignantur leges.* Novel. 83. cap. 1.

Sacros autem Canones non minus quam leges valere, etiam noſtræ volunt leges. Sancimus in illis obtinere, & quæ ſacris viſa ſunt canonibus, perinde ac ſi civilibus inſcriptum eſſet legibus. Leg. 45. Cod. de Epiſcop. & Clericis. Add. Novell. 6. §. 8. & in epilogo & proœmio ejus. Et Novel. 131. cap. 1. ait Imperator: *Prædictarum enim quatuor ſynodorum dogmata SICUT SANCTAS SCRIPTURAS accipimus, & REGULAS SICUT LEGES OBSERVAMUS.* Et Tit. V. de Hæreticis & Manichæis leg. 2. dedecernitur: *Hæreticorum autem vocabulo continetur, & latis adverſus eos ſanctionibus ſuccumbere debent, QUI VEL LEVI ARGUMENTO à JUDICIO CATHOLICÆ RELIGIONIS ET TRAMITE DETECTI FUERINT DEVIARE.* Cætera denique, quæ ſi ſerventur, horrorem incutiant Naturaliſtis.

Qui ſint hæretici?

Juris Civilis Doctores non abſtrahunt à religione.

℟. 2. Juris quoque Civilis conſulti & interpretes easdem vias inſiſtunt, & ante omnia docent, Chriſtianis neceſſum eſſe dogmata & diſciplinam ſcripturæ, Chriſti, & Evangelicam ſectari,

docent,

docent etiam jus civile corrigi à Chriſto ejusque eccleſia; atque adeo ubi Jus civile aberrat, quamquam videretur ex natura ſumptum, regulam habere ſuperiorem, nempe Chriſtianam: Id quod paſſim Catholici ICti uno ore profitentur, & plurimi etiam Acatholicorum. Quod vero uberiorem Doctrinæ Chriſtianæ tractationem ipſi non faciant, fatentur ſibi non ſatis adeſſe virium ad utraque tractanda, ſuntque parte imbecilliore contenti, nutum ſecuturi fortioris partis. Naturaliſtæ autem hodierni omnia judicant, omnia deſpiciunt, Chriſtumque ipſum inutilem juri naturæ manifeſte docent; promittentes perfectum Jus naturæ tradere, Chriſto neceſſariè excluſo.

Cur eam non ex profeſſo tractant?

Puffendorffius ſecum pugnans.

Them. XV. Ipſe etiam Puffendorffius alicubi oblitus erroris ſui, dum pugnat contra alios, his ſe armis tuetur, & ſtatuit, pro regula agnoſcendi veri juris naturæ ſumendam eſſe Religionem, & Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem. Eoque pejus alibi eandem hinc excludit. Nunquam enim ſibimet eſſe conſentiens in totum error poteſt.

Pro regula Juris naturæ ſtatuit Religionem & auctoritatem.

1. In Præfatione Juris Naturæ, Grotii laborem judicat talem eſſe, ut multa emendatione indigeat, aut potius omnino aliud ex integro Jus naturæ cudendum ſit. Quod fieri non eſſet opus, ſiquid Jus Grotii valeret; quemadmodum Heineccius id ipſum de Puffendorffio edixit poſtea. *Quantumcunque tamen*, inquit Puffendorffius, *ejus viri* (Grotii) *fama nobis cordi ſit, qui & peculiari nomine ejusdem filio obſtricti ſumus; fatendum tamen eſt, non pauca ab ipſo plane eſſe prætarita, quædam levi duntaxat brachio tractata, quædam denique admiſta, quæ & ipſum hominem eſſe arguerent.* * *IMPRIMIS autem non exiguam nobiliſſimo operi LABEM aſpergunt, queis PASSIM à RECEPTIS ORTHODOXÆ ECCLESIÆ SENTENTIIS DIVERSUS ABIT. Qui quidem magnorum ingeniorum INFELICISSIMUS LABOR MIHI SEMPER VISUS FUIT, CIRCA DIVINA ALIQUID NOVARE; cum tanta aliarum rerum ſuperſit copia, in qua alicui INNOXIE cornicum oculos configere liceat. Et PER ISTHÆC ETIAM VERE AC UTILITER DICTIS AUCTORITAS DETRAHITUR, ac plurimorum aſperrimæ cenſuræ provocantur, qui aliàs contra tales viros ne hiſcere quidem digni erant. Conati quidem ſunt viri quidam docti editis ad iſtius libros de Jure Belli & Pacis commentariis his DEFECTIBUS mederi; quorum unus & alter operæ pertium fecit non ſpernendum. Aliis tamen LONGE UTILIUS JUDICATUM FUIT, TOTAM ISTAM MATERIAM DENUO INCUDI SUBJICERE, AC IN NOVAM FORMAM REFINGERE.*

* *R. P. Deſing. Pars I.*

Idem in Apologia §. 37. agnoſcit legitimam cauſam repudiandi alicujus Juris naturæ ſcripti eſſe, ſi illud ſcriptum erroribus heterodoxis ſit infectum. Ait enim citato loco: *Hobbeſium autem & Grotium, qui tam MULTA à RELIGIONE NOSTRA ABEUNTIA ſuis operibus immiſcuerunt, ne amplius juventuti prælegere cogerer, librum meum præcipuè edidiſſe me profeſſus ſum.* Sententiam, quam in Grotium dixerat, in ſemet tulit. Hæreſes enim damnatas eum paſſim in hoc opere docuiſſe ex ipſomet ubique apparet: & alibi in libello de habitu Religionis &c. palam profitetur, ſibi in hoc opere id maximè propoſitum fuiſſe, ut Catholicam religionem everteret. Quin & heterodoxi ejus collegæ hæreſeos ipſum & corruptæ juventutis poſtularunt. Quorum *Becmannus*, *Quem*, inquit, *corruptarum novitatum pruritus præpoſtere inſtigat contra juris naturæ & divini ſolida fundamenta, is unicum omnium inſtar ſibi commendatum habeat Puffendorffium* &c.

Equidem huic apologiam oppoſuit Puffendorffius, ſed malignis Sarcasmis & auditu fœdis maledictis, quam ratione aliqua refertiorem.

Item Sekendorffius.

Et ipſe Ludovicus *Sekendorf* grande inter Hèterodoxos Luteranos nomen & columen maluit cum Bœclevo & Caſparo Zieglero ſentire, qui jus naturæ per ſcripturam regulari inter Chriſtianos ſuadebant.

Nec agnoſcit utilitatem in ſeparatione illa Puffendorffiana. *Enim verò* inquit Sekendorffius, *è recentibus hypotheſibus (contra mentem quidem & ſcopum Auctorum) proterva noſtra & verbum DEI quotidie magis faſtidiens juventus anſam arripit, ut veteres regulas, quæ apud ipſos tanquam Chriſtianos*

L *meritò*

* Si talia in Catholicis Doctoribus deprehendiſſet Puffendorffius, ſtupidos illos, barbaros, juris omnis exſortes, pecudes, fortaſſe & tenebriones dixiſſet.

meritò valere debebant, non ampliùs ma-
„ *gni* æſtimet, recentibus autem haud „ conſtanter fidem adhibeat, & non „ ulterius, quam quatenus expedit. „ *Unde & hodie plures quam unquam* „ *aliàs dantur homines, qui Principum* „ *ac rerum publicarum deſtinatis QUA-* „ *LIBUSCUNQUE è laxis illis & per* „ *probabilitatem corruptis principiis* „ *FACILE ASSENTIRI, COLO-* „ *REMQUE ALLINERE POS-* „ *SUNT.* Chriſten-Staat. pap. 315.

Rurſus Puffendorffius.

2. Pergit autem *Puffendorffius* loco citato cenſuram in Hobbeſium ferre in hæc verba: *Sed quod & hic IN RELIGIONE PECULIARIA ſibi & horrida dogmata finxerit, hoc ipſo apud multos NON CITRA RATIONEM ſui averſationem excitavit.*

3. Ultimo deinde concludit: „ His „ ergo cauſis motus operi huic manum „ admovi, atque univerſam hanc ma- „ teriam eo, qui mihi commodiſſimus „ fuit viſus, ordine digeſſi, atque id „ laboravi, ut omnia ſolidis & perſpi- „ cuis rationibus, quantum fieri potuit, „ confirmarem, & *illa, IN QUI-* „ *BUS ANTEA LAUDATI AU-* „ *CTORES IMPEGERANT, DE-* „ *CLINAREM.*

qui Theologos ſpernens.

4. Reddit denique Puffendorffius rationem cur Theologos Catholicos excludat: *Scilicet his hominibus SUORUM TRADITORUM NULLUM CERTUM FUNDAMENTUM aut hypotheſin ſubſternere ſolemne eſt; ſed præter illa, quæ à JCtis mutuari ſolent, frivolas ut plurimum quæſtiones paribus ratiunculis confirmare contenti, de cetero integras legiones ſuæ ſectæ ſcriptorum allegâſſe præclarum habent, quorum unum ſi noveris, omnes noveris; ita omnes magno conatu magnas nugas agunt, ut tamen vix ulla ſit quæſtio, in qua iſti in partes non diſcedant.*

Seipſum damnat,

& à diſcipulis damnatur.

5. Egregiam in ſe ipſum ſententiam adornavit Puſſendorffius, quam deinde promulgat in ipſum ejus diſcipulus Heineccius, *Nullum certum fundamentum* eum jeciſſe, frivola confuſaque egiſſe ita ut velut data opera tenebris omnia involveret, neceſſitatemque diſcinulis ſuismet imponeret totam iſtam materiam de novo refingendi, utinam felicius. Vid. Them. XIV. Cap. VII.

J. N. non orthodoxum damnandum,

6. Ex his autem manifeſto liquet, per ipſum Puffendorffium illud jus naturæ relinquendum exterminandumque putari, quod in religione recedat à *receptis* orthodoxorum ſententiis, ab Eccleſia, à religionis puritate. Et quanto magnis exterminandum eſt illud, quod religionem orthodoxam omnino exturbatum it, & præterea errores dudum damnatos & cum his novos inſerit, atque Naturaliſmo ac Atheſimo viam complanat? Nonne ob iſta tanta piacula etiam ea, quæ ſana dicit Puffendorffius, ſuſpecta fiunt, aut certe minoris fieri debent, aut omnino legi 2. Codic. de Sum. Trin. ſupra exſcriptæ ſubjacere? Plures ipſorum Proteſtantium in hunc cenſuras collegit Cl. P. Schwarz, Prolegom. J. N. Inſtruct. VII.

Dogma Naturaliſtarum.

7. Congruit quodammodo Puffendorffii doctrina cum doctrina nuperi cujusdam Angli ſic dicti Archiepiſcopi *Naturaliſmum* palam defendentis: qui ait, Præſtaturum homini, ſi nulla religio revelata eſſet, ſed ſolis luminibus & ideis naturalibus regeretur, & relinqueretur appetitibus, cum hi plus tendant & apti ſint ad pacem & felicitatem ſocietatis. Idem ſic dictus Archiepiſcopus impietatis ſeminator concludit; quia revelatio obſcuritatem habet, homini nullas alias regulas actionum ſuarum ſupereſſe, quam leges civiles, & religionem naturalem. Nomen peſtilentis prodere haud eſt opus. Eruditiores non ignorant.

Objectio. Lex Chriſti in jure naturæ admittenda

Them. XVI. Inanis eſt contra doctrinam Chriſti objectio iſta: Si doctrina Chriſti eſt admittenda in jure naturæ docendo, vel eſt admittenda ut jus divinum poſitivum, vel ut humanum? Non ut divinum poſitivum; quia juris poſitivi diſciplina eſt diſtincta à diſciplina juris naturalis. Neque ut humanum; quia humana jura non ſunt naturalia, neque adeo ſpectant ad diſciplinam Juris naturæ.

ut promulgatio Juris naturæ.

℞. 1. Doctrina Chriſti non tantum utroque hoc modo eſt admittenda in diſciplina Juris naturæ, ſed inſuper tanquam ipſiſſima legis naturæ promulgatio tam clara tamque auguſta, qua clariorem & auguſtiorem non habemus in orbe terrarum.

2. Singula hæc hactenus jamjam oſtenſa ſunt. Oſtenſum eſt enim, Legem poſitivam divinam moralem etiam Moſaicam non poſſe excludi à Jure naturæ docendo; cum ſit præclara legis naturalis promulgatio. Oſtenſum eſt, leges humanas politivas ſeu Civiles non poſſe excludi à diſciplina juris naturæ; quia Leges fere omnium populorum, ſaltem pleræque, continent *ipſam rationem*, ut ſupra faſſus nobis eſt Gundlingius. Oſtenſum quoque eſt ex heterodoxorum ipſorum confeſſione, ſacram ſcripturam, præcipue Evangelium, continere ipſum Jus naturæ.

Retorſio in Puffendorffium.

3. Et poſſum hanc objectionem retorquere in novos juris naturæ doctores: Horatii, Juvenalis, Platonis doctrinæ, ſenecæ ſententiæ, Grotii regulæ, Puffendorffii ſcita, Heineccii emendationes quas vendit anteceſſorum ſuorum, Wolffii paragraphi; iſti omnes, inquam, vel ſunt admittendi in jure naturæ docendo, vel excludendi? Si excludendi ſunt? ipſi viderint quo jure profeſſi fuerint orbem terrarum docere jus naturæ adhuc ignoratum. Si admittendi hi, quæro, an ut Jus divinum poſitivum, an ut jus poſitivum humanum admittendi ſint? Reſpondebunt merito neque ut divinum, neque ut humanum jus poſitivum admitti poſſe hos auctores, cum nulla prorſus legiſlatoria poteſtate præditi fuerint: attamen admittendos eſſe iſtos, præcipue autem Heineccium, tanquam jus naturale; eo quod Heineccii præſcriptiones ſint *ipſa ratio*, cui repugnare nequeant niſi ii ſoli, qui *plane obbrutuerint*.

Reſponſio heterodoxorum.

Rejicitur.

4. Verum huic reſponſioni meritiſſimo opponimus novam petitionem: petimus enim, ut hi præceptores nobis prodant illud ingens diſcrimen inter Heineccium & Chriſtum: illam ingentem prærogativam Heineccii præ Chriſto: cur Heineccii placita ſint ipſa ratio, cur nequeant niſi à brutis reſpui, cur adeo locum ampliſſimum & neceſſarium in jure naturæ è cathedris Chriſtianorum docendo habeant, cur populorum ac principum controverſiis dirimendis ſerviant: contrà cur Chriſti doctrinæ nec ratio ſint, nec niſi brutis conveniant, cur è Cathedris juris naturæ exponi ne quidem poſſint ſalvo jure naturæ, cur à regum litigiis comprimendis ita procul abeſſe debeant? Deſicitne Chriſto ratio, quæ Heineccio abundat? An eſt ignotus in orbe Chriſtus, Heineccius vero omnibus populis decantatus? An reges Domini quidem ſunt Chriſti, Heineccio vero ſerviunt, ut ex ejus præſcripto judicentur? An forte, quia Chriſtus de moderamine inculpatæ tutelæ, de locatione, de ſtillicidio nihil ſcripſit, ideo è jure naturæ ejiciendus eſt, recipiendus autem Heineccius, quod paucula quædam ex aliorum libris in ſuum libellum conſarcinaverit?

5. Chriſti Doctrina & S. Scripturæ ſi non eſt ipſa ratio, quæro an ſaltem poſſit rationem juvare, & aliquod lumen præbere in agnitione Juris naturæ? Si reſpondent, Chriſti doctrina nihil juvari rationem, vehementer abominandi nobis ſunt iſti doctores. Si reſpondent, Chriſti doctrina juvari rationem, neceſſe eſt, concedant, eandem ad jus naturæ diſcendum admittendam eſſe ex hac ratione; ſicut ex eadem ratione admittitur Puffendorffius, Heineccius &c.

Them. XVII. Incaſſum Objicitur: Lex Chriſti moralis eſt Lex Naturæ: ergo omne peccatum contra doctrinam Chriſti moralem præceptivam eſt peccatum contra naturam. Hoc vero abſurdum: cum enim Chriſtus præcipiat omnem virtutem, ſequitur, quodlibet peccatum, contra quamcunque virtutem admiſſum, eſſe peccatum contra naturam. Hoc ſi admittitur, nulla erit amplius diſtinctio peccatorum, & triumphabit doctrina Stoica, quæ omnia peccata paria facit.

Objectio. E go omne pe catum c ntra lege Chriſti contra naturam.

℟. 1. Omnia peccata contra præcepta Chriſti moralia, & contra quamlibet virtutem, revera eſſe peccata contra naturam. Naturæ enim noſtræ convenit omnis virtus: ſive natura noſtra facta eſt & deſtinata ad omnem virtutem: ergo quidquid eſt contra ullam virtutem, illud eſt contra naturam, & contra finem naturæ, quem omnes virtutes directe aut indirecte intendunt. Vid. *Cap. VIII. Them. IX. Reſp. 4. & Them. XVI. eod. cap.*

℟. 1. Conced.

℟. 2. Ex hoc non ſequitur, nullam eſſe diſtinctionem peccatorum. Imo ſequitur eſſe diſtinctionem multam. Sicut enim virtutes diſtinctæ ſunt, ita diſtincta ſunt etiam peccata; tam quoad ſpeciem moralem, quam quoad magnitudinem. Et ſicut juſtitiam legalem magis obſervavit, qui pro parente mortem occubuit, quam qui amicum ſalutavit; ita is magis in illam peccavit, qui matrem occidit, quam qui ſervo abſcidit aurem.

℟. 2. N hilo minus diſtingui peccata.

℟. 3. Cum his omnibus manet adhuc fixum, *ſecundum moralem æſtimationem* eſſe quædam peccata *SPECIALITER contra naturam*: qualia vulgo habentur commiſſa in iis, quæ homo habet cum ceteris animantibus communia, ut occidere parentes, congredi cum eodem ſexu &c. V. S. Thomas 1. IIdæ Qu. XCIV. art. III. & Q. C. Art. II.

℟. 3. quædam peccata ſpecialiter eſſe contra naturam

℟. 4. *Secundum moralem æſtimationem* hoc ita habere, quæ æſtimatio poteſt eſſe varia pro modo occurrentium ſubjectorum, quod in moralibus neceſſario fieri Ariſtoteles agnoſcit I. Ethicorum. Nam conſideranti ſundum rerum magis contra naturam eſt DEUM blaſphemare, quam prolem occidere: & tamen ſi vulgus hominum quæratur, pauci fortaſſis erunt, qui utroque peccato hoc in medium propoſito,

morali æſtimatione, quæ non una eſt.

poſitò, illud poſterius non illico proclament contra naturam factum, in altero vero priore aliquantiſper hæreant.

interdum etiam corrupta aſſuetudine.

Hinc etiam aſſuetudine fieri poteſt, ut quod nunc peccatum ſpecialiter naturæ repugnare judicatur, aliàs judicetur naturæ aut minus difforme, aut etiam conſentaneum. Sicut de Thracibus narratur, qui parentes ſenio confectos mactatos ipſi devorarunt, pietatem id eſſe exiſtimantes. Vid. ſupra Cap. VIII. quæ de Senſu Communi diſputavimus Them. IV. &c.

Objectio. Ariſtoteles legitur in ſcholis: ergo & Puffendorffius &c.

Them. XVIII. Nec poſſunt illi Heterodoxi poſtulare, ut ipſorum libri admittantur ad Jus naturæ in ſcholis noſtris diſcendum ideo, quia admittuntur & prælegantur etiam Gentiles, ut Ariſtoles.

Quæ cautio ſervanda?

℞. 1. Gentiles iſti non admittuntur niſi ſub certis conditionibus. *Prima* eſt, ut denuntietur diſcipulis, ipſos non tradere doctrinam tutam. *Secunda* diſtinguenda in his eſſe prava à rectis. *Tertia* Corrigendos eos eſſe ſecundum Sacram Scripturam, Doctrinam Chriſti & Apoſtolicam. Quod ni fiat, periculoſos eſſe illos libros & ad Atheismum ac naturalismum diſponere, uti revera diſponunt Ariſtoteles, Epicurus, Seneca &c. His ergo conditionibus ſi Puffendorffius eique ſimiles admitti volunt, poteſt ipſis aliquis locus dari. Sed hoc ipſo Princeps ſemper locus eſt Chriſto, Scripturæ, & doctrinæ Catholicæ.

Gentiles Philoſophi peccarunt ignorantes,

℞. 2. Eadem quæ in Gentilibus emendanda & abjicienda ſunt, ſunt etiam emendanda in novis Juris naturæ doctoribus. Illorum peccatum fuit, quod non ſciverint clarius, quomodo juſtitia naturalis à DEO deduceretur. Hoc ipſum ignorant hi novi; quorum multi in jure naturæ ſtatuendo jubent DEUM pro extraneo haberi. *Alterum*, in quo Gentiles peccarunt, hoc eſt, quod Juſtitiam naturalem, ejusque exercitium non retulerint ad verum finem ultimum, ſed plerique in crepundiis hujus vitæ ſubſtiterint. Hoc ipſum peccant iſti, qui ideo etiam animæ immortalitatem ad Juris naturæ doctrinam ſtatuendam non neceſſariam docent, nec præmia à DEO decreta &c.

aliàs admiſſuri doctrinam Chriſti.

℞. 3. Philoſophi admitti poſſunt, quia veroſimillimum eſt, ipſos, cumprimis Platonicos, Chriſti doctrinam & Moyſis non excluſuros fuiſſe, ſi eam audire contigiſſet: imo credibile eſt, Platonem & Pythagoram ex Moſaicis aliquid accepiſſe, in ceteros deinde propagatum. At novi Doctores jam non poſſunt admitti: cum enim profitentur, ſe jus naturæ tale docere, in quo non ſit locus doctrinæ Chriſti, & quod jus habeat ſcopum & indolem à doctrina Chriſti abeuntem. Itaque non admittunt doctrinam Chriſti pro regula correctiva ſuæ doctrinæ, ſed eam excludunt. Chriſtianis ergo nihil ſupereſt, quam ut hos tanquam incorrigibiles abjiciant, & præ illis eligant gentiles, etiamſi nullum ipſi Chriſtiani haberent Juris naturæ doctorem, cum tamen habeant plurimos.

At heterodoxi excludunt agnitam veritatem.

Unde à Chriſtianis reſpuendi.

& æque à gentibus.

℞. 4. Sed & à gentilibus non poſſunt iſti novi admitti pro tutis doctoribus Juris naturæ. Nam gentiles facile agnoſcent, Juſtitiæ naturalis finem eſſe beatitudinem veram, ſiquidem ipſa juſtitia vera eſt; veram autem beatitudinem non eſſe in hac vita. Igitur facile etiam agnoſcent Juris naturæ doctrinam non ſufficere illam, quæ ultra hanc vitam nihil curet. Requirentibus autem aliquid, unde huic enormi defectui ſuccurrant, nihil offerunt ac produnt novi doctores; & illum Chriſtum, qui tot populis ſupplet id quod deerat, iſti novi etiam excludunt: Igitur Gentilibus non poteſt ſatisfacere nec ab eis admitti hæc nova Juris naturæ doctrina.

Scandalo non ſunt gentiles Philoſophi, ſed heterodoxi.

℞. 5. Propter ſcandalum etiam excludendi è Scholis Chriſtianorum ſunt hi novi, non item veteres philoſophi. Nemo enim juvenis ſcandalum patitur, ſi Ariſtoteles Chriſto contraria ſentiat; quia juveni dicitur: Ariſtoteles non agnovit Chriſtum, fuit ante ipſum, & infelix. Sed hi novi Chriſtum agnoviſſe ſe dicunt & ejus doctrinam callere, & tamen partim ei contraria docent, partim illum ad ſuam doctrinam nihil pertinere. Videatur in fine hujus libri *Excuſatio Catbolicorum.*

Objectio. Ex S. Scriptura non diſcitur cur aliquid ſit Juris naturæ?

Them. XIX. Non valet iſta objectio: Ex S. Scriptura & auctoritate intelligi quidem poteſt, *quid* ſit juris naturæ, non autem *cur?* Ergo S. Scriptura non eſt principium indicativum Juris naturæ.

ferit etiam Philoſophos & Puffendorffium &c.

℞. 1. Conſequentiam hanc eſſe falſam, ſicut falſæ ſunt iſtæ: Ex Ariſtotele non diſcitur, *cur* materia prima & cetera philoſophica ita habeant: ſed *cur* ita ſe habeant, diſcitur ex ratione, quam per Ariſtotelem prolatam eſſe per accidens eſt: Ergo Ariſtoteles, excludendus eſt à diſcenda philoſophia. Item Euclides eſt excludendus à diſcenda Geometria, Ptolemæus ab Aſtronomia, Horatius à Poëtica, Wolffius à Jure naturæ &c. Item: ex Duce viæ, vel ex veredo aut accolis non eſt quærendum

dum de via Romam tendente; quia ex illo non percipio *cur* hæc via tendat Romam, ſed tantum *quod* tendat.

℟. 2. Quamvis ergo Philoſophia, Geometria, Aſtronomia, Iter Romanum &c: non ideo vera ſunt, quia ab Ariſtotele, Euclide, veredo produntur: tamen ex Ariſtotele, Euclide ac Veredo iſta perbelle diſcuntur. Ita prorſus, quamvis aliquis infidelis exiſtimaret leges naturales non ideo veras eſſe, quia in S. Scriptura referuntur; tamen etiam huic ſummopere conducet Scriptura ad legem naturæ diſcendam; quia ſicut Euclides in Geometria, ita Scriptura in jure naturæ tradendo graviſſimas, optimas, & fundamentales doctrinas affert præ omnibus gentium libris. Id quod Heineccius & Gundlingius non ignorarunt.

CAPUT XI.

De Fine Ultimo Naturæ humanæ ac Juris Naturæ.

Ratio recta fit ex *fine.*

Th. I. RAtio recta eſt non quæ initium habet tantum rectitudinis, ſed quæ ad finem ſuummet ac proprium tendit.

Hoc habetur in axiomate: *Bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu.*

Finis humanæ naturæ eſt aliquid *Summum.*

Them. II. Finis humanæ naturæ nullus eſt proprius niſi *ſummum* aliquid, *ſummum* nempe *Verum* & *ſummum Bonum.* Them. IX. Cap. VI. Alias dicitur finem eſſe juris, *Bonum commune.* Agnoſcit autem Ariſtoteles I. Ethic. Bonum commune eſſe id, quod omnia appetunt. Atque hoc eſſe bonum divinum.

Actio à ſummo vero tendens ad ſummum bonum juſta eſt.

Them. III. Actio humana ad utrumque ordinata, nempe incipiens à ſummo vero & deſinens in ſummo bono, eſt recta, juſtaque dans cuique ſuum, origini & fini. Actio verò proficiſcens à falſo aut deſinens in malum curva eſt & injuſta; quippe ſe ſubtrahens utrique, cui eſſentialiter obſtringitur.

Facit prudenter, qui audire de ſummo bono potiſſimum velit: hoc enim conſtituto in Philoſophia, conſtituta ſunt omnia. Nam ceteris in rebus ſive prætermiſſum ſive ignoratum eſt quippiam, non plus incommodi eſt, quam quanti quæque earum rerum eſt, in quibus neglectum eſt aliquid: SUMMUM AUTEM BONUM SI IGNORETUR, VIVENDI RATIONEM IGNORARI NECESSE EST: ex quo tantus error conſequitur, ut, quem in portum recipiant, ſcire non poſſint. Cognitis autem rerum finibus, cum intelligitur quid ſit & bonorum extremum & malorum, inventa vitæ via eſt, CONFORMATIOQUE OMNIUM OFFICIORUM. Ideſt obligationum hominis ſive Juris naturæ. Cicero de Finibus. Lib. V. cap. VI.

Omnis ratio vitæ definitione ſummi boni continetur, DE QUA QUI DISSIDENT, DE OMNI RATIONE DISSIDENT. Idem IV. Academicorum cap. XLIII.

Antiochus dicebat, duo eſſe hæc maxima in philoſophia, judicium veri & finem bonorum; nec ſapientem poſſe eſſe, qui aut cognoſcendi initium ignoret, aut extremum expetendi, ut, aut unde proficiſcatur, aut quo perveniendum ſit, neſciat. Hæc autem habere dubia, neque his ita confidere, ut moveri non poſſint, abhorrere à ſapientia plurimum. Cicer. IV. Acad. IX.

Recedentes à S Scriptura non inveniunt ſummum bonum, nec Jus naturæ.

Them. IV. Puffendorffius & omnes qui à S. Scriptura recedunt, dum putant ſe ſequi rationem naturalem, falluntur, & ignorant ſummum bonum. Igitur ignorant omnem rationem vitæ & Jus naturale verum ac ſolidum.

Sicut Puffendorffius.

1. Statuit enim ſumum hominis bonum in tranquillitate hujus vitæ per ſocietatem obtinenda, adeo ut in Præfatione Juris naturæ ſui etiam religionem naturalem, ſeu jure naturæ impoſitam, de qua alibi abſtrahit, cum hac vita finem habere aſſerat.

Statuens finem Juris naturæ in hac tantum vita.

2. A paragrapho enim 15. Cap. III. Lib. II. uſque ad §. 21. nullum finem homini à DEO propoſitum memorat, niſi ad quem per ſocietatem perveniatur. & §. 21. omnia præmia & pœnas violatæ legis naturæ conſtituit tantum in bonis aut malis hujus vitæ. Et ab immortalitate animæ abſtrahendum dicit in jure naturæ. & §. 19. alium ſcopum juris naturæ, aliam indolem dicit, quam Chriſtianorum, qui miſerrimi eſſent, ſi in hac tantum vita ſperarent in Chriſtum. Et paſſim ita pro-

profano ſenſu loquitur, ut vel ex pleriſque gentilibus melior poſſit idea ſummi boni atque ultimi finis hauriri: id quod poſt docebimus Them. XVII.

3. Hæc autem talia aſſerens, neglecta S. Scriptura, poteſtne dici *ſummum bonum* attigiſſe, quod in Scriptura tam clare exponitur?

Juſtitia ad ultimum finem non relata non eſt vera virtus.

Them. V. Ex Naturaliſtarum larvatorum ſyſtemate ſequitur, Juſtitiam veram virtutem eſſe, etiamſi ad ultimum finem non feratur; cum in horum ſententia jus naturæ feratur in commoda hujus vitæ, non ſubordinata ulteriori fini à natura intento.

Eſſet autem vera juxta Puffendorffium

1. Hoc ita ſequi ſatis eſt expeditum. Vera enim virtus haud dubie eſt, per quam ſummum bonum adipiſcor, at per juſtitiam, ad ultimum finem etiam non relatam, obtinentur commoda hujus vitæ Puffendorffiana; Continuus progreſſus Wolffianus in actionibus eſſentiæ & naturæ humanæ convenientibus; Conſervatio ſui Hobbeſiana; incrementum generis & multiplicatio Pagenſtecheriana &c. Ergo ſequitur Juſtitiam etiam non relatam ad ultimum finem eſſe veram juſtitiam.

contra S.Auguſtinum.

2. Eſt hoc contra Catholicorum Patrum non ſine ratione doctrinam. S. Auguſtinus de nuptiis & concupiſcentia negat, *pudicum veraciter dici, qui non propter DEUM fidem ſervat uxori.* Et Lib. IV. contra Julianum Cap. III. ait: *Non officiis ſed finibus diſcernendas eſſe virtutes.* Et ibidem: *Siquidem manus abſtinere ab alieno ſi officium cogitet, poteſt VIDERI eſſe juſtitia: ſed cum quæritur, quare fiat? & reſpondetur, Ne plus pecuniæ litibus pereat; quomodo jam hoc factum veræ poterit eſſe juſtitia, cum ſerviat avaritiæ?* Vid. Natalis Alexander Theolog. Dogmat. Tom. I. Lib. I. Artic. IV. & Tomo. II. Lib. III. de Virtutibus Cap. V. Ita juſtitiam ſervare, ut commoda acquiras, ne alii tibi noceant, ut quictus ſis, eſtne hæc juſtitia an potius cupiditas, & ſtudium ejus quod intereſt?

3. Ratio quoque & ſenſus communis adverſantur. Omnium enim moralium bonitas à fine deſumitur: ergo & juſtitiæ. Nec temperantia eſt vera, nec fortitudo, nec prudentia ſine ſuo fine vero. Falſa temperantia eſt, quæ tantum corpus non animum regit; animum autem non regit, quæ verum finem, rem animæ humanæ propriam, inſuper habet. Falſa juſtitia eſt, quæ ſolum conſociata corpora regit in qualicunque pace, animo vero non imponit vinculum illud, quo ſolo denique ligari poteſt, nempe DEUM. Nec enim in latronibus, nec in tyrannis eſt juſtitia, tametſi rigide facerent leges etiam optimas & ſocietatem obſervari. *Amor mundi, quo quiſque amicus eſt hujus mundi, non eſt à DEO: amorque, fruendi quibuscunque creaturis ſine amore creatoris, non eſt à DEO. Per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur etiam creaturis: ſine hoc amore creatoris nullis quiſquam bene utitur creaturis.* S. Auguſt. contra Julianum Pelagianum hæreticum. Sic etiam juſtitia erga creaturas ſine juſtitia & ſubordinatione erga creatorem non eſt à DEO &c. non eſt vera juſtitia. Chriſtiani hanc juſtitiam Puffendorffianam ac Wolffianam neſciunt.

4. Idem S. Auguſtinus Lib. XIX. de Civit. DEI Cap. XXV. propius ad inſtitutum ſic habet. *Quamlibet videatur animus corpori & ratio vitiis laudabiliter imperare; ſi DEO animus & ratio ipſa non ſervit, ſicut ſibi ſerviendum eſſe DEUS ipſe præcepit, nullo modo corpori vitiisque RECTE imperat. Nam qualis corporis atque vitiorum poteſt eſſe mens domina, veri DEI neſcia, nec ejus imperio ſubjugata, ſed vitioſiſſimis dæmonibus corrumpentibus proſtituta? Proinde virtutes, quas ſibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitiis ad QUODLIBET adipiſcendum vel tenendum, niſi ad DEUM retuleris, etiam ipſa vitia ſunt POTIUS quam virtutes. Nam licet à quibusdam hic VERÆ & honeſtæ putentur eſſe virtutes, CUM AD SE IPSAS REFERUNTUR, nec propter alias expetuntur; etiam tunc inflatæ & SUPERBÆ ſunt; & ideo non virtutes ſed vitia judicanda ſunt. Sicut enim non eſt à carne ſed ſuper carnem, quod carnem facit vivere; ſic non eſt ab homine ſed ſuper hominem, quod hominem facit beate vivere.*

Non tamen eſt peccatum.

5. Non tamen ob id aſſerimus, hominis opus ob pacem externam factum, ſine alio *malo* fine, ſine ſuperbia &c. eſſe *PECCATUM.* Sed tale eſſe dicimus, quod non conducat ad ultimum finem naturæ, ſed tantum ad intermedium. Imo ſi reflexe ac deliberate aliquis cognito fine ultimo etiam ut naturali, vellet tamen ſubſiſtere in hoc intermedio, hic etiam peccaret. Ad ita autem ſubſiſtendum egregie conducit Puffendorffiana & ceterorum abſtrahentium ac religionem à Jure excludentium doctrina.

5. Imo

6. Imo ex his ſequitur, peccata quoque graviſſima eſſe naturaliter juſta, Naturaliter juſtum, ſaltem permiſſive, eſt id, quo pax publica Societatis ſtabilitur & commodum ſine ulteriori fine. Sed apud Perſas pax promovebatur connubio cum matribus: apud Ægyptios cum ſororibus, apud Spartanos ſubmerſione parvulorum debilium, & furto occulto ac mendacio; apud Scythas devoratione parentum; apud Indos defloratione virginum & combuſtione uxorum &c. Ergo hæc omnia erant naturaliter juſta, quia ex Principio Puffendorffii fluentia; & ad Puffendorffii finem apta.

Ita præceptum erit hominem innocentem occidere, ſi tyrannus minitetur excidium, ni fiat.

Ita licitum erit & præceptum mentiri & pejerare ad ſalvandam rempublicam. Tolerare obſcœnas comœdias, ne populus commoveatur; aut admittere idololatriam, ſi Princeps armatus jubeat.

Ultimum finem ſola revelatione agnoſci. *Them. VI.* Socialiſtas & Naturaliſtas non juvat ſi dixerint: Ultimum finem & Summum bonum non conſtare niſi per revelationem Supernaturalem: ergo ea non pertinere ad Jus naturæ, ſed in hac diſciplina poſſe præteriri, aut ex alia diſciplina ſupponi.

negant Philoſophi ℞. 1. Fallere iſtos, clamant unor e Philoſophi veteres, qui cum revelationem ſupernaturalem non haberent, de Summo Bono & ultimo fine agnoverunt plurima, tametſi alia errarent circa ejus determinationem. Vid. Them. XXI. n. 4. &c.

Et ſenſus communis, ℞. Clamat idem omnium hominum innatum deſiderium ad *Summam felicitatem*, qualiſcunque illa ſit. Quam tamen *Summam felicitatem* in nulla hujus vitæ poſſeſſione qualicunque conſiſtere, fateri vel inviti coguntur omnino omnes, ſaltem in illo articulo ultimo, in quo, qui poſſederunt plurima, minime contenti ſunt.

& ratio naturalis ℞. 3. Ratione naturali conſtat, eundem eſſe proprium finem legis DEI qui eſt legiſlatoris DEI: Sed Legiſlatoris DEI finem non poſſe eſſe alium quam ſe ipſum, conſtat ratione: ergo & ratione conſtat, Legis divinæ finem proprium eſſe ipſum DEum. At vero Lex Naturæ eſt ipſa lex divina, idque rurſus conſtat ratione, ut concedunt Socialiſtæ & cæteri, niſi Atheiſmi velint eſſe rei: Igitur ratione conſtat, legis naturæ finem proprium non poſſe eſſe alium quam DEUM.

Them. VII. Nihil juvat Socialiſtas, dicere, ipſos finem ultimum non excludere, ſed aliunde ſupponere. Nunc autem de Solo fine intermedio loqui. *An ſocialiſtæ finem ultimum aliunde ſupponant?*

℞. 1. Id ex eorum ſcriptis non liquet. *Sæpius* autem *legiſlator profiteri debet, quid ſibi velit, & ſi mihi hoc contigerit, conſequor, quod volo; ſin minus, futurum eſt ut aberrem à ſcopo.* Plato, Lib. V, Legum. Si igitur bonus eſſet legis naturæ rogator aut Scriptor Puffendorffius, ſaltem ſemel diceret, ſcopum ſuum eſſe, naturam ducere ad ultimum ejus finem, DEum. Quod cum non facit, aberrat à ſcopo & alios aberrare facit.

℞. 2. Imo liquet contrarium. Totum enim jus naturæ deducunt ex ſolo principio Socialitatis humanæ aut ſimili, ceteris omnibus Principiis *excluſis* velut ad naturam non pertinentibus. Ex Socialitate autem hominis cum homine nullo modo deduci poteſt finis ultimus DEus: ex aliis autem principiis, ut amore DEI ſuper omnia, ſervitute DEI, conjunctione DEI &c. quæ tamen principia naturalia ſunt, poſſet talis ultimus finis, nempe DEus, deduci: Ergo excludunt poſitive DEum ut ultimum finem. Qui enim poſitive excludit principium & media ad finem, excludit & ipſum finem

℞. 3. Socialiſtæ etiam Religionem veram ac revalatam ſubjiciunt ac ſubordinant fini Societatis, eamque non niſi propter pacem & bonum civitatis tenendam docent: hinc Principibus omnem in eam poteſtatem aliqui admittunt, idque cavere jubent, ut ſemper ſerviat. Vid. Cap. X. Them. I.

℞. 4. Nec ſufficit ſupponere tantum finem hunc. Jus enim habet DEus exigendi ut *omnia* in ipſum *referantur*, & homo eſt obligatus hoc facere. Non ſufficit viatori Romam tendenti Romam tantum ſupponere, ſed omnes paſſus ad illam dirigere neceſſe eſt.

℞. 5. Quid ſi aliquis Socialiſtis reſponderet: Ego ſuppono finem naturæ eſſe ſocietatem, interim dico jus naturæ conſiſtere in Studio Phyſices, quod miro lumine & voluptate afficit animum omnium incumbentium: faciunt qui contra rationem ii, qui huic ſe non dedunt?

Them. VIII. Socialium aliorumque id genus Naturaliſtarum opinio valde propinqua eſt errori illorum, qui admittunt peccatum Philoſophicum, ſeu *actum humanum diſconvenientem naturæ rationali & rectæ rationi: qui actus in eo, qui DEum vel ignorat, vel de eo actu non cogitat* eſſet, *grave peccatum,* *Peccatum Philoſophicum.*

ſed

ſed non eſſet *offenſa DEI*, *neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam DEI*, *neque æternâ pœna dignum*. Qui tamen error eſt damnatus ab Alexandro VIII.

1. Nam revera Puffendorffius non ſtatuit, imo non agnoſcit pœnam qualemcunque arbitriam aut æternam à DEO ſtatutam in transgreſſores legis naturalis ſocialis & turbatores ſocietatis: ſed omnes pœnas ab hominibus infligi aſſerit; nempe odium, invidiam, privationem commodorum.

In Puffendorffii doctrina

2. Neque poteſt reatum verum neque offenſam DEI, neque diſſolutionem perpetuam amicitiæ DEI admittere, qui ſemel quidem loquitur de Religione naturali ſine ſubjectione ad DEum, ſtatim autem dicit, eam cum hac vita finiri. Si quis ergo in ipſa morte ſua, ut ſæpiſſime fit, violat legem Societatis, is juxta Puffendorffium transgreſſus eſſet legem naturalem, pœnæ tamen reus non eſſet; quia non poteſt ullum amplius incommodum ab hominibus experiri.

3. Aliter ſic oſtenditur. Juſtitia Puffendorffiana & Wolffiana conſiſtit in obſervatione Socialitatis etiam ab Atheo præſtita, ſeu ab homine de DEO non cogitante: ergo & peccatum ſeu injuſtitia Puffendorffiana conſiſtit in turbatione ſocialitatis, quamvis nullo modo cogitatus ſit DEus; aut ſaltem non tunc, quando transgreſſio eſt facta. Item obſervatio legis naturæ poteſt etiam ab Atheo impleri, quin DEO ſit grata, aut præmium habeat: igitur etiam transgreſſio poteſt fieri, quin DEus offendatur ex horum quidam principiis.

4. Fortaſſe objiciet eorum aliquis: Quid Pontifici cum jure naturæ, ut tales ſententias damnet? Cui reſpondemus: Et quid Puffendorffio, quid Heineccio cum Jure naturæ? nunquid ipſi caput ſunt alicujus Eccleſiæ, aut pagi?

Subtilitates an ad Jus naturæ pertineant?

Them. IX. Socialiſtæ non juvat, ſi prætendant: Has eſſe ſubtilitates, quæ non ſint ad omnium captum, ſed tantum ad acutiorum: adeoque non pertinere ad Jus Naturæ, quod pro omnibus æqualiter valere debet.

℞. 1. Ergo nec Jus Puffendorffianum fieri poteſt, cum ipſe profiteatur, ſuum jus non eſſe pro populo, ſed pro Philoſophis: Fatetur enim, populum Jus naturæ diſcere debere ex inſtitutione majorum &c. Vid. Them. IX. Cap. IX. Si ergo licet Puffendorffio tradere Nobilibus & acutioribus Principia juris naturæ ſubtilia quidem, ſed falſa, ſuſpecta, periculoſa; licebit etiam veræ Eccleſiæ ſanæque doctrinæ alumnis tradere ejusmodi principia plana quidem, ſed contra ſubtilitates falſas vindicata ſubtilitatibus veris ac ſanis Raro enim falſitas devaſtat genus humanum, niſi aliquo veritatis colore aut ſimilitudine ſubtiliter veſtita.

Noſtra doctrina ad captum omnium.

℞. 2. Hanc noſtram ſubtilitatem Puffendorffiani reſciſcere poſſunt à quocunque docto & indocto, qui in extremis conſtitutus idoneus teſtis erit, num ipſi ſubtilitate aliqua perſuaderi poſſit, obſervata ſocialitate ſe perfecte impleviſſe totam obligationem ſuam, & finem ſuum ac beatitudinem omnino obtinuiſſe? Quin contra omnes moribundi valere jubent totam ſocietatem, optantque meliora, ab hominum opinione non pendentia. Legatur Phædo Platonis. Plerumque etiam pœnitet eos ſocietatis, & ajunt. Cur demens ſervivi & placui hominibus? Dicuntque cum Gundlingio: *Quo mihi Jus naturæ, quod moriens relinquere debeo?*

Finis J. N. non debet eſſe brevior natura humana.

Them. X. Finis Juris Naturæ non eſt, qui non tamdiu durat, quamdiu durat ac *durare poteſt* ipſa natura, ſed aut per accidens aut neceſſario ceſſat, non ceſſante natura: Eſt enim finis ex omnium ſapientum notione *Bonum*, *in quod tendit agens*, *& quo obtento ceſſat motus ejus*.

Societas eſt brevior natura!

1. Socialiſtæ hoc peccant. Nam Societatis pax & commoda ab hominibus ceſſant in homine ad deſertam inſulam ejecto, aut in eremicola; cum tamen adhuc in iſtis duret natura humana, adeoque & Jus naturæ: igitur ſocietatis hæc bona non ſunt finis juris naturæ.

De monaſtico ſtatu contradictio Puffendorffii.

2. Hæcque fuit cauſa Puffendorffio in abſurdum incidendi: nempe ait rationi repugnare, atque adeo contra jus naturæ peccare inſtituta monachorum ac ſolitariorum Lib. II. Cap. IV. §. 4. Quamvis enim contra agnitam veritatem mentiatur, Inſtituta hæc ſocietati prodeſſe humanæ nihil tamen & ſi vera eſſet criminatio Puffendorffii, abſurda eſt & ſecum pugnans. Si enim ſolitariorum inſtituta ſunt contra jus naturæ, carent ſine juris naturæ, nempe felicitate hujus vitæ, & commodis & honore & favore, ceteriſque Puffendorffii idolis. Si vero hæc inſtituta iſtis carent & ita infelicia ſunt, cur tantopere invidet illis Puffendorffius, eorumque divitias & commoditates exagitat, cum commoditates ſint finis juris naturæ & beatitudo ex mente Puffendorffii? An invidioſum eſt carere fine juris naturæ? An

con-

contra naturam eſt finem juris naturæ poſſidere?

à Cicerone corrigitur

3. Cicero non ex revelatione ſed ex ratione locutus eſt, cum Puffendorffii ſententiam tanto ante repreſſit. Magno autem intervallo ſuperat naturalis ſapientia Ciceronis meditationes Puffendorffii, in fallor. Sic vero ſapienter ac ſerio loquitur Cicero, quippe ſcribens & dogmata ſtatuens filio ſuo unice dilecto, quem prudens pater ut deciperet, nec æris cupidine nec certandi pruritu, nec captandæ auræ vanitate decipi potuit; quomodo tamen deceptum eſſe Puffendorffium ſuſpicari licet; qui ideo falſo aſſerit, veteres omnia ignoráſſe, ut nempe ſua valerent: *Multi autem & ſunt & fuerunt, qui tranquillitatem expetentes à negotus publicis ſe removerint, ad otiumque perfugerint. IN HIS ET NOBILISSIMI PHILOSOPHI LONGEQUE PRINCIPES, ET QUIDAM HOMINES SEVERI ET GRAVES nec populi nec principum mores ferre potuerunt, vixeruntque nonnulli in agris, delectati re ſua familiari. HIS IDEM PROPOSITUM FUIT, QUOD REGIBUS, ut nequa re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur. Quare cum hoc commune ſit potentiæ cupidorum cum iis, quos dixi, otioſis, alteri ſe adipiſci id poſſe arbitrantur, ſi opes magnas habeant; alteri ſi contenti ſint & ſuo & parvo. In quo NEUTRARUM OMNINO CONTEMNENDA EST SENTENTIA. Sed & facilior, & tutior, & MINUS ALIIS GRAVIS VITA EST OTIOSORUM; fructuoſior autem hominum generi, & ad claritatem amplitudinemque aptius, eorum, qui ſe ad rempublicam & ad res magnas gerendas accommodant.* Lib. I. Officior. Cap. XXI. Etiamſi ergo nihil ad DEum referendum eſſet, atque adeo in Puffendorffii profano ſyſtemate, tamen juri etiam tali profano naturæ congruens eſt Status ſolitariorum etiam otioſorum.

4. *Poſſibile* eſt, humanam naturam durare etiam poſt mortem ſeu reſolutionem corporis. Et nullus eſt etiam Atheus, qui poſſit oſtendere contradictionem, aut invictis argumentis probare, animam *debere* interire cum corpore.

Poſſibile eſt humanam naturam durare poſt mortem hanc.

1. Quæro jam ex Puffendorffio, vel ex Atheo aliquo: Si iſtud poſſibile revera ſit, ſi anima ſupereſt, eſtne *jure naturæ* conſtricta? Si eſt: ergo juris naturæ finis non eſt hujus vitæ ſocietas & felicitas. Si non eſt: Ergo jus naturæ ceſſat non ceſſante natura. Quis autem ſuſtulit illud jus, adhuc ſubſiſtentibus naturis? Aut Jus naturæ corporibus Scriptum eſt tantum, non animis? Aut animæ juſtæ quidem poſſunt eſſe, quamdiu in corpore ſunt, extra corpus juſtitia vacuæ, & felicitate carentes ſunt?

2. Si ergo admittit aliquis Turca, dubitante Puffendorffio, animam à morte ſupereſſe annos trecentos aut mille, poſtquam in corpore fuit annis quinquaginta; talis anima fuiſſet Juri naturæ obnoxia annis quinquaginta, annis reliquis mille nihil ad ejus naturam ſpectabit jus naturæ. Huic longævæ naturæ mille annis carendum erit felicitate, nempe commodis hominum; etiamſi toto vitæ corporeæ tempore multa perpeſſa ſit, parum vero lætata, & agonizaverit pro juſtitia usque ad mortem?

Them. XI. Finis proprius juris naturæ non poteſt conſtitui in aliquo, quod eſt indifferens ad bonum & malum, honeſtum & inhoneſtum. Talis autem eſt felicitas ſocialium Juris naturæ doctorum.

Finis J. N. non eſt aliquid indifferens.

1. Juſtitia non eſt, quæ non eſt vere bona & vere honeſta; Vera honitas actionum à vero fine manat: Veram bonitatem emanare non poteſt finis in ſe indifferens ad bonum & malum: igitur Juſtitiæ naturalis finis non poteſt conſtitui in indifferente.

2. Si felicitas iſta & pax non eſt indifferêns ad bonum vel malum, omnis qui eam obtinet, erit bonus, & honeſtus. Hoc autem eſt contra ſenſum communem, ne dicam contra divina præcepta. Fuere enim tyranni, injuſti, qui pacem in ſua republica ſervarent & cum vicinis, non minus quam juſtiſſimi quique monarchæ.

Pax externa eſt indifferens.

Them. XII. Finis naturalis juris naturæ debet eſſe in poteſtate naturæ & in mediis ad illum finem præſcriptis. Pax & felicitas hujus vitæ non eſt in poteſtate neque ſingulorum neque omnium hominum. Ergo ea felicitas non eſt finis Juris Naturæ.

Finis J. N. [illegible] eſt in poteſtate ac mediis.

1. Nulla enim poteſt eſſe obligatio tendendi ad finem, quem conſequi neque in me eſt, neque in mediis, quæ mihi præſcribuntur. Ut ſi Romam tendens nec ego vires habeam illuc eundi, nec duces mei, nec paſſus, nec ipſa via in poteſtate ſint.

2. Hujus autem vitæ felicitas adeo non eſt in poteſtate noſtra, ut à quolibet poſſimus impediri, à fure, à verme. Et quomodo felicitas vitæ ſit in poteſtate, cum ne ipſa quidem nuda vita ſit in poteſtate, quæ ſingulis momentis deſinere etiam nolentibus poteſt? Finis autem juris naturæ non debet auferri

nolentibus, alias injuſte obligaremur eum velle & quærere.

Talis non eſt felicitas Puffendorffiana.

3. Ad obtinendam autem hujus vitæ felicitatem præſcribunt ii, qui putant ſe bonos eſſe moderatores generis humani, præſcribunt inquam amorem hominum tanquam æqualium, abſtrahendo ab amore DEI: Præſcribuunt pœnas temporales ſitas in hominum odio, multa pecuniaria, aut etiam mortis. Verum enim vero neque amor hominum ut æqualium, non relatus ad DEum; neque illæ pœnæ prædictæ tantum habent poteſtatis, ut per ſe ſint apta ad obtinendam felicitatem etiam tantum Puffendorffianam.

4. Nam primo plerumque, qui maxime ad hoc tendunt, minime obtinent. Ne vivere quidem eſt in noſtra poteſtate, adeo ut in momenta non ſimus ſecuri mortis. Quanto minus in noſtra poteſtate eſt hoc modo Puffendorffiano feliciter vivere ſeu aliorum favores & auxilia cogere.

quam felicitatem juſtiſſimi non obtinent.

5. Imo qui juſtiſſimus eſſe ſtudet, ille de hac felicitate Puffendorffiana minimam partem obtinet, imo ſecundum ſapientem Platonem ne poteſt quidem obtinere. Platonis Lib. II. de Republica ſeu de Juſto, profundiore meditatione expendendum appono, prolixum ſane, ſed omnibus Socialium libris ſimul ſumptis longe meliorem.

Platonis ſublimis meditatio de juſto viro.

„ Vitam utriusque juſti videlicet & injuſti ita plano dijudicabimus, ſi juſtiſſimum virum ſeorſum & injuſtiſſimum diſtinguemus. - - - Sit autem hæc diſcretio talis, ut nihil auferamus injuſtitiæ ab injuſto, neque quiquam ab juſto juſtitiæ. Primum igitur injuſtus tanquam optimi artifices faciat; videlicet quemadmodum gubernator ſummus vel medicus, quæ in arte ſua confici poſſunt & quæ non poſſunt, ſentit: & illa quidem aggreditur, iſta relinquit: & ſiqua præterea in re peccaverit, corrigere poteſt. Ita & injuſtus recte injurias aggrediens lateat, ſi maxime injuſtus futurus eſt: Sin autem deprehenſus fuerit, iners exiſtimandus eſt. Extrema enim injuſtitia eſt, juſtum videri eum, qui non ſit juſtus. Danda eſt igitur perfecte injuſto perfectiſſima injuſtitia, neque auferenda; ſed permittendum, ut is, qui eſt injuſtiſſimus, apud omnes juſti habeat opinionem; & ſiqua in re peccavit, corrigere poſſit; ſitque ad perſuadendum idoneus, ſiquid de ipſo mali facinoris nunciatur; Et ad vim, ſi opus fuerit, inferendam, fortitudine & robore, & amicorum copia.

Injuſtiſſimus debet eſſe fel[illegible]ſſimus, & [illegible]ſtus videri.

„ Cum hunc talem finxerimus, juxta ipſum virum ponamus Juſtum, ſimplicem hominem & ingenuum, qui ut ſcriptum eſt ab Æſchylo, non videri, ſed eſſe bonus ſtudeat. Removenda quippe ab eo juſtitiæ omnis opinio, ne juſtus cuiquam videatur. Si enim videbitur juſtus eſſe, aderunt illi honores, & præmia; incertum igitur erit, juſtine an honorum munerumque gratia talis ſit. Privandus itaque rebus omnibus, præterquam juſtitia, atque ita ponendus, ut ſuperiori contrarius ſit. Nihil enim injuſte agens injuſtiſſimus eſſe credatur; ut quaſi quodam examine ad juſtitiam ſit probatus, ex eo, quod nec infamiæ, nec his rebus, quæ eam ſequuntur, moveatur aut labefactetur, ſed usque ad mortem immobilis perſeveret, dum per omnem vitam injuſtus exiſtimatur, eſt tamen juſtus.

Juſtiſſimus debet eſſe infeliciſſimus, & videri injuſtus.

„ Cum utrique ad extremum pervenerint, judicetur, uter eorum ſit beatior?

„ Ii, qui præ juſtitia injuſtitiam laudant, dicent, quod ita affectus juſtus cædetur, torquebitur, & vincula patietur, eruentur illi oculi, atque demum omnia mala perpeſſus ſuſpendetur, * atque cognoſcet, non eſſe, ſed videri juſtum, concupiſcendum eſſe.

Plato deſcripſit imaginem Chriſti patientis.

„ Injuſto autem perfectiſſimo omnia contraria evenire dicet: Primum quidem magiſtratus capere in ſua civitate, cum juſtus appareat: deinde unde velit uxorem ducere, & ſuas cui velit elocare: cum quibuslibet congredi & communicare, atque ad hæc omnia utilitatem capere, quæſtum facientem, cum injuriam inferre minime vereatur: in certaminibus tum publicis tum privatis Superiorem evadere, plusque emolumenti quam adverſarios inde excerpere; atque hinc effici divitem unde & proſit amicis, & inimicis obſit: Deos autem Donariis & ſacrificiis cumulate & magnifice colat: & multo melius quam juſtus conciliare ſibi poſſit quemlibet vel hominum vel deorum, ex quo conſenta-

„neum

Injuſtiſſimo convenit felicitas Puffendorffiana.

* En imaginem juſtiſſimi: ut agnoſcit Illuſtriſſimus Boſſuet in Obſervationibus ad Hiſtoriam Univerſalem.

„ neum eſſe volunt, * ut DEO charior ſit quam juſtus.

Quam Plato ſola ratione agnovit falſam,

6. Ecce Beatitudinem Juri Puffendorffiano propoſitam, quæ à Juſtitia velut à toto cælo aberrat. Plato ſola ratione iſta cognoſcit & deſcribit: Puffendorffius ne tot quidem revelationibus adjutus id agnovit. Imo agnovit, ſed dilexit magis tenebras quam lucem. Illi quidem merito ſuo inflicta eſt cæcitas, curvæ in terras animæ: ſed utinam non tot alios incantaſſet, traxiſſetque in perniciem; quod jam ipſius tempore Sekendorffius deploravit & alii etiam Heterodoxi: Vid. Them. XV. Cap. X.

quam & tinea corrumpit.

7. Contingit ſæpe ut tota aliqua respublica pace interna fruatur, per amorem & ſocialitatem parta; veniunt autem àforis barbari totam devaſtantes, aut peſtis, aut fames, aut incendia, aut diluvia, aut terræ motus, grandines, cicadæ, mures, eruca, pruinæ, aliæque innumeræ peſtes. Hæc Puffendorffius non negabit lumine naturæ nota, nec faſtidiet hæc, quia deſcripta ſunt in ſacris literis. Igitur fateatur neceſſe eſt, Juſtitiæ naturalis finem non eſſe eum, quem tinea corrumpit: quod ſi iſtum doctorem ratio ſua docere non potuit, docuiſſet quilibet obvius Evangelii locus.

Pars felicitatis Puffendorffianæ

8. Imo ea, in quibus ſaltem partem felicitatis conſtituit Puffendorffius nempe divitiæ & potentia, fere repugnant alteri felicitatis parti, videlicet bono animo. Audiat & diſcat ex *Platone* Lib. V. de Legibus: „ Viri civilis „ *mentem habentis* non ea voluntas eſt, „ quam in legumlatore optimo eſſe debere multi affirmant, ut quam maximam & ditiſſimam eſſe velit civitatem, auro & argento refertam, ac terra marique plurimum dominantem: quibus addunt, ut quam optimam etiam ac feliciſſimam eſſe velit, ſi recte leges laturus eſt. Sed harum quidem alia fieri poſſunt, alia minime. Poſſibilia igitur volet legiſlator, impoſſibilia nec volet, (nam vana eſſet cupiditas) neque aggredietur. Felices ergo & probos eſſe, quæ ſimul neceſſario ferme fieri ſolent, volet quidem; divites autem valde ſimulque probos, eſt impoſſibile. - - - Quia acquiſitio tam injuſte quam juſte facta plus quam duplo eam ſuperat, quæ ſolummodo juſte fit; & impendia, quæ nec honeſte nec turpiter impenduntur, duplo minora ſunt illis, quæ honeſta ſunt, honeſteque impenduntur. Nunquam igitur illo, qui duplo plus acquirit, & dimidio minus erogat, ditior is erit, qui contra facit. Eſt autem alter iſtorum probus, alter non malus quidem quando duntaxat parcus eſt; nonnunquam vero malus omnino; bonus autem, ut modo diximus, nunquam. Nam qui & juſte pariter & injuſte pecunias cumulat, neque juſte impendit neque injuſte, dives fit, quando eſt parcus. Sed qui omnino malus, quoniam ut plurimum impos & prodigus eſt, valde pauper fit. At qui honeſte expendit, & juſte ſolum acquirit, neque facile divitiis excellet unquam, neque premetur inopia. recte itaque ſermo noſter aſſerit, valde divites bonos viros non eſſe: quodſi boni non ſunt, felices quoque non erunt. - - - Quapropter oportere dicimus, nec aurum nec argentum eſſe in civitate, neque quæſtum inſuper multum in mechanicis operibus, cauponationibusque & fœnore, nec ex pecoribus turpiter, ſed ab his, quæ agricultura offert ac præbet: *Atque hoc ita, ut quæſtus non cogat ea negligere, quarum cauſa quæruntur pecuniæ: hæc vero anima & corpus ſunt.* „ Ecce Philoſophum inſignem acuta utique ratione de republica bona ſtatuentem, ſed plane contraria Puffendorffio. Forte repones, à Puffendorffio non negligi animum. Reſpondeo: Imo loquitur de animo: ſed quæ ei præcipit, quemadmodum totum ſuum jus naturæ, tantum refert ad bona ſocietatis & commoda hujus vitæ tantum.

repugnat alteri parti animo bono

quem divitiæ corrumpunt.

quæ ſi maximæ ſunt, cum juſtitia non conſiſtunt,

unde eos Plato excludit à republica.

Commoda Puffendorffiana non poſſunt obtineri per civitates.

9. Commoda Puffendorffiana non poſſe obtineri, docet experientia. Civitates ait ideo inſtitui debuiſſe, ut reprimerentur injuriæ malorum: nam ante civitates quilibet, ſi volebat & poterat, capiebat aliena, percutiebat &c. unde inquieta omnia. Igitur civitates inſtitutæ ſunt. Verum quid fit civitatibus inſtitutis? Nihil rapitur? nihil cædis occultæ publicæque patratur? Quot fraudes, perjuria, veneficia, criminaque patrantur magiſtratuum maximeque principatuum obtinendorum cauſa? iiſque obtentis, quæ pauperum oppreſſio? quæ judiciorum, ad quietem ſervandam inſtitutorum, perverſitas? Deinde ante civitates ſingulis forte eripiebantur oves, triticum, ve-

* Injuſtitiæ, vel falſæ juſtitiæ Patroni.

ſtis: nunc civitatibus inſtitutis pro furtis paucorum ſucceſſerunt maxima latrocinia, id eſt, multorum inter ſe populorum bella, totas provincias late depopulantia. Et cum ante civitates parva furta flagitia haberentur, poſt illas magna hæc latrocinia habentur ingentia decora: & non ſolum ars eſt, homines turmatim occidere & eruere provincias, ſed omnium artium præcipua. Hæc enim ſola nobilitat artificem ſuum, etiamſi peſſimus ſit civis; hæc ſola gloriam reliquam omnem excedere à civitatibus exiſtimatur, iis enim qui plures occiderint, plura vaſtaverint, erecti ſunt triumphales arcus, trophæa triumphique ſplendidiſſimi decreti: contra viris ſanctis, qui virtutibus & legibus inſtruxere rempublicam, Soloni, Platoni, Catoni Cenſorio, vix bipedale ſaxum memoriæ ergo locatur.

10. Quanto juſtior etiam in his eſt civitas DEI, Eccleſia Catholica: quæ non regibus bellorum ac cædium cauſa, ſed privatis maxime viris, iisque in vita contemptis templa, feſtos dies & æternam memoriam conſecrat; qui ſeu ſibi ſolis ſancte vixerint, ſeu doctrina, exemplis, benefactis rempublicam juverint, quo melius finis ſui ultimi admoneretur, ad eumque obtinendum proveheretur.

11. Inquies, ſcelerum in civitate commiſſorum non eſt cauſa civitas ſeu ſocietas, ſed voluntas prava hominum, quam ſocietas non emendat, ſed ſæpe accendit. Reſpondeo, hoc ipſum eſt grave illud à Puffendorffio commiſſum in ſtatuendo Juris naturæ principio peccatum: quod & Principium & finem cum ſtatuat, quo animus non fit melior ſeu felicior, imo quod eſt inſtrumentum aptum ad eum corrumpendum. Statuiſſet ille nobiſcum ſervitutem DEI pro principio, & DEum obtinendum pro fine, nemo poſſet ei objicere, per hæc duo animum unquam corrumpi.

12. Demum advertere & hoc & pluribus aliis locis juvat, omnes civitatum inſtitutores operam vanam luſiſſe, etiam cum hujus tantum vitæ pacem ac commoda pro fine ac meta collocarunt. In nulla enim humana republica, per nullas humanas leges obtineri potuit pax externa, niſi multis & fortaſſe pluribus inquietudinibus turbata: neque obtineri potuerunt commoda, niſi incommodis pluribus confecta: neque injuriæ & incommoda arceri potuere à quoquam legiſlatore, niſi per media, quæ rurſus aliarum injuriarum & quidem majorum non occaſio duntaxat, ſed & illicia eſſent. Igitur natura ipſa rerum & tam longa aliquot millium annorum experientia docent nos, quam male tetigerint ſcopum, quotquot in commodis hujus tantum vitæ tanquam fine ſuo ac humanæ ſocietatis acquieverunt aut in his *finem Juſti boneſtique* eſſe ſtolide exiſtimarunt.

Thema XIII. Finis verus Juris naturæ eſt, qui nullo fine alio ultra intento ſufficit, ut actio ponenda ſit juſta: cujus vero contrarium ſufficit, ut actio ponenda ſit injuſta. Finis autem Socialium plane eſt diverſus. Non eſt igitur is verus finis. *Finis verus ſufficit ad actionem bonam faciendam.*

1. Nam à fine deſumitur actionis bonitas; ſi igitur finis non ſufficit ad actionem bonam faciẽdam, non eſt finis verus.

2. Si Pax ex amore & ſocietate ſufficeret ad actionem juſtam ponendam, & viciſſim; juſtum eſſet necare innocentes, pejerare &c. propter pacem obtinendam. Vide Them. V. n. IV. Contra calamitas & bellum & diſcordia avertenda ſufficeret ad omittendam veram religionem &c. *Societatis pax non ſufficit ad hoc.*

Them. XIV. Finis Juris naturæ non eſt diverſus à fine ſingulorum hominum. Singulorum autem hominum finis non eſt iſta tranquillitas & felicitas ſocialis, quæ potius ſingulis gravis eſt. *Finis J. N. eſt idem qui ſingulorum hominum.*

1. Nam ſi ſinguli ſpectentur, pauci ſunt aut nulli potius, qui hunc Socialium finem aſſequantur legatur. Horatii Satyra I. Lib. I. quam perpetua experientia invicte probat. *Societas ſingulis eſt gravis*

Qui fit Mœcenas, ut nemo, quam ſibi
ſortem
Seu ratio dedit, ſeu ſors objecerit, illa
Contentus vivat; laudet diverſa ſequentes?
O fortunati mercatores, gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra
labore.
Contra mercator. - - - - - - -
Cetera de genere hoc (adeo ſunt multa)
loquacem
Delaſſare valent Fabium.

2. Deinde ii qui maxime pro eo fine acquirendo laboraverunt, & illum etiam acquiſiverunt, denique eodem rurſus privantur ſine ulla ſua injuſtitia: nempe cum mors venerit, quæ omnem hanc felicitatem uno ictu ſuccidit. Idque patiuntur naturaliter omnes juſti, nullo excepto.

3. Præterea ii, qui maxime hanc adepti ſunt pacem, in eamque ſuum finem maxime poſuerunt, graviſſime puniuntur in ejus amiſſione per mortem. In hos enim cadit illud: *O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis.* Eccli 43. ỷ. 1.

4. Ut publica quies ſervetur, ſinguli de ſua felicitate debent multa remittere, multa etiam infelicia pati, quæ ipſis cau-

cauſantur à ſocietate; Quid patiuntur conjuges à ſe & à filiis? ſervi à Dominis? cives à vicinis? aulici à regibus? ruſtici à nobilibus, militibus? Hinc illæ multorum lacrimæ deteſtantium ſocietatem, & in deſertis habitare optantium ni dura neceſſitas cogat perſiſtere. In gravi autem duraque neceſſitate finem ſingulorum ponere non eſt juſtum.

5. Placet hic exſcribere doctrinam S. Auguſtini, ut eam boni viri conferant cum doctrina Puffendorffii ſerantque judicium de judicio Barbeyraci tantopere Puffendorffium præ Auguſtino deprædicantis, ut offendi etiam Turcæ poſſint, ſi modo hi ſuſpicarentur, Barbeyracò aliquid ſani ſenſus, cum talia ſcriberet, ſuperfuiſſe. Inſtruit autem S. Auguſtinus Macedonium Africæ vicarium virum potentem, ac regia prope dignitate; nequis exiſtimet ad vulgus tantum pertinere iſta, regum vero majorem eſſe apud DEum reſpectum. Sic ergo Macedonium alloquitur Epiſtola CLV. n. 7. „ Quoniam vero te rei publicæ ſcimus amatorem, *non aliunde eſſe beatum hominem, aliunde civitatem* vide quam ſit in illis ſacris litteris clarum. Nam quidam in eis Sancto Spiritu plenus hæc loquitur, orans: *Exime me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem & dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filii velut novellæ conſtabilitæ in juventute ſua: Filiæ eorum compoſitæ, & ornatæ ſunt ſicut ſimilitudo templi: Cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc. Oves eorum foecundæ, multiplicantes in exitibus ſuis. Boves eorum craſſæ. Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt: BEATUS POPULUS, CUJUS DOMINS DEUS IPSIUS* (Pſalm 143.) Vides exaggeratione terrenæ felicitatis beatum populum non dici, niſi à *FILIIS ALIENIS*, id eſt, non pertinentibus ad regenerationem, qua efficimur Filii DEI: à quorum manu iſte (Pſalmiſta) ſe eximi precatur, ne ab eis in hanc opinionem atque in peccata impia pertrahatur. Loquendo quippe vanitatem beatum populum dixerunt, cui hæc ſunt, quæ ſupra commemoravit; quibus ea felicitas conſtat, quam ſolam dilectores hujus mundi inquirunt. Et ideo dextera eorum dextera iniquitatis; quia hæc præpoſuerunt, quæ fuerunt poſtponenda, ſicut ſiniſtræ præponitur dextra. - - - Proinde ut tranſiret (Pſalmiſta David) omnium vanitatum & inſaniores mendacium limites, atque ibi beatam vitam poneret, ubi vere eſt, Beatus, inquit, populus, cujus Dominus DEus ipſius. Hoc nobis velimus, hoc civitati, cujus cives ſumus. Non enim aliunde beata civitas, aliunde homo, cum aliud civitas non ſit quam concors hominum multitudo. Itaque ſi omnis prudentia tua, qua conſulere conaris rebus humanis; ſi omnis fortitudo, qua nullius iniquitate adverſante terreris; ſi omnis temperantia, qua in tanta labe nequiſſimæ conſuetudinis hominum te à corruptionibus abſtines, ſi omnis juſtitia, qua recte judicando ſua cuique diſtribuis, id laborat, id nititur, ut hi, quibus vis, ut bene ſit, ſalvi ſint corpore, & ab omni cujusquam improbitate tuti atque pacati habeant Filios ſicut novellas &c. nec litigantum clamor perſonet in plateis eorum; ita non erunt veræ virtutes tuæ, ſicut nec iſtarum beatitudo. - - - Si quælibet adminiſtratio tua illis, quas commemoravi, inſtituta virtutibus hoc intentionis fine determinatur, ut homines ſecundum carnem nullas iniquas moleſtias patiantur; nec ad te exiſtimas pertinere, *QUO ISTAM QUIETEM, QUAM PRÆSTARE NITERIS, REFERANT*; id eſt quomodo DEum, verum, ubi eſt quietæ vitæ omnis fructus; colant; *NIHIL TIBI PRODEST AD VITAM VERE BEATAM TANTUS LABOR.*

Beata civitas non fit per alia, quam per quæ beatus fit homo.

Graphice, ni fallor, depinxit ſapientiſſimus Auguſtinus Societatem, quam hac vita circumſcribit Puffendorffius filius alienus mentitus nobis, ſi mihi permittitur phraſi divina in eum uti.

6. Si DEus naturam humanam ad nullum alium Finem condidit, quam ad hæc terrena, fecit illum miſerum: nempe infinite cupidum ſummorum, & tamen ab earum adeptione ſine culpa neceſſario ac perpetuo excluſum.

Theor. XV. Non poſſunt deſignari illa bona hujus vitæ, quæ ſint tanquam finis à jure naturæ intenta, tametſi ſenſibilia ſint. Quod eſt ſignum, Socialiſtas in aëre ædificare.

Non poſſunt aſſignari Bona hujus vitæ, quæ ſint finis Juris naturæ.

1. Illa bona ſuntne ſocietati tali propria, quæ eſſet ſana & integra, qualem explicat Plato Lib. II. de Juſto ſeu Republ.? Conſiſteret ea in paucis iisque oppido neceſſariis. Veſte hi utentur ſimplici; *nutrientur ex hordeo & frumento farinam conficientes, & par-*

Bona Societatis ſanæ ſunt valde pauca.

 tim

ut frumentum, glandes &c.

tim quidem pinſendo, partim addito fermento ſubigentes placentas egregias paneſque ſuper calamis aut puris foliis imponentes, in lectisque ex herbis ſmilace atque myrto factis diſcumbentes comeſſabuntur ipſi & eorum filii, bibentes vinum coronati, & DEOS laudantes jucunde ſimul vivent, nec ultra cenſum filios generabunt, caventes paupertatem aut bellum. - - - Oblitus & hoc eram, quod habituri eſſent obſonium, ſalem videlicet & oleas, & caſeum & bulbos, præterea olera quaſi agrorum pulmenta coquent, & bellaria ipſis apponemus ficuum, cicerum ac fabarum, & baccas myrti & fagineas glandes prunis torrebunt, modeſte bibentes, ſicque quiete & ſalubriter viventes, ut par eſt, ſenio confecti aliam ejusmodi vitam poſteris ſuis relinquent.

Eſtne jam hæc, à Socrate deſcripta felicitas, quam jus naturæ ſocialiſtarum decernit orbi & omnibus gentibus? At credo pleræque nihil magnæ hic felicitatis odorabuntur. Audiamus quid Glauco reſponderit Socrati.

Plura commoda faciunt civitatem morbidam

2. *Si ſuibus, ô Socrates, civitatem inſtituiſſes, quanam alia ipſis cibaria præparaſſes? Quid ergo agendum ô Glauco? Quod multi ſolent, inquit, ſuper thoris diſcumbendum NISI MISERE VELIMUS VIVERE, epuliſque ex menſis veſcendum, obſoniisque & bellariis, quibus his temporibus utuntur. Eſto Glauco, inquam ego. Intelligo: non enim urbem, ut videtur, conſideramus ſolum quomodo fiat, ſed DELICATAM urbem. - - - VERA UTIQUE MIHI CIVITAS ESSE VIDETUR QUAM DIXIMUS, TANQUAM SANA. Verum ſi vultis, CIVITATEM QUOQUE TURGIDAM SEU TUMESCENTEM conſideremus.* - - - ,, Thori addentur, &
,, menſæ, & alii apparatus, & vaſa &
,, obſonia, unguentaque & ſuffitus,
,, ſcorta, aromata, condimenta, oble-
,, ctamenta; ſingulaque horum omnis
,, generis. - - - Addenda rurſus pic-
,, tura & varietatis artificia, aurum
,, &c. Nonne igitur majorem civita-
,, tem oportet conſtitui? *Illa enim ſana*
,, non amplius ſufficiens eſt: ſed mole
,, quadam & multitudine replenda eſt
,, eorum, qui non amplius neceſſita-
,, tis cauſa in civitatibus ſunt; quales
,, ſunt venatores omnes & mimi, imi-
,, tatoreſque partim circa figuras at-
,, que colores, partim circa muſicam
,, &c. actores, cantores, ſaltatores,
,, operum publicorum redemptores &
,, apparatuum inſtrumentorumquè va-
,, riorum artifices, tum aliarum rerum,
,, tum eorum, quæ ad muliebrem
,, mundum pertinent. Quin etiam
,, miniſtris pluribus indigebimus, pæ-
,, dagogis, nutricibus, educatoribus,
,, comptricibus, tonſoribus, & iis qui
,, obſonia & culinam parent. - - - &
,, medicis indigebimus - - - Atqui &
,, regio, quæ tunc eos homines ſatis
,, commode alebat, ex copioſa parva
,, erit. - - - Nonne igitur de finiti-
,, morum regione nobis aliquid uſur-
,, pabimus, ut ſatis agri habeamus ad
,, paſcendum atque arandum; & fini-
,, timi quoque de noſtra, ſi & illi ad
,, cumulum divitiarum ſe conferant in-
,, finitum, neceſſitatis terminos exce-
,, dentes? - - - Pugnabimus ergo, vel
,, quid agemus? Pugnabimus. - - -
,, Igitur & majore civitate opus & ad
,, exercitum maximum comparandum,
,, qui ob ea, quæ dicta ſunt, incurren-
,, tibus hoſtibus obvius ſit. &c."

& vitioſam

& injuſtam.

Ecce huc demum cedit ſocialium felicitas, eam civitatem conſtituens, quam Puffendorffius beatam laudat, Plato vero ait tumentem, & ulceroſam, minimeque ſanam ſed ſanæ contrariam, itaque affectam, ut plura etiam hinc mala quam bona conſequantur.

3. Deinde ſi maxime in ſenſibilibus conſtituendus eſt juſtitiæ finis, quo judice dirimetur lis de modo deque ipſa ſubſtantia hujus felicitatis? Alius decem jugera agri divitias putat, alius pauperiem. Cæſar aliquis mallet inter paucos agreſtes eſſe primus, quam in maxima Roma ſecundus. Alexandrum Perſæ devicti laudabant, deteſtabantur iidem Macedones, qui victoriam pepererant. Pacem expetunt coloni, miles horum videt ignaviam, & Suevi gloriæ ſummam exiſtimabant, fines habere latiſſime vaſtotos à ſe.

Them. XVI. Neque effugiunt ſociales, ſi dixerint, Finem Juris naturæ non conſiſtere in his rebus, neque in quocunque earum uſu, ſed in uſu recto id eſt virtuoſo.

Ex Puffendorffio, qui commoda vitæ ſectatur hoc ipſo eſt juſtus.

1. Virtuoſus uſus ex intentione debiti finis, & actione ad finem temperata conſiſtit. Sed ſocialium finis intentus ſunt iſta commoda, & actiones civiles ita temperatæ ut hæc commoda conſequantur. Igitur ex ſocialium principiis hoc ipſo eſt aliquis virtuoſus quod ſit ita felix. Ille ergo erit vitioſus, qui non erit ita felix. Malus ergo erit is, qui propter juſtitiam odia & exilia patietur, peſſimus autem qui etiam morte afficietur propter juſtitiam.

2. Si

2. Si vero ex intentione horum commodorum non ſit homo virtuoſus, conſequitur, hæc commoda non eſſe finem Juris.

Rectus uſus bonorum conſiſtit in expenſione.

3. Rectus & honeſtus uſus iſtorum commodorum potius conſiſtit in illorum expenſione, quam in fruitione: ergo acquiſitio, poſſeſſio & retentio illorum non eſt finis Juris honeſti; ſi enim ea eſſent verus finis, ſola eorum poſſeſſio vere beatum faceret. Nunc vero qui divitias, honores, ſavores, auxilia plurima habent, virtuoſiores ab omnibus reputantur, ſi ea cum aliis communicent & largiantur; ſi vero ſoli poſſidere ſtudent, habentur pro avaris, ambitioſis, invidis, adeo ut etiam affectus & propenſio in iſta diſpliceat juſtis.

Commoda non ſunt verus finis, quia indigent alio fine.

4. Verus finis juſti non eſt, qui alio fine indiget à quo veram rationem boni, juſti, honeſti, recti demum obtineat. Socialium autem talis eſt finis, ut actus ad finem directus fine etiam obtento nondum ſit rectus & regulatus & juſtus; ſed demum à neſcio quo uſu honeſto illius finis debeat fieri rectus & regulari. Quod ipſum argumento eſt, Finem Socialium eſſe aliquid indifferens ad rectum & non rectum, ut jam ſuprà Them. XIII. oſtendimus.

Puffendorfſius a Gentilibus vituperatus.

Them. XVII. Hæc doctrina Puffendorffii &c. pro gentilibus, ut ipſe ait, ſcripta, ab ipſis gentilibus agnita eſt vituperio digna, & execratione.

Sicut Ariſtoteles.

1. Philoſophi vehementer in Ariſtotelem invecti ſunt, ambitioſum, voluptuarium dicentes, quod externa bona & commoda honoreſque ſaltem in conſortium felicitatis conſtituendæ admiſerit. Quocirca etiam *Vulpes* dictus eſt, velut inſidias veræ felicitati tendens. Vid. Euſeb. Præparat. Evangel. Lib. XV. cap. II. &c.

2. Si nos iſta diceremus, aut aliquis SS. Patrum, clamare inciperet Puffendorffius, nos ſuſpectos eſſe tanquam Chriſtianos qui omnia in unum chaos conflent & ſacra profanaque inter ſe commiſceant, & ex illo Apoſtolo ex illo propheta ſtupide Jura naturæ repetere. Nunc ea dicunt Ethnici, qui non poſſunt eſſe ſuſpecti Puffendorffio tanquam Pauli aut Matthæi diſcipuli; cum ex lumine naturæ hæc ſenſerint quæ Puffendorffium non tetigerunt. Vulpina ergo hæc gentilium ſapientibus viſa eſt Juris naturalis prudentia, quæ ut aduletur hominibus, DEI cauſam prodit.

Plato rejicit Puffendorffium.

3. Plato aliam in Puffendorffium ſententiam decrevit, ejusque Jus naturæ ac ſocietatem damnavit. *Duplicia vero*, inquit ille, *bona ſunt, alia humana, divina alia: dependentque à divinis humana. SIQUA VERO CIVITAS MAJORA SUSCEPIT* (id eſt divina) *MINORA QUOQUE POSSIDET: SIN AUTEM ILLIS CARET, UTRISQUE PRIVATUR. Minorum autem primum eſt ſanitas; forma ſecundum, tertium vires, quartum divitiæ &c.* Lib. I. de Legibus. Puffendorffii ergo civitas bona divina negligens, nec valens ex ſuo principio deducere, caret etiam humanis bonis, adeoque utrisque. I nunc Puffendorffi & Heinecci & gentiles *adige* ad tuum Jus naturæ ſequendum. Legatur Cicero de Finibus.

4. Idem Plato Lib. VII. de Legibus rurſus damnat vanitatem Socialiſtarum. *HUMANÆ QUIDEM*, inquit, *RES MAGNO STUDIO DIGNÆ NON SUNT: Serio tamen quædam agere neceſſe eſt, quod infortunatum dixerim. - - - Oportet igitur, aio, quod ſtudio dignum eſt, ſtudioſe tractare, non digna vero nequaquam. AC DEUM QUIDEM NATURA OMNI BEATO STUDIO DIGNUM: Hominem vero, ſicut etiam ſupra diximus, eſſe fictum, ut eſſet DEI ludus; ATQUE ID VERE IPSIUS OPTIMUM ESSE.*

5. Quoque Puffendorffio os penitus opprimatur, Epinomidem etiam Platonis, ſeu Philoſophum conſulamus. Hunc librum ſubjecit Legibus, & quamquam in legibus ſæpe indicaſſet, quo fine tantam lucubrationem inſtituerit, nempe ut hominibus felicitatem veram procuraret; tamen neceſſarium cenſuit, ſingulari libro indicare, in quo conſiſteret ea felicitas? Ipſe Plato in principio ejus libri oſtendit, hanc eſſe ſuam mentem hoc conſilium. Jam cetera audiamus. *Multi fluctibus hujus vitæ jactati illud prædicant: Humanum genus felix atque beatum eſſe non poſſe. Attende igitur, & conſidera, utrum & Ipſe recte hac de re dicere videar. IMPOSSIBILE ARBITROR, HOMINES IN HAC VITA, præter admodum paucos, FELICITATEM ET BEATITUDINEM ASSEQUI: BONA TAMEN SPES EST, UT POST MORTEM QUIS EA OMNINO CONSEQUATUR, QUORUM DESIDERIO ACCENSUS OPTIME PRO VIRIBUS EGIT VITAM, ATQUE EXEGIT. Nec inauditum aliquid novumque adduco, ſed QUOD BARBARI OMNES ET*

GRÆ-

GRÆCI MODO QUODAM COGNOSCIMUS. Nemo enim ignorat, quanta ſit in prima generatione animalium difficultas &c. Nam per mille labores fieri hæc non ignoramus. Breve autem tempus eſt, non ſolum, reſpectu diuturnitatis malorum, verum etiam quocunque modo quis cogitet, quod quaſi circa humanæ vitæ medium reſpirare parumper nos facit. Sed cito triſtis ſenectus ſuperveniens efficit, nequis optet rurſus in vitam redire, cum præteritas moleſtias cogitet, NISI PUERILI OPINIONE FERATUR. Deinde rejicit à conceptu beatitudinis omnes artes, ſcientias, & exercitia corporis atque animi, per quæ vulgo dicitur ſalus reipublicæ comparari. Concluditque beatitudinem hujus vitæ conſiſtere in contemplatione rerum cæleſtium viſibilium, ſed ita, ut in viſibilibus his intendatur ad illud *unum* omnia formans, regens ac continens. *UNUM ENIM HORUM OMNIUM INTELLIGENTI VINCULUM APPAREBIT. Qui vero aliter hæc adipiſci ſtudet, fortunam, ut dicimus, invocet. NUNQUAM ENIM ABSQUE HIS NATURA IN CIVITATIBUS ULLA FELIX EFFICIETUR. Etenim hic modus eſt, hæc educatio, hæ diſciplinæ. Per hæc itaque ſive facilia ſive difficilia ſint, eundum. Nefas autem eſt Deos negligere, cum ſelix omnium illorum doctrina OMNIBUS RECTA RATIONE PATUERIT. Eum ſane, qui cuncta hæc ita percepit, vere ſapientiſſimum appellamus. Quem ego etiam joco & ſerio aſſirmo, cum diem ſuum obierit, non amplius multorum ſenſuum ut nunc, ſed unius ſortis participem fore, unumque de multis factum, felicem, ſapientiſſimum, atque beatum, & ſi quis in continenti, ſive in inſulis, ſeu publice, ſeu privatim vixerit, modo ita ſe geſſerit, EANDEM A DEO SORTEM REPORTATURUM.*

6. Idem Plato. Lib. X. de Republ. *Primum quidem hoc mihi redditis, quod qualis uterque ſint. Juſtus & Injuſtus, Deos non latet. Si Deos id non latet, ille quidem à DEO amabitur, hic odio habebitur? Deorum autem amico OMNIA QUOAD FIERI POTEST à diis optima tribuuntur, niſi quid mali ex priore delicto ei neceſſitate quadam immineat. Sic itaque de juſto viro exiſtimandum; ſive paupertati ſeu morbis, ſive quibuscunque aliis eorum, quæ MALA VIDENTUR, obnoxius ſit, huic demum VEL VIVENTI VEL MORTUO ad bonum aliquod iſta conducere. …eque … à diis unquam negligitur, …icumqu… juſtus evadere, virtutiſque …ercitiis, qu… homini licet, DEO ſimilis fi… conabitur.* Denique totum illum de Juſto librum ſic concludit & perorat Plato: *Quamobrem ſi ſermonibus meis obtemperabimus immortalem fore animam arbitrantes, talemque, ut & mala poſſit & bona omnia ſuſtinere, viam ſemper ad ſuperiora ducentem ſequemur, juſtitiamque cum prudentia omni ratione colemus; ut & nobis ipſis ſimus & diis amici, dum hanc ducimus vitam, & poſtquam virtutis præmia reportaverimus tanquam potiti victoria & triumphis, & hic & in millenario annorum itinere, quo de diximus, feliciter habeamus.* Audiant hæc ſocialiſtæ hodierni, iique Chriſtiani. Plato gentilis agnoſcit de Juſto deque re publica agere ſe non poſſe, niſi eam à DEO ordiatur, cum DEO finem ejus ultimum conſtituat. Hi vero ſociales grandis ignorantiæ accuſant Doctores Chriſtianos, Juri tradendo adhibentes DEUM, & non in nuda natura ſolaque hac vita ſubſiſtentes!

7. Sed & in *Timæi* ſive libri de Natura fine Plato ſummam felicitatis conſtituit primo contemplatione divinarum rerum, quæ ad certam ſelicitatem ducat. *Et certe is, cui DEUS has ſortes attribuerit, per veriſſimam opinionem ad feliciſſimam vitam deducitur: ſiquis contra durus & præfractus fuerit, nec ſanctiſſimis illis præceptis voluerit parere, eum pœna conſequetur tum ex legibus, tum ex illorum ſermonum vocibus, quæ & cæleſtes & infernas pœnas denuntiant.* Addatur Ejusdem *Timæus* fin.

8. Neque contendat profanus aliquis, Platonem hæc ex ſacris bibliis & ex Hebræorum diſciplina adeoque ex revelatione didiciſſe, adeoque non pro gentili ſed pro Judæo habendum, qui Puffendorffio debeat eſſe ſuſpectus. Nam ſi vel ex ſacra ſcriptura ea hauſit Plato, & revera ad religionem revelatam converſus eſt, commendatur hinc vis Sacræ Scripturæ in Gentiles: igitur perperam ea ſcriptura omittenda dicitur cum Jus naturæ tradendum eſt, etiam gentilibus. Si vero Plato manſit gentilis, & tamen has egregias doctrinas ex ſcriptura non hauſit modo ipſe, ſed aliis quoque inculcavit; hinc rurſus apparet, Gentiles poſſe doctrinam Juris naturæ diſcere ex S. Scriptura, neque hanc eſſe exturbandam è jure naturæ docendo.

9. Ceterum qui pulcre collectas ſententias Philoſophorum & aliorum de

fine

fine humanæ vitæ, laborum ac juſtitiæ legere ad ſeſe excitandum inſtruendumque voluerit, adeat Theophili Raynaudi Diſciplinam moralem Diſt. I. à. n. 41. uſque ad 343. & S. Thomam metaphyſice ac moraliter de his diſputantem Contra Gentes.

Them. XVIII. Sententia Socialium non eſt apta ad refrænandos homines ab injuſtitia. Ergo nec in propriis principiis ſtare poteſt; cum una manu ædificet civitatem, altera deſtruat. Ædificare vult per propoſitum finem commodorum: deſtruit per propoſita commoda talia, quæ fere plus ad injuſtitiam invitant, quam ad juſtitiam.

1. Quid ergo faciet homo ille, qui non habet quod metuat incommoda illa humana, nec quod amplius deſideret commoda? Servabitne juſtitiam, cum non habeat finem ſervandi? Adducam hic Gundlingium, minus ſuſpectum ſocialibus, Diſcours über das Vernunfft-Recht Cap. I. §. 27-39. „ Fingamus, „ me eſſe ſolum, abſque arbitro: quod „ fieri facile poteſt. Mevius repoſuit „ pecuniam: eam eſſe Mevii haud me „ fugit. Diſceſſit Mevius. Ego vero „ mecum: Inſanus ſim, ſi hanc illi re„ ſtituam. Me id tuliſſe is reſciſcere „ haud quaquam poteſt. Quid me hic „ moveat, ne pecuniam retineam? *Habeo præſens commodum; nihil eſt incommodi; virgis non cædar, cum lateam omnes. Oſtendat mihi quiſquam ex illa Philoſophia Wolffiana* (addo Puffendorffinam) *argumentum aliquod, cur non retineam pecuniam? Dices fortaſſe: recte ab hoc retineri pecuniam. O præclaram philoſophiam! - - - Itaque efficitur, etiam pœnas arbitrarias locum habere* (quod Puffendorffius ait ſibi perſuaderi non poſſe) *nobisque leges natura-* „ *les non ſolum* ob id eſſe ſervandas, quod „ utiles ſunt, ſed quod à DEO impera„ tæ, & niſi ſervaveris, DEUS te ex„ traordinarie puniet. Quæ hæc do„ ctrina moralis, ubi nihil eſt quod „ quemquam deterreat, quo minus in„ juſte faciat? Multa utique ab ho„ minibus clam patrantur, & cum non„ nunquam facta in apertum produ„ cantur, ſæpius manent occulta. Plu„ ra horum exempla dari poſſunt. „ Finge eſſe aliquem Principem. Huic „ deerunt motiva, ne hoc neve illud „ faciat. Cumprimum agnoverit utile „ ſibi fore, omnibus te ſpoliabat. Mo„ nebis illum, abſtinendum eſſe? Re„ ſpondebit: Eccur abſtineam? res mi„ hi conducit, *commoda eſt.* Repones „ ei: à Populo eum traduci. Dicet „ ipſe: quid mihi cum iſtis homini„ bus? - - - Atheus *veritates* legum „ naturalium poteſt agnoſcere, ſed eas „ non diſcit niſi ſub ſpecie utilitatis. „ *Illi vero qui leges naturales ſub hac* „ *tantum ratione diſcunt, carent forti* „ *vinculo, ſed cogitant: ceſſante com-* „ *modo poſſe fieri transgreſſionem.* In „ aliquibus quidem apparet ſatis gra„ vis metus, ad ſervandum adigens; „ ne deſtruas corpus. At ſunt pecca„ ta, quæ corpori non officiunt. Ut „ furtum non vitiat ſtomachum, nec „ viſcera inde deteriora fiunt. - - - „ *Bona doctrina Moralis, Bonum Jus* „ *naturæ omni momento debet eſſe ap-* „ *tum, ut ab omnibus peccatis retineat.*" Igitur de ſententia Gundlingii malum eſt Jus Puffendorffii, quod nullas pœnas arbitrarias ac præmia à DEO agnoſcit, omniaque tantum commodis & incommodis humanis metitur. Et frigide ſolum adjicit, iſtas pœnas humanas à DEO conſtitutas eſſe. Unde enim demonſtrabit, *à DEO* decretum eſſe odium, exilium, mulctam capitis, proſcriptionem bonotum? Vid. Cap. IV. Th. III. & infra hoc Themate n. 7.

2. Puffendorffius, Heineccius, Wolffius inſtruendos ſummunt Turcas, Sinenſes, Japones, vel alios homines, qui de æterna vita poſt hanc temporalem nihil, ut ipſe quamquam falſo exiſtimat, didicerunt. Quomodo his perſuadebit, ut uſque ad mortem certent cum paſſionibus & appetitibus ſuis; ut inimicum ſibi inſidiantem non auferant clam è medio; ut ad obtinendas divitias non omnia impendant; ut obtentis his divitiis & commoditatibus non in illis tanquam in fine ultimo conquieſcant? Si enim juſtum eſt propter hæc tantum commoda amare ſocios, ille juſtitiam totam implevit, qui amando ſocios hæc aſſecutus eſt. Qui juſtitiam implevit, illi nihil ſupereſt obligationis. Si autem conſequendo hæc commoda non implevit totam juſtitiam, falſum eſt in his commodis eſſe finem juſtitiæ. Gentilibus non prodeſt J. N. Heterodoxum.

3. Produco hujus rei teſtem gentilem, qui naturaliter ſaltem tam doctus fuit quam Puffendorffius & Heineccius. Plato is eſt rurſus. Vir multo rigidior. Quippe is etiam hanc doctrinam pernicioſam & è republica eliminandam aſſerit, quæ admittit pœnas injuſtis non tantum ab hominibus, *ſed etiam à diis, & quidem poſt hanc vitam* infligi; ſi tamen ea doctrina ſimul admittat, Deos ad remittendum adeo faciles eſſe, ut re quavis obvia placentur *etiam animo malo non mutato.* Platonis doctrina juſtior.

Quid dixiſſet Plato de iis, qui ſibi perſuadere non poſſunt, præmii aliquid à DEO promiſſum eſſe juſtitiæ, juſtitiamque ultra hanc vitam non porrigi, ſed omnia intra hominum laudes & ſavores ſtare?

,, Præcipiunt ſane Patres fillis, at-
,, que omnes, qui curam aliquorum
,, habent, oportere juſtum eſſe, non
,, ipſam juſtitiam laudantes, ſed eos
,, qui inde ſequuntur honores; ut, qui
,, juſtus habetur, ex ea opinione ma-
,, giſtratus & connubia & cetera aſſe-
,, quatur. Quin etiam gloriam quo-
,, que illi præterea adjungunt: nam
,, commemorantes deorum benevolen-
,, tiam, ſumma referre poſſunt à diis
,, beneficia ſanctis viris collata. Quod
,, generoſus Heſiodus Homerusque te-
,, ſtantur. Ille enim juſtis Deos hoc
,, concedere perhibet, ut quercus in ra-
,, mis altioribus glandes ferant, in me-
,, diis apes; & oves luna onerentur,
,, multaque alia generis ejusdem bona.
,, His ſimilia dicit & alter: Quomo-
,, do, inquit, probo regi, quique Deo
,, ſimilis ſuis reddat jura, ferat terra
,, nigra triticum atque hordeum, fruc-
,, tu onerentur arbores, fœcundæ pe-
,, cudes facile pariant, mare piſces ſub-
,, miniſtret. Muſæus item atque ejus
,, filius excellenriora etiam bona juſtis
,, ab ipſis diis tribui voluerunt. Apud
,, inferos enim agentes, ipſosque in
,, ſanctorum conviviis collocantes co-
,, ronatos faciunt magna ſemper in vo-
,, luptate ebrios vivere, exiſtimantes
,, pulcherrimum virtutis præmium æ-
,, ternam ebrietatem &c. Et malos
,, quidem divites potentesque facile
,, honorant, privatimque ac publice
,, beatos appellant; eos autem con-
,, temnunt, qoi imbecilles & pauperes
,, ſunt, quamvis concedant, ipſos me-
,, liores ceteris eſſe. Horum vero
,, omnium maxime mirandi de diis &
,, virtute ſermones circumferuntur:
,, Deos plurimis bonis hominibus infe-
,, licem vitam dediſſe, malis autem
,, contrà &c. - - - Quid putamus ac-
,, turos hæc audientes animos eorum
,, juvenum, qui ſolertes ingenio ſunt,
,, & ad omnia dicta comode celeriter-
,, que conveſſi & quaſi convolantes?
,, ex iis, quæ dicuntur, tatiocinari poſ-
,, ſunt, qualem eum eſſe deceat, &
,, quam viam ingredi, qui optime vi-
,, tam aget? Conſentaneum eſt, juve-
,, nem talem Pindari illud animo vol-
,, vere: Utrum juſtitiæ conſcendam
,, alta mœnia? an obliquas doli vias
,, ingrediar, meque ita fulciens vitam
,, agam? - - - Ex omnibus jam dictis,
,, ô Socrates, quis crediderit, eum ho-
,, minem juſtitiam velle colere, cui ſit
,, aliqua vis aut fortunæ aut opum,
,, aut corporis, aut generis; ac non
,, potius ſubriſurum, ſi laudari eam
,, audiverit? Quinimo ſiquis falſa oſ-
,, tendat, quæ diximus, recteque no-
,, vit, juſtitiam optimum eſſe, vehe-
,, menter ignoſcet, neque iraſcetur in-
,, juſtis; cum intelligat, niſi quis divi-
,, na quadam natura iniquitatem ode-
,, rit, vel doctrinâ abſtinuerit ab inju-
,, ſtitia, neminem ſua ſponte eſſe ju-
,, ſtum, ſed præ timiditate vel ſenec-
,, tute vel alia quadam imbecillitate
,, vituperare injuſtitiam, cum eam exe-
,, qui nequeat. Quod quidem *ex eo patet, quoniam, ut primum quis poteſtatem adeptus eſt, primus pro viribus agit injuſte.* *HORUMQUE OMNIUM NULLA ALIA EST CAUSA, QUAM EA, UNDE HÆC OMNIS ORATIO MIHI ET HUIC, O SOCRATES, ADVERSUM TE* (Puffendorffium & alios ſociales) *PROFECTA EST.* Nempe quod aut hujus tantum vitæ præmia pœnæque proponuntur; aut ſi alterius quidem vitæ ſed non tamen niſi externa & corporea; aut ſi præmia etiam excellentiora pœnæve à DEO inferuntur, ille tamen placabilis creditur muneribus, absque animi converſione in melius.

Gentiles ac Turcæ ſcandalisantur ex doctrina Puffendorffii ac Wolffii &c.

4. Fingamus jam aliquem gentilium, Turcarum, Japonum, aut etiam Atheorum (pro quibus heterodoxi Jus naturæ ſcribere profitentur) legere ejusmodi librum, ut Hobbeſii, Thomaſil, Puffendorffii, Wolffii, Heineccii. Nonne ille poterit ita ſecum cogitare: Iſte homo loquitur mihi primum aliqua de DEO; cum tamen mihi non demonſtrat, ſed tantum ait. Ille ipſe contendit, ſecundum *rationem* naturalem *ſolam* non vitam modo, ſed & religionem exigendam eſſe. Rationem autem de DEO cum mihi nullam dederit, nullam etiam de religione aut DEI timore amoreve dedit. Igitur in his quæ ad DEUM ſunt, per ipſum relictus ſum ſoli meæ rationi. Hæc autem ratio DEUM mihi non oſtendit: igitur ignota eſt mihi illius exiſtentia, illius providentia, illius legislatoria vis. Imo Wolffius conceptis verbis docet *jus* naturæ obligare ante DEI voluntatem, & etiamſi concipiatur DEUS non eſſe vel non obligare. Puffendorffius verbis quidem dicit, obligationem oriri ex DEO, rebus tamen idem negat; quia facit anceps, an DEUS præmia pœnasque

que, id eſt vincula nobis injiciat. Quid ſupereſt? omnes dicunt me juſtum eſſe, quamvis Atheum, aut de DEO inſcium, aut ad DEUM non tendentem: juſtum autem eſſe per hoc, ſi ſtudeam conſervare ſocietatem hominum. Quo vero fine conſervem? non metu DEI aut amore, qui nihil præmii juſtitiæ meæ propoſuit, tanquam rem vilem exiſtimans. Sed cur tandem? ut commoda ab hominibus accipiam, incommoda declinem. Quis autem eſt is, qui mihi hæc commoda, hæc incommoda? DEUS eſt, ait Puffendorffius: DEUS, ait Wolffius. Sed verba ſunt iſta: & iſti canes Chriſtiani latrant ſecum pugnantia: alter dixit, à DEO non ſtatui præmia pro ipſius DEI arbitrio, ſed præmia ex hominibus veniunt: nunc dicit, pœnas ab hominibus venientes imperari à DEO, quem tamen DEUM ratio illius & mea non invenit. Hæc adverſantur rationi: ergo in his non invenitur Jus naturæ. Alter dixit, obligationem conſiſtere in eſſentia hominis *, & eam dari ante voluntatem DEI **, igitur dicere debuit, etiam pœnam à DEO non eſſe ſtatutam in naturali jure: & tamen mox dicit contrarium, nempe pœnas à DEO auctore eſſe. *** Hujus ego doctrinam illam ſequar, qua me docet, rationem meam ſequi; doctrinam ejus alteram, qua mihi de DEO quædam inſpergit, quæ non cohærent, miſſam faciam. Video autem hiſce oculis, juſtis nihil aliud præmii *in hac vita* tribui quam injuſtis: imo contra injuſtis potius evenire illa commoda, quæ ſunt finis & felicitas juſtitiæ. Igitur quid ni potius per injuſtitiam properem ad commoda hujus vitæ, per quam injuſtitiam illa commoda plerumque certius & copioſius in hac vita, experientia teſte, obtinentur? Nam de Altera vita nihil docent me iſti Chriſtiani: imo fatentur ipſi, animæ immortalitatem nihil pertinere ad incitamentum juſtitiæ, neque ad finem, ſed finem juſtitiæ eſſe in morte. Equidem (ita perget Turca, Atheus & Tartarus) audivi multa de quodam Evangelio aut Teſtamento, tanquam rerum bonarum, divinarum humanarumque præclariſſimo quodam & antiquiſſimo codice mirabiliter tradito, & de Moiſe ac Chriſto duobus doctoribus ſapientiſſimis. Conſtatque his libris & doctrinis ſapientiſſimos Græcos, potentiſſimos Romanos, barbaras etiam nationes multas ac tota regna ſubjeciſſe ſe, juſtam agnoſcentes hanc doctrinam. Non parum me hæc tanta experientia vellicat, ut cupiam illud teſtamentum evolvere: Forte enim ibi latent, quæ me clarius edoceant? Sed Puffendorffius ecce & Wolffius & aliqui alii ejusdem Chriſti diſcipuli ſunt, ſcientes hoc teſtamentum, dicentesque ſe melius ceteris omnibus diſcipulis hoc ſcire, & ipſam veram ejus ſententiam tenere quaſi ex ipſo ore magiſtri acceptam. Hi dicunt ſe ſcire veram juſtitiam quæ mihi Turcæ, mihi Atheo conveniat, ceteros ante ſe omnes illam ignoraſſe; ceteros imo etiam in hoc turpiter erraſſe, quod exiſtimaverint, in illo teſtamento veram juſtitiam inveniri, quæ mihi Turcæ conveniat, aut qualis deceat ullam gentem quæ non plane bruta ſit & belluina. Prohibent me hi ipſi, ne Jus naturæ ex iſto teſtamento diſcam; neve ex ullo eorum, qui hujus teſtamenti fuerunt periti; neque ex his etiam, qui pro hujus teſtamenti doctrina cruciatus & mortes pertulerunt. Video inſuper, alios Chriſtianos, ex veteribus illis deſcendentes, qui ſe Catholicos dicunt, nunc aſſentiri his, quos ego lego, ut Puffendorffio, Wolffio, Heineccio: video illos Catholicos horum libros avide legere, in diverſas linguas traducere, in ſuis ſcholis explicare publice: video eorum nobilitatem ſuos liberos certatim ad Heineccii ſcholam mittere, ut ibi juſtitiam diſcant, quam ex veterum libris & teſtamento illo hactenus nemo diſcere potuit. Video præterea eorum ſacerdotes nihil contra dicere aut facere; & principes hoc etiam probare. Quid igitur ego Turca & Tartarus faciam? Mihi quidem videntur iſti recentiores vera dicere; quia etiam illi veteres, qui à ſeptendecim amplius ſeculis juſtitiam dicerunt ex illo teſtamento, nunc videntur fateri errorem ſuum; juſtitiam enim non amplius ex illo teſtamento diſcunt, ſed ex his recentioribus. Ergo prope certus ſum, juſtitiam ex illo teſtamento non poſſe condiſci; in hoc enim jam prope omnes & veteres & novi conſentiunt. Rurſus autem excrucior animo, conſiderans, illos re-

Magis ſcandalizantur gentiles ex Catholicis [illegible] Wolffianorum &c. amplectentibus.

* Wolf Philoſophiæ pract. Tom. I. §. 129. 141. &c.

** Idem §. 150.

*** Idem §. 168.

centiores inter ſe vehementer confligere: quorum alius juſtitiam hinc alius illinc repetit, huc alius, alius illuc trahit: & qui ex illis recentiores ſunt tempore, ceteros ajunt à principio erraſſe, ineptosque eſſe. Ex quibus denique ego juſtitiam agnoſcam?

5. En tibi candide lector, rixam animi, quæ ex iſta heterodoxorum doctrina concitari poteſt in illis, quos ſibi diſcipulos fore ore profeſſi ſunt iſti, cum re ipſa Catholicos diſcipulos venentur. Quas rixas deſcripſi ſimplici oratione, qualis eſſe ſolet, cum intus nobis ipſis loquimur. Et hæc omnis ſaburra pleno alveo deſcendit ex illo corrupto fonte. Vid. Cap. V. Them. XV.

Amplius ſcandalum datur juventuti Catholicæ.

6. Quid porro juvenes Chriſtiani ſermocinari intra ſe poſſint, cum viderint, parentes ſuos doctrinam juſti ab antiquo traditam ineptam judicare ideo, quod ex Chriſti teſtamento ſumatur; & relictis propriis ſcholis mitti ſe ad jus naturæ diſcendum ex Puffendorffio, Heineccio &c. quod horum jus aptius creditur ideo, quia Turcis & Tartaris convenjens, & à DEO, Chriſto, immortalitateque animæ, tanquam rebus ad juſtitiam naturæ humanæ inutilibus abſtrahens? ceteraque talia, quæ jam Plato ſuis gentilibus metuebat: nolim ego latius diducere, ne aliis paratragœdiari videar, aliis etiam peſtifera ſuggerere. Nonne jure ego dixerim politico illi viro: das iſt von Hertzen ſchlecht.

Socialitatis principium aptum ad evertendam ſocietatem.

7. Denique doctrina ſocialium potius ad evertendam ſocietatem nata eſt. Si ſinguli ſciunt, ſuum ſocium, filium, ſervum, fœderatum &c. tantum externe promittere fidem, & ex hoc fine ut bona ac commoda temporalia conſequatur; tollitur omnis fiducia, omnis amicitia unicum conſtantis ſocietatis vinculum; quæ amicitia ſemper credita eſt in animorum potius quam corporum ſocietate conſiſtere. Nullaque ſi ſit fortior cauſa, quæ ſocietatis incommoda ſuperet, facile diſſolvetur. Hinc eſt ut figulus figulum oderit, & inter familiares arctiorique ſocietate junctos jurgia ſint promptiora, quam inter exteros. Nihil autem ad ſolvendas amicitias impellit fortius, quam id, quod Sociales pro fine juris ponunt, nempe acquiſitio commodorum hujus vitæ. Vid. Cap. XIII. n. 7. & hoc Cap. XI. Them. XVIII. & alibi ſæpius. Puffendorffius ergo, qui hanc cupiditatem nocendique appetitum probe agnovit, cum eum debuiſſet reſtinguere, accendit vehementius, frænumque non ori ſed caudæ alligavit. Quis enim non appeteret ſummum bonum? præſertim eum cogitare poſſit, Puffendorffium non ſerio præſcripſiſſe media ad illud conſequendum: aut eum fortaſſis in mediis præſcribendis erraſſe, ſicut erravit in aliis: præcipue cum media ab ipſo præſcripta ſæpiſſime fallant, pluresque hanc beatitudinem obtineant fraudibus quam pietate?

8. Unum etiamnum teſtem Gundlingio ſupra n. 1. adducto hic addere opportunum. Vereor enim ne Puffendorffianis etiam ſodalis Gundlingius ſuſpectus ſit, ut qui talem ſententiam non à natura neſcio qua, ſed à Chriſto forte fortuna didicerit, doctrinâ Chriſtianâ in pueritia corruptus. Cicero ergo loquatur Lib. I. de Legibus Cap. XIV. *Tum autem qui non ipſo honeſto movemur ut boni viri ſimus, ſed utilitate aliqua atque fructu, callidi ſumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet niſi teſtem & judicem? Quid in deſerto loco nactus, quem multo auro ſpoliare poſſit imbecillum atque ſolum? Noſter quidem hic natura* (i. e. DEO) *juſtus vir ac bonus etiam colloquetur, juvabit, in viam deducet. Is vero, qui nihil alterius cauſa facit, & metitur ſuis commodis omnia, videtis, credo quid ſit acturus. Quodſi negabit ſe illi vitam erepturum & aurum ablaturum, nunquam ob eam cauſam negabit, quod id naturâ turpe judicet, ſed quod metuat, ne emanet, id eſt, ne malum habeat. O rem dignam, in qua non modo docti, verum etiam agreſtes erubeſcant!*

Tametſi vero hic Cicero motivum abſtinendi proximum videatur conſtituere in amore ſocii, & Puffendorffius illud repetere ex amore reipublicæ, idem tamen eſt Societas & reſpublica. Item Cicero vituperat eum, qui *ſuis* commodis omnia metitur; Puffendorffius quoque eundem vituperat, laudans eum, qui reipublicæ cauſa facit. Tamen nec Puffendorffius diffitetur, reipublicæ commoda non eſſe potens motivum, niſi intelligeret homo, ea quæ rei publicæ proſunt, etiam ſibi prodeſſe. Naturâ ergo, id eſt DEO, honeſtum & ad finem ultimum aptum debet eſſe id quod potenter moveat hominem.

Them. XIX. Peſſime ſibi conſulunt naturaliſtæ, ſi dicunt, ſe non velle, ut homo ad actiones ſuas moveatur à commodis humanis; ſed illum moveri debere ab ipſa natura ſociali, quæ ſit principium legis naturæ, ortæ à DEO.

1. *Qui-*

1. *Quibus Natura jure reſponderit, non eſſe verum, aliunde finem beate vivendi, à ſe principia rei gerendæ peti. Eſſe enim unam rationem, qua & Principia rerum agendarum & ultima bonorum continerentur. - - - Quid autem minus conſentaneum eſt, quam cognito ſummo bono, reverti ad naturam, ut ab ea, petant agendi Principium, id eſt officii? Non enim actionis aut officii ratio impellit ad ea, quæ ſecundum naturam ſunt, appetenda: ſed ab his* (appetendis nimirum, ſive à ſummo bono) *& appetitio & actio commovetur.* Cicero Lib. IV. Fin. cap. 17. Nempe finis movet voluntatem ad agendum, non actio movet finem.

Cicero refutat Puffendorffii Socialitatem.

2. Sic igitur Cicero in Puffendorffendorffium pugnat: Aut agnoſcis Puffendorffi Summum bonum, aut ignoras? Si ignoras; apage à Jure naturæ. Si agnoſcis bonum ſummum, omne officium naturale hominis & omnem obligationem voluntatis ab hoc ſolo ſummo bono repetere debes, nequaquam aliunde. Socialitas enim tua eſt naturæ conditio. Naturæ autem conditio non impellit ad agendum, ſed impellitur à bono appetendo, id eſt à ſummo bono. Igitur debes oſtendere non ſocialitatem, ſed ſummum bonum, quod impellat ad agendum. Commoda autem hujus vitæ impellere quidem poſſunt, ſed non conſtanter; cum infirmos potius moveant, fortioribus autem faſtidio ſint. Si autem aliud agnoſcis bonum ſummum, ab hoc debet moveri voluntas ad officia juris præſtanda, non à quocunque alio. Ex quibus conficitur, Puffendorffium à ratione ſummi boni excluſiſſe DEum; quippe alias hunc, non carnem, ſtatuiſſet pro fine movente totam naturam humanam ad agendum officium. Certe in ſanam rationem ac philoſophiam peccavit, cum principium juris agnovit originem in DEO habere, finem autem repoſuit in ipſo homine: nam ſi juſtitiæ finem repoſuiſſet in DEO, inveniſſet DEum, motorem voluntatis & in hac vita, & etiam poſt hanc vitam. Quam etiam facile inveniſſet, ſi perſpexiſſet, alium eſſe hominis, alium pecudis finem. Vid. Cap. XIII. Them. XII. n. 5.

Puffendorffius parum differens ab Hobbio.

Them. XX. Socialium ſyſtema parum differt à ſyſtemate Hobbii, quod experientia & ſanorum judicia demonſtrarunt eſſe noxium. Imo eſt non nihil deterius.

1. Hobbius enim pro fine Juris naturæ conſtituit conſervationem ſuimet in hac vita; pro mediis aſſignavit omnia ad hunc finem neceſſaria, Puffendorffius autem pro fine conſtituit conſervationem ſui in hac vita, ſic tamen ut aliquando etiam ſocii vita ſit præferenda; item addidit *nudæ* conſervationi *commoda* quædam in hac vita: pro mediis autem conſtituit ea, quæ neceſſaria eſſent, & ipſa illa commoda, in quibus alias finem Juris repoſuerat.

Imo eſt deterior

2. Igitur peccavit primum contra rationem, finem conſtituens in mediis.

3. In hoc etiam pejor eſt, quod Hobbius hominem jubeat eſſe contentum neceſſariis tantum mediis, & nuda conſervatione vitæ: Puffendorffius autem delicatiores facit homines, nec contentos *neceſſariis*, indulget, imo jubet quærere *commoda* hujus vitæ, tanquam finem totius juſtitiæ naturalis.

4. De Hobbio Chumberlandus in ejus confutatione Cap. I. §. XXIX. *Univerſum hoc, cujus incolæ naſcimur, quodque primo ſe offert conſiderandum, innumera nobis ſuppeditat, quæ ad primæ ſuæ cauſæ cognitionem ac honorem animum ſollicitant, &, ſi noſmet ſpectemus, mentium perfectionibus inſerviunt &c. Cum autem hæc ex obſervatione innoteſcant obvia,* * *adeo ut Hobbium latere non poſſet; FACILE QUILIBET CONJICIAT, QUAM OB CAUSAM JURI LEGIBUSQUE NATURÆ FINEM ASSIGNARIT NON AMPLIOREM, QUAM caducæ hujusce vitæ conſervationem: interim ad obtinendum EXIGUUM ADEO FINEM omnia unicuique dedit tamquam neceſſaria. Hic autem tantundem in exceſſu peccavit, quantum ibi in defectu. Nec unquam turpius peccari poteſt à quoquam contra rectam rationem, quam FINEM OPTIMUM NEGLIGENDO, & impoſſibilia pro mediis neceſſariis reputando.* Hæc ille, quæ certa menſura & in commodos hos Socialiſtas Puffendorffiano conveniunt.

Them. XXI. Puffendorffius fatetur, & contendit, legem naturalem ut à DEO cum ſanctione latam non eſſe tantæ poteſtatis, ut hominibus iſta commoda procuret, ſed inſuper vel maxime opus eſſe civitatibus & civilibus legibus atque imperiis. His ipſis autem legibus vim tribuit ex pacto ſeu voluntate Sociorum: finemque rurſus nullum alium conſtituit, quam bona hujus vi-

Puffendorffi agnoſcit dubitare in Juris naturæ ſui.

* Hoc enim dicunt: *non admodum accurata.*

tæ comparanda, mala autem avertenda, quæ abſque ſocietate timeri debebant ex imprudentia partim, partim ex malitia hominum. Vid. Lib. VII. Jur. Nat. Cap. II. §. 5. &c.

Sufficientia ad opus bonum adſcribit viribus humanis.

1. Hæc autem & alia quæ ab Hobbio didicit (quamquam in levioribus ab eo diſcordet) profana ſunt, & rectæ rationi adverſa, quia quieſcunt in re vana & intermedia, cum ratio facile ulteriorem deprehendat. Ad hæc *ſufficientiam* ad opus bonum ac juſtum denique adſcribunt humanis viribus, quæ eſt hæreſis Pelagii, quæ hæreſis ex æquo adverſatur Revelationi ac Rationi.

Ex codice poſſunt diſci fanidet.

2. Legiſſet ſaltem Imperatoris conſtitutionem novellam CIX. prooem. *UNAM nobis eſſe in omni noſtræ reipublicæ & Imperii vita IN DEO SPEM, credimus; ſcientes, quia hæc nobis & animæ & Imperii dat ſalutem: unde & legislationes noſtras inde pendere competit, & in eam reſpicere, & hoc PRINCIPIUM ESSE, ET MEDIUM ET TERMINUM.*

3. Legiſſet idem in Novella VI. proemio. *Nos igitur*, ait Imperator, *maximam habemus ſollicitudinem circa vera DEI dogmata, & circa ſacerdotum honeſtatem, quam illis obtinentibus credimus, quia per eam maxima nobis dona dabuntur à DEO; & ea, quæ ſunt firma habebimus, & ea, quæ nondum hactenus venerunt, acquiremus. Bene autem univerſa geruntur & competenter, ſi rei principium fiat decens & amabile DEO. Hoc autem futurum eſſe credimus, ſi ſacrarum regularum obſervatio cuſtodiatur, quam juſti, & laudandi inſpectores & miniſtri DEI verbi tradiderunt Apoſtoli, ut Sancti Patres cuſtodierunt, & explanaverunt.* Injuria autem afficeret Imperatorem, qui diceret, eum tales leges condere & obſervare velle pro corporum tantum & hujus vitæ commodis, non item pro fine ultimo. Stolidus vero ille eſt, qui diceret, hunc finem rectæ rationi repugnare; quod tamen dicere Puffendorffium eſt neceſſe; quia recta ratio ipſi non poteſt perſuadere præmia à DEO dari præter quam hujus vitæ; neque animam immortalem, neque Chriſti doctrinam admittendam eſſe.

Et ex Platone.

4. Puffendorffius potuiſſet etiam ex Platone veriora de legibus humanis cognoſcere, non ad mortalitatem ordinatis, neque ex mortali derivatis. Plato enim Lib. IV. de Legibus cum ad ipſam civitatem legibus inſtruendam progreditur, ait: *DEum imprimis ad conſtitutionem civitatis invocemus. Qui utinam audiat, exaudiensque propitius & benignus nobis adveniat, una nobiscum civitatem & leges exornaturus. Veniat opto.* Deinde diſputat, eas non eſſe vere reſpublicas, in qua ſunt duæ partes, altera ſerviens, altera dominans. Quodſi tamen civitas vere dicenda ſit, ubi eſt unius partis verum dominium & alterius verum ſervitium, non aliam talem civitatem exiſtere quam civitatem DEI, qui ſolus creaturæ rationalis verus eſt Dominus. Verba Platonis huc refero, interius utique intelligenda ſi ex libro ipſo cum antecedentibus & conſequentibus legantur. *Quæ autem modo nominatæ ſunt, non reſpublicæ, ſed urbium habitationes quædam ſunt, in quibus pars una ſervit alteri dominanti; & à partis dominantis potentia tota nomen accipit gubernatio. OPORTEBAT AUTEM, SI HOC MODO NOMINANDA SIT CIVITAS, DEI IPSIUS NOMINE NUNCUPARI, QUI ILLORUM, QUI MENTIS COMPOTES SUNT, VERUS EST DOMINUS.* Servi autem Finis non eſt ſua commoda quærere; idque quamdiu ſervus eſt, ſed Domini honorem; & Domini cauſa omnia facere. Igitur & quamdiu creatura rationalis poteſt eſſe ſerva veri Domini ſui, nempe DEI, tamdiu illius finis eſt non commodum ſuum (excepta mercede) ſed Domini honor. Serva autem Creatura rationalis poteſt eſſe non tantum in hac, ſed & in altera vita. Sive vero id neget, ſive ajat Puffendorffius, conſequitur certe, creaturam rationalem neque in hac vita neque in altera *pro fine* habere ſuum commodum; ſed tantum aut pro medio ſeu nutrimento in vita hac aut pro mercede, in vita nempe altera.

Vera reſpublica eſt civitas DEI.

5. Plato rem de legibus ulterius explicat fabula. Ubi fabulam non ſumit pro figmento, ſed pro veteri Sermone aut traditione: quod eruditos non latet. *Multo ante habitationes urbium*, ait Plato, *Principatus quidam & Gubernatio ſub Saturno valde felix fuiſſe dicitur; CUJUS IMITATIONEM QUANDAM habet, quæ nunc ab optimatibus gubernatur. Attentius ergo de ipſa, ut videtur, eſt audiendum. FAMA profecto beatæ illius vitæ ad nos uſque pervenit, copioſa ipſam omnia, ſuaque ſponte parata habuiſſe. Cujus rei cauſa fuiſſe hæc TRADITUR. Cum intelligeret Saturnus --- nullam hominis naturam res humanas ita gubernare poſſe, ut, ſi omnibus arbitratu ſuo do-*

Docetur veteri traditione à Platone.

mine-

Google

minetur, laſciviori ſuperbia injuſtitiaque non repleatur: cum hæc, inquam, non ignoraret, non homines, ſed divinioris præſtantiorisque generis dæmones (id eſt Spiritus ſeu Angelos) *civitatibus noſtris reges principeſque præfecit. Quod nos in ovium gregibus aliorumque cicurum armentis facimus:* ,, Non enim
,, bobus boves, nec capris capras præ-
,, ficimus, ſed nos ipſi, genus melius,
,, dominamur. Similiter DEUS homi-
,, nes amans genus dæmonum genere
,, noſtro præſtantius nobis, præfecit,
,, quod ſumma tam ſua quam noſtra
,, facilitate noſtrarum rerum curam ha-
,, bebat, pacemque & pudicitiam, li-
,, bertatem & juſtitiæ copiam præbens,
,, procul à ſeditione, & fœlix homi-
,, num reddebat genus. Hic utique
,, *ſermo veritate uſus* aſſerit, *civitati-*
,, *bus omnibus, quibus non DEus, ſed*
,, *mortalis aliquis dominetur, nullam*
,, *unquam malorum laborumque fore*
,, *quietem*: Sed omni ſtudio *imitari*
,, nos jubet vitam, quæ ſub Saturno
,, fuit, & quantum in nobis eſt, *im-*
,, *mortalitatis*, ipſi obtemperantes, pri-
,, vatim & publice Domos civitates-
,, que gubernare Ipſam *mentis* in qua-
,, libet re diſpenſationem legem nun-
,, cupantes. Nam ſi homo unus aut
,, paucorum aut etiam populi poteſtas
,, voluptati & cupiditati deditum ani-
,, mum habeat, hisque repleri deſide-
,, ret, cumque id minime aſſequatur,
,, inexplebili inextinguibilique ardo-
,, re & inſanabili morbo vexetur, do-
,, minetur autem civitati aut privatis
,, nonnullis, ſtatim ſpretis legibus non
,, eſt, ut modo dicebamus, ſpes ulla
,, ſalutis.

6. Hæc qui rite expenderit, videbit, quantum ſufficientiæ ſit in legibus humanis hominum voluntate & pacto ſtatutis, niſi referantur ad DEum; quamque ſint nullius momenti, quæ Puffendorffius dicto libro VII. Cap. II. admodum verboſe & confuſe pertractat. Videbit etiam, quam propior ſanæ rationi Plato præ Puffendorffio ſit, dum ille DEum Principium & finem facit, hic vero Principium DEum faciens, finem autem *alium* ſtatuens hoc ipſo etiam Principii rationem aufert.

7. Quoque plus in ruborem, ſi fieri poteſt, dentur Sociales illi, qui *licet nomen Chriſtianorum ſibimet impoſuerunt, attamen à Chriſtianorum ſe fide & communione ſeparant*, Novell. 109. procem. proferam & alia gentilis Philoſophi verba paulo poſt locum ſupra exſcriptum. *Sic itaque ad eos* (nempe erectæ primum civitatis colonos) *dicamus. DEUS, ô VIRI, ſicut antiquus quoque ſermo teſtatur, PRINCIPIPIUM, FINEM, ET MEDIA RERUM OMNIUM CONTINENS, recta peragit ſecundum naturam procedens. Hunc ſemper judicium comitatur, eos, qui à divina lege deſciverint, puniens. Cui quidem judicio, quicumque felix futurus eſt, adhærens humilis ſubſequitur atque compoſitus. Qui autem ſuperbia elatus eſt, quod pecunia vel honoribus antecellat, vel corporis forma polleat &c. is penitus à DEO deſeritur. Deſertus autem & alios hujusmodi nactus exultat omnia ſimul perturbans; multisque videtur minime contemnendus: brevi tamen poſtea inculpabili DEI punitus judicio ſeipſum, domum ſuam, civitatemque univerſam evertit. - - - DEUS PROFECTO NOBIS RERUM OMNIUM MAXIME SIT MENSURA, MULTOQUE MAGIS QUAM QUIVIS, UT FERUNT, HOMO. - - - - - Bono quidem viro diis ſacrificare, & cum ipſis conversari, illosque proſequi orationibus alioque cultu divino, PULCHERRIMUM, OPTIMUM, ET COMMODISSIMUM EST AD BEATAM VITAM, IDQUE PRÆ CETERIS EST DECORUM. Malo autem contra contingunt omnia. Impurus autem mali eſt animus, boni autem purus. Fruſtra igitur circa Deos profani laborant, quod oportune faciunt omnes ſancti. Atqui SIGNUM quidem HOC EST, QUO ACIEM DEBEMUS INTENDERE. SAGITTÆ VERO AD ILLUD ET QUASI IPSARUM IMPETUS QUALESNAM DICI POSSUNT, QUÆ RECTISSIMÆ ILLUC FERANTUR? Principio poſt cæleſtium civitatique præſidentium deorum honores:* Addit L. V. de Legibus: *ANIMUM SUUM NEMO HONORAT, QUANDO HANC VITAM SUMMUM BONUM CENSET: IMO TUNC ETIAM VITUPERAT. Nam animo exiſtimanti, OMNIA apud inferos mala eſſe, protinus aſſentitur, neque reſiſtit, docens ipſum atque redarguens, eo quod ignoret, utrum contra quæ apud deos inferos ſunt, omnium bonorum nobis maxima ſint.*

Plato DEum Principium ac finem agnoſcit,

& menſuram rerum omnium

Cultus divinus commodiſſimus ad beatam vitam

Hanc vitam pro fine habens inhonorat animam ſuam.

8. Quan-

Hæc ex ſola ratione didicerat Plato.

8. Quantum hæc Philoſophia tradita non ex revelatione ſancta, ſed, quod Puffendorffius poſtulabat, ex *ſola ratione*, pugnat cum illa Socialium? Plato toti hominum vitæ, omnibusque ejus actionibus velut totidem ſagittis unam metam conſtituit DEum, cum hoc conjunctionem & converſationem ſtatuit commodorum ac beatæ vitæ ſummam: Fœdos dicit, qui hanc vitam ſummum noſtrum bonum dicerent: apud inſeros ſeu mortuos non omnia mala eſſe docet, adeoque etiam non eſſe ibi interitum animæ: imo contra apud mortuos eſſe maxima noſtra bona. Puffendorffius miſer proculcata revelatione ratione etiam ipſa excidit, ut præter hujus vitæ ſumos nihil ipſi in mentem veniat, & ſagittas pro ipſa meta cernat.

Socialium doctrina eſt illuſoria.

Them. XXII. Qui juſtitiam naturalem cum hac vita finit, non poteſt de jure naturæ *Serio* & ex animo docere, ſed illuſorie agit & ſeductorie. Item deſtruit Socialitatis vim.

Wolffii motivum ad juſtitiam nullum eſt.

1. Wolffius aliique docent, ad agendum juſte requiri *motivum*, quod legem cum actione *connectat*. idque recte. Motivum autem actionis naturaliter juſtæ, legem cum ea actione connectens ait eſſe pœnam. Equidem demus ei hoc interim. Quæro autem: quæ poena debet eſſe motivum actionis naturaliter juſtæ? An pœna ab hominibus inferenda? igitur potentes non *poſſunt* agere juſte, quia pœna hujus vitæ eos non movet. Aut Wolffii motivum erit pœna tantum hujus vitæ? Igitur homo moriens non *poteſt* agere juſte, quia pœna cum morte ceſſat, imo mors jamjam imminens avertit pœnam; juſte igitur talis blaſphemabit, mentietur, detrahet, mandabit innocentes occidi, fraudabit pupillos. Experimur autem, homines in fine vitæ plerumque meliores habere ſenſus de juſtitia ſervanda, ubi nullas amplius pœnas *hujus vitæ* timent.

Neque dicas: Wolffius non *unicum* motivum ſtatuit *pœnam*, ſed convenientiam cum natura ſeu intrinſecam bonitatem. Nam Reſp. neque nos vim argumenti in hoc poſuimus, quod Wolffius pœnam ſtatuat pro *unico* motivo; ſed in hoc quod pœnam ſtatuat pro motivo Juſtitiæ in *hac tantum vita:* ut Thema noſtrum loquitur. Quare manet jam, hoc motivum Wolffii inane eſſe. Quam male autem ſufficiat ejusdem Wolffii ſic dicta Bonitas intrinſeca, Cap. XVI. luculentius docebimus. Unde reſtat, *nullum motivum* verum à Wolffio eſſe aſſignatum, conſequenter inane eſſe ejus jus naturæ, & ne quidem cum Ethnicis philoſophis comparabile.

Puffendorffii quoque nullum,

2. Puffendorffius ipſe fere neſcit, quibus motivis excitet hominem ſuum ad agendum juſte. Pronior tamen eſt in partem Wolffio adverſam, nempe homines *moveri* per *commoda*, ſed tantum ab hominibus ſperanda, modo ne à DEO. Verum ita juſte non poteſt agere, qui eſt pauper & ſtatuit in egeſtate manere & in ſervitute, quia non ſperat commoda, niſi talia, quæ vix mercantur hoc nomen. Experimur autem pauperes & qui multa patiuntur, plerumque eſſe juſtiores: juſtiores igitur minus haberent motivorum ad juſtitiæ obſervantiam. Rurſus ſi commoda hujus vitæ tantum movent, nemo in morte poteſt habere motivum juſte agendi v. g. cum ob crimina perpetrata pœnitens eſt & plectitur capite. Vel cum injuſtus moriens divitias male partas jubet reſtitui fraudatis; Quale enim commodum hujus vitæ ſperet ex reſtitutione in morte & ex capitis abſciſſione?

Ejus repugnantia

3. Exemplo rem illuſtremus. Addixit nonnemo ſervitium hero, ſtipulalatus mercedem dignam laboribus, quamquam non definitam. Servit accurate; præter neceſſaria tamen alimenta accipit perparum, idque multis tædiis intermixtum. Servit tamen porro, tum ob fidem, tum ob ſpem recipiendi. Interim calcaneum premit mors. Quid hic ſolatii miſero? At enim herus mercedem dudum promiſſam nunc in ultimo articulo exſolvit totam. Quo mihi hæc merces, Inquit ille, quæ utinam ſoluta fuiſſet, cum me juviſſet; nunc cum non juvat, datur quidem ſed non ſolvitur: morior enim ſine accepta mercede. Ita recte Gundlingius: *Quo mihi illa Philoſophia, illud Jus naturæ, quod moriens relinquere debeo?*

Exemplum.

Pro patria aut ulla virtute mori repugnat Juri naturæ Puffendorffiano.

4. Puffendorffius admittit, hominem ex ipſo *ſocialitatis* principio obligari per leges poſſe, ut ad bellum profectus mortem in pugna ſubeat pro patria. Sed hoc ipſum deſtruitur per aliam ejus ſententiam, finem Juris naturæ eſſe in hac vita, abſtrahendo à duratione vitæ poſt reſolutionem corporis.

Finem juris naturæ intendere vel non intendere, non eſt poſitum in arbitrio humano: quia finis à lege ſtatuitur non à ſubdito legis; homo autem eſt ſubditus legis naturæ, non ejus auctor: igitur neque in ipſius poteſtate eſt finem ſtatuere. Neque eſt in arbitrio licito

ſeu

ſeu indifferenti poſitum, intendere finem à lege ſtatutum: quia tota ratio & vis legis in hoc ipſo conſiſtit, ut ſubditos ad finem à lege ſtatutum dirigat; & ſi lex vel legislator ſubdito indifferentem permitteret finem ſuæ legis præſtitutum, ceſſaret tota legis ratio. Quod de *natura* totius lege præcipue verum eſt,

5. Jam *finis Puffendorffianus* legis naturæ eſt *vita hæc tantum & quidem commoda*. Igitur in nullius hominis poteſtate eſt non intendere vitam & quidem commodam. Igitur nullus poteſt renuntiare vitæ ſuæ, nullus etiam homo poteſt imperare homini, ut vitam perdat, vel etiam incommodam tantum ducat.

6. Quodſi igitur Puffendorffii finis admittendus eſt, rejici debet ipſius Principium Socialitatis; imo ceſſare debet hominum ſocietas. Contra ſi Societas, ut eſt, debet admitti, falſus eſt finis Puffendorffii, & falſo explicatus.

Immortalitas animæ impugnata. 7. Aliter id argumentum proponitur ſic: Nullus propter quodcunque bonum virtutis moralis ſeu naturalis vel in ſe, vel in alio, vel communitatis, debet vel poteſt appetere *omnino non eſſe ſuum*; quia ſecundum Auguſtinum III. de Lib. Arbit. *Non eſſe non poteſt appeti*: nunc autem ſi anima non eſſet immortalis, moriens acciperet *non eſſe* totaliter. Ita Scotus proponit, in IV. Sentent. Diſt. XLIII. Qu II. n. 14.

Scoti reſponſio. 8. Equidem huic argumento reſpondere conatur idem ſubtilis Scotus n. 22. ex Ariſtotele IX. Ethicorum cap. IX. Quod 1. ille, qui mortem pro communitate ſubit, ideo poſſit petere *non eſſe* & totalem ſui deſtructionem; quia per hanc deſtructionem conſequitur ſimpliciter *maximum bonum*, nempe bonum & conſervationem ſocietatis. Et 2. quia ſi vitam in his circumſtantiis ſervaret, *vitioſe* viveret. Debet autem etiam *ipſum eſſe* relinqui, ne vitium contrahas; cum vitium ſit maximum malum.

9. Verum primum illud Ariſtotelicum multa habet incommoda. Nam 1.) neque occumbens, neque jubens occumbere, eſt certus, an ex morte ſequatur illud bonum commune? cum ſæpiſſime etiam poſt innumera occiſorum millia ſit civitati pereundum, ut omnis retro experientia docet. Propter bonum autem per experientiam tam incertum deſtruere bonum certum, non eſt rectum. 2. Falſum eſt, bonum illud, quod ex morte bellatoris ſequeretur, eſſe ſimpliciter maximum bonum communitatis. Nam abſolutum bonum communitatis hoc eſt, ut *tota* communitas ſervetur, ſeu omnes partes ſimul ſumptæ. Per hanc autem mortem non ſervatur tota communitas, ſed neceſſario pars deſtruitur: deſtructio autem partis eſt toti mala naturaliter & quo plures pereunt, hoc majus eſt malum. Igitur id, quod ex tali morte neceſſario ac per ſe ſequitur, potius eſt malum ſimpliciter, quam ſimpliciter bonum, ne dicam bonum maximum, niſi forte ageretur de *ſpecie humana* conſervanda. Nam ſi ſpecies humana conſiſteret v. g. in tribus individuis, eaque ſpecies ſervari *non poſſet*, niſi uno individuo pereunte, videtur neceſſario uni individuo pereundum eſſe. Sed hæc non conveniunt ſocietatibus his civilibus, de quibus Puffendorffio & nobis eſt ſermo. 3. Neque interitus unius membri eſt proprie & abſolute & ex rei natura neceſſarius ad conſervationem civitatis. Sed iſta neceſſitas eſt plane hypothetica & conſequens. Et quidem conſequitur ex malo aliquo aſſumpto. Per ſe neceſſarium eſt, ut Societates inter ſe pacem colant, & nullum individuum deſtruant: ſuppoſito autem, quod velint pacem non ſervare, aut per incommoda aliqua non redimere, id eſt, ſuppoſito aliquo malo demum ſequitur illud alterum malum, ut individua occidenda ſint. Sicut ſuppoſito, quod cives non poſſint à blaſphemiis abſtineri niſi per rogum, neceſſe eſt rogo ferroque deſtruere blaſphemos: 4. Adhæc ambiguum eſt & lubricum illud Ariſtotelis bonum commune. Nam cum duæ civitates bellant, utraque imponit ſuis civibus obligationem mortis, & utraque dicit, moriendum eſſe propter bonum commune. Cum tamen id ſit falſiſſimum. Si enim vere commune bonum quærunt, quærent id quod non alterutri peculiare eſt, *ſed utrique ſocietati* commune. Nunc autem quælibet ſeorſim jubet mortes & deſtructionem individuorum, ex quibus tamen mortibus utraque communitas patitur detrimentum. Adeo falſa ſunt, quæ huic ſocietatis principio à DEO abſtrahenti inædificantur.

10. Alterum, quod de *vitio* ſupra dictum eſt, in Puffendorffii & Ariſtotelis ſententia nihil valet. Nam ſi finis juris naturæ eſt vita hæc commoda, illud ſolum honeſtum ac virtuoſum erit, quod huic fini aptum, ergo vitioſum erit deponere vitam una cum commodis ſuis. Præterea vera virtus debet beatum facere ipſum poſſidentem, & vitium debet fine privare vitioſum: Mors talis non facit beatum morientem; nec fuga mortis infelicem. Multi fugam non vitio-

vitioſam ſed virtuoſam exiſtimarunt, ut ille, qui cecinit: *Vir fugiens iterum pugnabit.*

Them. XXIII. Puffendorffius poteſt eſſe ſuſpectus Deiſmi, aut Naturaliſmi, & videtur admittere quidem utcumque DEUM, ſed revelationem inſuper habere, imo ſupprimere. Vid. Cap. X. Them. VIII. Cap. XIII. Them. IV.

1. Puffendorffius dicit contraria. Utraque non poteſt ſerio dicere; ſed alia ſerio, alia autem dicit tantum ad ſpeciem & fallaciam.

Dicit DEUM auctorem omnium; omnia moderari; illum pœnas ſanxiſſe cum lege naturali, eſſe colendum.

Contra dicit cultum DEI ceſſare cum hac vita. Finem legis naturæ eſſe commoda hujus vitæ; Principium ſive propoſitionem, ex qua *omnia* officia juſti deducantur, eſſe propoſitionem hanc *unicam:* fac quod ad Societatem ſervandam eſt neceſſarium. Denique Immortalitatem animæ dubiam relinquit.

2. Imprimis hæc conciliare ac ſimul ſtare non poſſunt, ut hactenus oſtenſum eſt. Nam ſi DEUS revera eſt prima cauſa & legislator, eſt neceſſario etiam finis ultimus ad quem officia referuntur. Si eſt vere providus, debet pœnas & præmia ſanxiſſe *omnibus* male aut bene factis; quæ tamen non habent locum, ſi juſtitia cum hac vita ceſſat; & ſi nulla alia ſint juſti officia, quam quæ ex hac una ſocialitate deducuntur.

Puffendorffius de divinis loquitur ſimulatorie tantum. 3. Reſtat igitur, ut ex contrariis his moralibus, quæ in uno genere humano ſtare ſimul non poſſunt, Puffendorffius alia ex animo dixerit, alia vero ſimulans. Niſi tertiam viam liberandi Puffendorffii eligamus, nempe, eum imprudentem fuiſſe, & paulum, cum hæc ſcriberet, conſopitum: quod ipſum parum commendaret ejus libros de Jure naturæ.

4. Criteria autem dignoſcendæ ſeriæ doctrinæ ab affectata, ſunt varia; nec poſſumus omnia hic exſequi, cum plura jam hactenus oſtenderimus. Age vero, faciamus periculum in paucis.

Primo. Qui ſerio aliquid docet, is argumenta ſollicite affert, & removet omnia, quæ doctrinæ ſuæ obeſſe poſſunt: contraria autem nude dicit, nullis argumentis, aut plane levibus allatis, nec adverſa removet.

Id facit Puffendorffius. Nam De DEO auctore legis naturæ ac moderatore generis humani loquitur ita perfunctorie, nihil plane probat. Illa autem, nempe Socialitatem tanquam demonſtrationem *omnium* officiorum juſti, & finem in commodis hujus vitæ poſitum, operoſe, & quantum in ipſo eſt, ſubtiliter expendere laborat & ſtabilire, contraria removens & excludens, quod & in lectione ejus libri patet, & nos indicavimus, & in C. P. Schwarz uberius conſpici poteſt.

5. *Secundo.* Qui ſerio totam ſuam doctrinam tradit, ponit talia principia, ut tota doctrina poſſit ex iis deduci, præſertim doctrina magni & maximi momenti, in quo ſita eſt ſalus generis humani.

At à Puffendorffio contra fit. Nam ſi pro primo ejus doctrinæ principio ſumis verum DEUM auctorem humani generis & legis naturæ; ex hoc non poteſt deduci, finem legis in commodis hujus tantum vitæ eſſe; hoc enim repugnat vero DEO, qui omnia propter ſe ſolum tantum agit & inſtituit:

Si vero pro principio ponis Socialitatem humanam; ex hoc principio nullo modo potes provenire ad DEUM neque ut auctorem neque ut finem; neque ad DEI providentiam in ſanciendis præmiis ac pœnis, ut jam multis probatum dedimus.

6. *Tertio.* Qui aliquid concedit, & ſimul concedit alia, quæ indigna ſunt conceſſis, non concedit ea ſerio.

Puffendorffius concedit DEUM; & mox concedit, illum bonis non largiri aliquid ex ſe; aut ſaltem illud in dubio relinquit. Concedit etiam Juſtis pœnas inferri naturaliter à DEO, nempe mortem & privationem omnium commodorum, in quibus repoſitus erat finis juſtitiæ. Puffendorffii enim DEUS mox jubet credere, ſe omnium dominum; mox autem rempublicam & Principes ſui commodi cauſa omnia facere. Puffendorffii DEUS juſtitiæ eſt origo, in fine autem, cum perficiendum eſt opus, deficit, & juſtiſſimos ſine præmio, injuſtiſſimos ſine pœna dimittit. Igitur non ſerio fatetur DEUM.

7. *Quarto.* Servus, qui expreſſum mandatum domini v. g. ſcriptum in tabula ſtudio excludit à regulanda actione ſua & conſervorum; & illos voluntatem domini *ſolum* expiſcari jubet ex ſignis obſcurioribus ac tacitis, is non ſerio procedit in ſervitio, & ſuſpectus eſſe poteſt de intentione ſubvertendi expreſſa heri mandata, aut de iis denegandis.

Puffendorffius plane jubet, & contendit, expreſſum mandatum DEI, etiam à ſe agnitum, à conſervis non eſſe admit-

mittendum ad exquirendam voluntatem DEI. Igitur eſt ſuſpectus de naturaliſmo, ſive de Revelatione negata ſerio, & ad ſpeciem tantum admiſſa.

8. *Quinto.* Qui Naturaliſtas laudat à ſoliditate doctrinæ; qui in multis non bonis eos ſequitur; qui tantum aliqua pauciſſima eorum utcunque refellit; qui ignorantes dicit Naturaliſtarum adverſarios; & qui demum principia ſtatuit Naturaliſtis parum aut nihil meliora; is poteſt, ceteris unà conſideratis, merito eſſe de Naturaliſmo ſuſpectus.

Puffendorffius eadem agit circa Hobbium ſeu Hobbeſium: quem excuſat, laudat, parum refellit, in multis ſequitur; & ut Hobbius principium ſtatuerat amorem ſui ſuper omnia, ita Puffendorffius ſtatuit amorem hujus vitæ ſocialis maximum. Vanus uterque, & oſtendens, de DEO tantum per accidens dixiſſe.

9. *Sexto.* Qui revelationem à jure naturæ excludendam profitetur propter *exteros*, & tamen eam reipſa etiam excludit imo ſupprimit apud eos qui *exteri* non ſunt, & in quibus ceſſat ratio excludendi, nempe non-agnitio; is videtur ſerio revelationem excludere apud *omnes*; & illuſorie tantum de ea qualitercunque admittenda loqui.

Puffendorffius, & alii hoc faciunt: dicunt enim excludendam revelationem propter *gentiles*, quia illi eam non agnoſcunt: & deinde reipſa excludunt illam apud *Chriſtianos*, qui eam agnoſcunt. Itaque revera eam excluſam volunt apud & Ethnicos & Chriſtianos, id eſt apud *omnes*. Suadet etiam Puffendorffius, Principibus, ut quoad religionem ſaltem in illis capitibus quæ inter Catholicos & Varios proteſtantes diſceptantur, deciſionem ipſi faciant *in favorem ſuum ex lumine rationis* &c. Plura harum vid. in C. P. Schwarz. Part. I. Tit. III. Inſtruct. III. §. IV. Igitur videtur ſerio Revelationem negare, atque adeo eſſe naturaliſta.

Puffendorffius jus naturæ ſcripſit hoc fine,

10. *Septimo.* Qui in ſcribendo Jure naturæ, & excludenda Revelatione, & ſtatuendo principio habet alium ſcopum privatum, ad jus naturæ nec facientem nec pertinentem, ſed alterius ordinis; is videtur principia & dogmata ſui Juris naturæ ad aſſequendum illum ſcopum dirigere, ita ut ſerio ſuum ſcopum quærat, illuſorie tantum utatur jure naturæ.

ut Catholicam religionem extirparet.

Puffendorffii ſcopus eſt, ut ipſe fatetur, Catholicæ religionis dogmata evertere, & diſciplinam. Chriſtianam autem Religionem ad Jus naturæ nihil pertinere etiam ipſe docuit. Igitur præfixit ſibi ſcopum ſeorſim, privatum, & à jure naturæ alienum. Videtur ergo huc omnia tela procudiſſe, ut Jus naturæ fingeret tale, quale non conveniret rebus ipſis ſed ſuo perverſo ſcopo. Vid. Cap. XII. Them. II. &c.

11. *Octavo.* Qui jus naturæ ſerio deducit à DEO vero, is non poteſt tam immenſum diſcrimen inter DEI ſervos agnoſcere, ut unis, qui natura æquales ſunt, omnia admittat, omnia blandiatur, ceteros fere deſpiciat. Videatur etiam Cap. XIII. Them. IV.

Puffendorffius aliique ita adulantur Principibus, qui tamen naturâ æque ſervi ſunt, ut jus ipſis faciant etiam in divinis omnia etiam falſa & perverſa audendi. Vid. Capite Superiore Them. VIII. n. 8.

12. Hic demum moneo, Chumberlandum quoque ſimili quodam argumento uſum eſſe ad veram Hobbii mentem detegendam. Cap. I. §. XII. Verum in Hobbio parum laboris fuit, obvia ubique impietas eſt & craſſa. Puffendorffio in Germania & Suecia non licuit eſſe tam crudo. Paulo plus ceruſſæ illinendum larvæ fuit, ne illico exerceretur. Monzambanum propterea diu pernegavit à ſe eſſe ſcriptum. Crudum enim opus erat.

Them. XXIV. Non excuſat Puffendorffium, qui diceret, ab ipſo non ſtatui commoda hujus vitæ pro fine Naturæ humanæ, ſed pro fine tantum, ob quem obtinendum civitates primitus inſtitutæ ſunt. Sive primos civitatum inſtitutores ad inſtituendas has non fuiſſe motos religione aut conjunctione cum DEO obtinenda, ſed motos fuiſſe avertendis injuriis humanis & procurandis commodis humanis. Idque hinc apparere, quod religio fuerit ante civitates, & quod potuiſſet religio etiam ſubſiſtere ſine civitatibus; cum tamen ſine his civitatibus non poſſint conſiſtere commoda illa humana, nec injuriæ averti. Excuſatio Puffendorffii de commodis vitæ, ut fine Juris naturæ.

1. In hac doctrina etiam ſibi plaudit Puffendorffius in libello de Habitu Religionis Chriſt. §. 5. & alibi ſæpe. Ubi & alias ratiunculas addit. Ut (a quia religio æque in parvo ac magno cœtu poſſit exerceri. (b Quia injuriæ humanæ increbreſcentes non ſpectabant ad religionem pervertendam; unde civitates non inſtitutæ ſint ad injurias religionis avertendas. (c Quia ſocietas hominum per ſe non facit ad DEI cultum. (d Quia ante civitates inſtitutas vixerunt Patresfamilias pietatis laude celebres. An civitates inſtitutæ propter religionem?

De ſacto eſt incertum.

2. In univerſum autem Reſpondeo nihil his juvari Puſſendorſſium aliosve Sociales. Nam quid inſtitutores reipſa permoverit ad inſtituendas civitates, res eſt ſacti, & difficilis, ut ajunt ICti, probationis; pauciſſima enim reſtant documenta hiſtorica antiquitatis illius remotiſſimæ.

Tamen certius, Platone doctore,

3. Imo ex iis, quæ reſtant, contra Puſſendorſſium eſt pronuntiandum. Platoni in inſtituenda republica & legibus eidem ferendis ultimus ac verus finis eſt DEI amor & conjunctio, ut ſupra Them. XXII. & Them. XVII. demonſtravimus, potuiſſemusque demonſtrare ex Stobæi legislatoribus, & aliis Ethnicis. Hebraicæ civitatis inſtitutio ſic facta eſt, ut inde ab Abrahamo promiſſis quidem temporalibus allicerentur infirmi illi, principalis tamen finis ſemper conſtitueretur in cultu veri DEI. Hinc quoties Judæi ab hoc defecerunt, ſubtraxit DEUS etiam illa commoda, ut manifeſte intelligerent, commoda non propter ſe ipſa promiſſa eſſe, ſed propter cultum DEI. Legatur Liber Judicum.

Stobæo,

Abrahamo,

4. Deinde quod populi præcipue ſpectant in conſervanda re publica, idem eos ſpectaſſe in conſtituenda, prope certum eſt. Idem enim ſolet eſſe Philoſophis principium conſtituendi, quod conſervandi, cum conſervatio non ſit niſi continuata productio. Jam vero in conſervanda republica ante omnia ſervare ſacra ſoliti ſunt populi, Ita ut ſacris deletis deleta & diſſipata etiam civitas exiſtimaretur, ſervatis porro iis ſervata etiam hæc. Æneas Troja incenſa ignem ſacrum & Penates In Italiam transſerens ſolum quidem patrium amiſiſſe ſibi viſus eſt, at non civitatem. Et Virgilius non fuit ita ignarus ſenſus communis populorum, ut talia in poëmate ſuo poneret, ſi vel dubitare potuiſſet, riſum In ſe oriturum, talia dicentem. Romani cum à Gallis teneretur eorum & regio & urbs, patriam civitatem ſervaſſe ſibi viſi ſunt non tam quod arci Torpejæ inſiſterent, quam quod ſacrum Veſtæ ignem in eam transtuliſſent. Apud Gentiles non tam commune forum, quam qui communia ſacra haberent ejusdem civitatis reputabanrur participes. Gentiles à gentilibus bello non religionis ſed agri cauſa petiti, tamen non pro agris ſed pro ſacris præcipue certandum agnoverunt, pro *aris* & *focis*; cum in contutanda republica plus ſpectentur aræ, quam foci. Quo pertinet longior ſed plana Plutarchi hominis ethnici ſententia in Lib. *adverſus Colotem*, ante finem. *DEUS quidem, ut & antiquitus traditum eſt, principium, medium, FINEMQUE TENENS OMNIUM RERUM, rectam lineam conficit ſecundum naturam incedens. Hunc ſequitur juſtitia, vindex eorum, qui à divina deſciſcunt lege. Hæc enim qui tanquam fabulam contemnunt, & circa ventrem felicitati locum ſtatuunt, reliquiique voluptati parandæ ſervientibus laboribus; iis lege opus eſt, metu, verbere, ac rege vel principe jus in manibus habente, ne proximum quisque quemque devoret præ gulæ ſtudio impietate efferato. Talis quippe brutorum eſt vita, quæ nihil voluptate pulcrius norunt, neque juſtitiam deorum agnoscunt. - - - Itaque ſapiens Epicurus, qui dicat, omnia pulcra, ſapientià, & ſubtilia animi inventa propter voluptatem carnis, ſpesque eò pertinentes* (ideſt vitæ hujus cum corpore finiendæ) *eſſe conſtituta. - - - Atqui in legum conſtitutione primum eſt & maximum de diis opinio. Quamobrem & Lycurgus Lacedæmonios, & Numa Romanos, & Jon antiquus Athenienſes, & Deucalio Græcos fere univerſos diis conſecraverunt, votis, ſacramentis, vaticiniis, omnibusque eos ob ſpem ac metum diis deditos obnoxiosque reddentes. Et ſi terras obeas, invenire poſſis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numiſmate carentes, gymnaſiorum & theatrorum neſcias: urbem templis diisque carentem, quæ precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum cauſa ſacrificet, non mala ſacris avertere nitatur, nemo unquam vidit. Sed facilius urbem condi ſine ſolo poſſe puto, quam opinione de diis penitus ſublata CIVITATEM COIRE AUT CONSTARE.*

Virgilio,

Romani,

Gentilibus in univerſum veteribus,

Plutarcho,

Lycurgo, Numa, Athenienſibus, Deucalione,

De Jure debuit propter religionem civitas inſtitui.

5. Hactenus de quæſtione ſacti, an ob religionis motivum coierint civitates? Nunc de quæſtione Juris, qualem finem debuerint habere inſtitutores civitatum. Variæ certant opiniones de fine proximo legum, in quo non liceret conquieſcere, de fine autem ultimo naturæ, in quo ſit quieſcendum nulla poteſt eſſe diſceptatio. Qui enim inſtitueret civitatem ob hoc duntaxat, ut in hac vita & quamdiu corpus durat, tranquilli & ſaturati conquieſcamus, ille ſine dubio Epicureus eſt, & à ſcopo toto cælo aberraret, quemadmodum Puſſendorſſius: nec aliud inſtituit quam ſtabulum equorum bene paſtorum & ad ſtivam aut arenam probe inſtitutorum. Quod ne cauſentur Puſſendorſſiani ex ſacris tantum nos literis didiciſſe, Ciceronem audiant leges pro inſtituenda republica ſcribentem

quod probat Cicero.

Lib.

Lib. I. cap. XIII. *Ad res publicas firmandas, & ad ſtabiliendas vires, SANANDOS POPULOS, omnis noſtra pergit oratio. Quocirca vereor committere, ut non bene proviſa, & diligenter explorata principia ponantur: nec tamen ut omnibus probentur (nam id fieri non poteſt) ſed ut iis qui omnia recta atque honeſta per ſe expetenda duxerunt, & aut nihil omnino in bonis numerandum, niſi quod per ſe ipſum laudabile eſſet; aut certe nullum habendum magnum bonum, niſi quod vere laudari ſua ſponte poſſet.*

Ad *SANANDOS* populos civitates ſunt inſtituendæ. Quæ autem huc medicina facit? Non *ſocietas*; quæ æque facile inficit ac ſanat. Non Lex; alias omnes, qui legem habent, ſani forent; & in corruptiſſima republica plurimæ leges. Non *pœna*; quas qui peſſimi ſunt & fortiſſimi in malo, non ferunt. Non *judicia*; de quorum iniquitate ubique magna querela; & de internis (at hic latet ulcus) non judicat prætor. Non *commoda hujus vitæ* ex legis obſervantia relata; quippe quæ frequentius deſunt, nec acquiſita ſatiant, & indigna ſunt præmia tanta contentione animi, & animo etiam ſano tentationem & illicium ad morbos ſuſcitant. Non *omnia humana externa* ſanant populos, quia animus ſolis externis non ligatur, non curatur. Vid. Them. XVIII. hoc capite. *Solus* eſt *DEUS* qui ſanare eſt potens, qui vere eſt bonus, vere laudabilis, vere honeſtus finis: ad quem Auguſtinus: *Da quod jubes, & jube quod vis.* Cetera omnia quod habent boni, ab eo tantum ſummo bono habent, ita tamen ut ab illo avelli non debeant, cum avulſa nihil boni habeant.

Ad hæc modernæ ſocietates non poſſunt conſiſtere ſi earum finis ſunt commoda hujus vitæ: nemini enim civi poterit perſuaderi, ut finem iſtum à ſe projiciat, vitamque ipſam una cum omnibus commodis profundat. Imo ſic profundens læderet jus naturæ; cum quidquid contra finem juris naturæ fit, peccatum ſit. Unde merito Leibnitius Philoſophos ait hæc talia pulcre quidem præcipere magis quam ſolide demonſtrare. *Ut vero univerſali demonſtratione conficiatur, omne honeſtum eſſe utile & omne turpe damnoſum, aſſumenda eſt immortalitas animæ & rector univerſi DEUS. Ita fit, ut omnes in civitate perfectiſſima vivere intelligamur ſub Monarcha, qui nec ob ſapientiam falli, nec ob potentiam vitari poteſt; idemque tam amabilis eſt, ut felicitas ſit tali domino ſervire. Huic igitur qui animam impendit, Chriſto docente, eam lucratur. Hujus potentia providentiaque efficitur, ut omne jus in factum tranſeat, ut nemo lædatur niſi à ſeipſo, ut nihil recte geſtum ſine præmio ſit, nullum peccatum ſine pœna. - - - - Ex hac conſideratione fit, ut JUSTITIA UNIVERSALIS appelletur, & omnes alias virtutes comprehendat; quæ enim alioqui alterius non intereſſe viderentur (veluti ne noſtro corpore aut noſtris rebus abutamur) etiam extra leges humanas naturali jure, ideſt æternis divinæ monarchiæ legibus vetantur, cum nos noſtraque DEO debeantur:* & ad hunc ſolum finem extent, ſicut ex hoc ſolum principio venerunt. Ita Leibnitius in Præfat. Codicis Jur. Gent, Diplomatici.

6. Ad Puffendorffii rationes ſeorſim reſpondendum. *Religio fuit ante civitates: ergo religio non fuit finis inſtituendi civitates?* ℞. 1. Commoda vitæ & tranquillitas etiam ipſa fuerunt ante civitates: ergo propter commoda non fuerunt inſtituendæ civitates. ℞. 2. Imo tranquillitas fuit antea major, & pro paucis commodis civitatum multa ſucceſſere incommoda. Vid. Them. XIV. &c. Sophiſmata Puffendorffii.

7. *Commoda ait, vitæ non poſſunt conſiſtere, niſi civitates inſtituantur: ergo commoda ſunt finis civitatum inſtituendarum.*

℞. 1. Priorem propoſitionem eſſe de communi ſenſu falſam. Ab omnibus laudatur ætas aurea, qua civitates nullæ fuerunt, tanquam multis modis commodior hac noſtra ætate tot civitatibus impedita.

℞. 2. Mala eſt etiam conſecutio, quod probo ex ſimili. Sine civitatibus non darentur mœnia, non curiæ, non magiſtratus communes, non tabulæ legum communium, non Principes & reges potentes & ſplendidi: ergo civitatum inſtituendarum finis ſunt reges & eorum iſte ſplendor? aut ædes & mœnia? Vix hoc ſomniaverit Endimion.

℞. 3. Argumenti futilitas alia intorſione oſtendi poteſt. Sine civitatibus non darentur carceres, furcæ, rogi, non inobedientia ſubditorum in magiſtratus, non iniquitas judicum, non oppreſſio pauperum per reges, non Tyrannis: Ergo carceres, iniquitas, tyrannis ſunt finis inſtituendarum civitatum?

℞. Denique 4. Totam orationem Puffendorffii vitioſam eſſe. Nam ſupponit civitatum alium finem eſſe quam homi-

hominum: ideo arguit, homines novis mediis electis novum etiam ſibi finem ſtatuiſſe; quod eſſe ſalſum ſupra didicimus ex Auguſtino Them. XIV. num. 5. Et ratio communis dictat, finem ultimum civitatum eſſe proprie convenientem naturæ humanæ; quod uno ore Philoſophi gentiles confitentur. Naturæ autem homini non proprie conveniens eſt finis in commodis hujus vitæ locatus, uti ampliſſime probavimus: igitur nec civitatis finis. Et rurſus non agnovit Puffendorffius, tam Civitates quam commoda per eam parta eſſe *media tantum* ad talem finem qui proprie humanæ naturæ convenit; aliàs qui in his commodis conquieſceret, ſatisfeciſſet toti naturæ hominis. Unde intelligas, imperite ratiocinari Puffendorffium.

8. At enim pergit Puffendorffius *religio & DEI honor æque poteſt in parvo ac in magno cætu conſiſtere: ergo civitates ſive magni cætus non ſunt inſtituti propter finem divinum & religionem.*

℞. 1. Antecedens itidem eſſe ſalſum. Nam doctrina vera de DEO melius propagatur ſeu conſervatur per majores cœtus. Niſi turris Babel tam cito diſperſiſſet illum magnum cœtum & in multos minores diviſiſſet, non fuiſſent tot fabulæ aſſutæ veris traditionibus. Si Judæi manſiſſent ſemper civitas, non ita variata fuiſſet eorum adhuc doctrina. Si Germania eſſet civitas perfecta, non plurium civitatum fœdus fere tantum (quamquam hic cum Juris publici noſtri conſultis nullum mihi bellum) aut nunquam in hæreſes diffluxiſſet; aut citius rediiſſet ad unum, quemadmodum in Francia rediit. Quantum conferant ad gloriam DEI cœtus majores in veram divinam doctrinam conſentientes multis poſſem argumentis declarare: quæ tamen attentis facile occurrunt. His ego ſuperſedeo. Chriſti autem exemplum jubeo conſiderare, qui ovile ſuum non parvum ſed omnem terrarum orbem complexurum prædixit, utque ad illud pertraherentur omnes gentes, non unum ſed multos legatos dimiſit.

℞. 2. Iniquus generi humano eſt & carnem ſapit Puffendorffius. Societates majores agnoſcit pulcre poſſe proficere ad bona corporibus ac ſenſibus procuranda, ad animorum autem elegantiam, virtutem & beatitudinem nihil amplius conferre, quam quantum quiſque ſe ſolo efficeret. An homines in civitatem coëuntes nonniſi corporibus coëunt, animos ad mare Creticum interim ablegant? Quodſi ſecum ferunt animos, otioſos non ferunt; aut illis ſociandis non nullum finem habent; aut ſocietas non debet nihil ad animorum cultum conferre.

℞. 3. Rurſus etiam conſecutionem Puffendorffianam eſſe vitioſam, & huic ſimilem: Scientia æque poteſt doceri in parva ac in magna ſchola: Ergo Academiæ ſeu magnæ ſcholæ non fuerunt inſtitutæ propter ſcientias tanquam finem. Talaque multa poſſunt huic dialectico ſolvenda objici.

Puffendorffio religio videtur incommodum vitæ.

℞. 4. Puffendorffius nunquam dimittit illud ſuum *grande falſum*, nempe commoda hujus vitæ eſſe id quod naturæ humanæ proprie conveniens ſit. Et videtur Religionem pro incommodo habere. Si enim Religio commodum eſt, & ſi civitas propter omnia commoda inſtituitur, inſtituenda eſt etiam propter religionem, nec poteſt niſi injuriâ & imperite ſimpliciter dici: Civitatis finis *non eſt* religio; ſed ſaltem dici deberet; non eſt *totus finis*, aut ſolus.

9. Ait Puffendorffius *Injuriæ hominum malorum ante civitates conſtitutas graſſantes non tendebant ad religionem lædendam, ſed ad pecuniam & commoda cetera auferenda, & turbandam quietem. Ergo inſtituendarum civitatum finis non fuit religio aut DEus, ſed commoda ſervanda.*

℞. 1. Antecedens eſt facti. Et Puffendorffio non erit facile, illud comprobatum dare. Hiſtoriæ antiquæ miraculi inſtar habent, ſi quis victor alterius populi ejusdem populi ſacra illæſa intactaque reliquit, ſeu eadem eſſent ſeu differrent à cultu victoris: unde colligas, ordinarie ſacra non fuiſſe intacta. Notus eſt Cambyſes ſacra Ægyptiorum evertens cum ſacerdotibus. In Romanis autem hoc pro ingenioſo invento & arte politica fuit habitum, quod devictis relinquerent ſacra; quæ tamen indirecte & occultiore quadam arte aboleverunt, nempe populorum diis nomina deorum apud Romaoos recepta imponentes, ut Mercurii, Jovis; deinde Romam transferendo gentium variarum ſacra, ut gentes pro Roma quaſi pro ſuis aris certarent; denique Romani imperii divinitatem commenti ſunt, eique templa in provinciis erexerunt, ut populi Romam non tantum dominam ſed & deam ſeu bonam ſibi ſeu malam colerent, aut amore aut metu. Ex quibus falſum apparet, religionem antiquitus non fuiſſe injuriis homi-

hominum petitam. Tametſi forte *ſolius* religionis cauſa raro pugnatum fuerit, niſi bello Græcorum ſacro & paucis aliis.

℞. 2. Jam iterum ſophiſtica Puffendorffii collectio eſt, & huic ſimilis: Antequam civitates fierent, homines mali non inſidiati ſunt aliorum artibus, ſcientiis, prudentiæ, temperantiæ, Juſtitiæ, fortitudini, amicitiæ, concordiæ, caritati, benevolentiæ, ceteriſque animi bonis auferendis, ſed tantum auferendis pecuniis & exterioribus illis Puffendorffianis bonis: Ergo inſtituendarum civitatum finis non fuit temperantia, concordia, caritas, juſtitia, prudentia?

Fons ſophiſmatum Puffendorffii.

℞. 3. Omnia adhuc dicta Puffendorffii ſophiſmata nituntur falſa ſuppoſita *Majore*, quam Dialectici vocant, propoſitione, quæ eſt hæc: *Quidquid ſine altero poteſt eſſe, illud non eſt finis hujus alterius.* Hoc autem tam eſt falſum quam quod falſiſſimum, quacunque ex parte illud ſpectes. Nam eſſe ſine altero eſt, per ſe non referri ad aliud: eſſe autem finem, per ſe non dicit relationem ad alterum, ſed potius alterius relationem ad hoc. Unde manifeſtum eſt, in illa *majore* propoſitione prædicatum & ſubjectum non eſſe idem ſeu non conjungi: ideoque propoſitionem eſſe falſam. Quod clarius apparet in aliis propoſitionibus ſimilibus: v. g. Quidquid per ſe non refertur ad alterum, ad illud non poteſt aut non debet alterum referri: DEUS per ſe non refertur ad alterum: Igitur alterum non poteſt aut debet referri ad DEUM. Quam belle! Sumamus exemplum facilius ad captum Puffendorffii, qui videtur in Philoſophicis minus exercitatus fuiſſe, quam ut ratiocinii vim perciperet; aut, ſi percepit, mala fide egit. v. g. Sapor conſiſtens ſine altero non poteſt eſſe finis adhibendi hujus alterius: At ſapor panis conſiſtit ſine cymino: Igitur ſapor panis non poteſt eſſe finis adhibendi cymini. Homines ſine civitatibus defenderunt ſe à furtis & injuriis vicinorum: ergo civitates non ſunt inſtitutæ ad avertendas injurias. Homines ſine obſervantia legum poſitivarum adepti ſunt vitæ commoda: ergo civitatum inſtituendarum finis non fuit, obtinere vitæ commoda per obſervantiam legum poſitivarum. Quæ omnia Puffendorffio devoranda ſunt, ab ipſomet intrita.

Homines item ante civitates fuerunt juſti, fortes, temperantes, prudentes, ſociales, benefici, boni, ſapientes, in hac vita tranquilli ac feliciores: Ergo neque propter virtutes, neque propter bonum, neque propter tranquillitatem inſtitutæ ſunt civitates. Propter quid ergo tandem fuerunt inſtitutæ?

Alius fons ſophiſmatum.

℞. 4. Præterea aliud ſophiſma latet in conſequente Puffendorffii, quia mutat ſtatum prædicati. Bene diceret ſic: DEUS ejusque gloria non per ſe refertur ad civitates: Ergo non fuiſſet neceſſe DEO, inſtituere civitates. Male autem infert: Ergo civitates non *fuerunt* inſtitutæ: aut: non fuit neceſſe, civitates, ſiquæ inſtituerentur, inſtitutas referre ad DEUM.

Aliaque ſophiſmata plura ſpargit Puffendorffius & hic & omnibus locis, ubi vel parum ratiocinari inſtituit. Tædetque jam ſtribliginibus iſtis detergendis porro immorari: Ergo paucis expediam.

10. Rurſus Puffendorffius cavillatur ſic: *Societas hominum per ſe non facit ad DEI cultum: Ergo civitatum finis non eſt cultus DEI.*

Reſpondeo. Antecedens eſſe falſum. Humanæ enim naturæ finis eſt proſecutio DEI, ut conjungendi. At ſocietatis humanæ idem neceſſario eſt finis, qui eſt naturæ humanæ. Igitur ſocietatis humanæ finis eſt proſecutio DEI. Quodſi vero humanæ naturæ ac ſocietatis finis DEus eſt, ſocietas humana per ſe facit ad cultum DEI, ſicut ad eum per ſe facit humana natura.

Denique argutatur Puffendorffius: *Ante inſtitutas civitates fuerunt homines inſigniter religioſi: Ergo non fuere inſtitutæ civitates propter religionem.*

Reſpondeo primo. Siquis hoc Puffendorffio negaret, neſcio an aliunde quam ex revelatione & ſacra ſcriptura probaret. Quodſi jam ſacra ſcriptura Puffendorffio valet ad oppugnanda juris naturæ dogmata & religionem; quidni valeat ad ea demonſtranda & propugnanda?

Reſpondeo ſecundo retorquendo telum: Ante civitates fuere inſignia commoda humanæ vitæ, quæ per traditionem antiquiſſimam meruerunt nomen Aureæ ætatis. Ergo civitates non fuerunt inſtitutæ ob commoda humanæ vitæ, & Puffendorffius ſuummet ædificium diruit. Fuit ante civitates pax, juſtitia, amor ſocialis. Ante Romam fuit Romulus cum ſociis: ergo Roma non fuit condita propter Romulum & Socios.

Them.

Chriſtus correxit alias doctr. nas, & hanc Puffendorffi ſeu Epicuri.

Them. XXV. Si per impoſſibile fingamus, revera hanc aliquando fuiſſe legem naturæ, ut homo præſentis tantum vitæ commoda per ſocietatem quæreret; aut ſi fingamus, aliquando in genere humano pro vera habitam fuiſſe hanc doctrinam, quod finis juris naturæ ſint commoda hujus tantum vitæ; tamen nunc illa doctrina non poteſt haberi pro vera Juris naturæ doctrina, ſed eſſet correcta per Chriſtum, ſicut ille error Judæorum de libello repudii, aut ille de odio & vindicta inimicorum, aut ille latiſſimus de idolis & oraculis: quæ modo nefas eſt docere eſſe juris naturæ.

Chriſtus multo evidentius docuit, beatitudinem in commodis hujus vitæ non eſſe ſitam, quam docuerit, idola non adoranda, vindictam non quærendam. Si ergo certum eſt, doctrinas illas jam nefandas & juris naturæ repugnantes habendas, multo eſt verius, Puffendorffii doctrinam nefandam eſſe & juri naturæ repugnantem, maxime cum honeſtior mundus ſemper etiam contraria eidem ſenſerit.

An Scotus faveat Puffendorffio, de Præmiis & pœnis;

Them. XXVII. Neque Scotus pro Puffendorffio facit, qui in lib. IV Sententiar. Quæſt. II. n. 27. dicit: *Non apparet per rationem naturalem, quod eſt unus rector hominum ſecundum leges juſtitiæ retributivæ & punitivæ.* Et hinc Scotus ibidem ait, non eſſe pro immortalitate animæ vitaque futura *demonſtrativum* argumentum iſtud: DEus eſt juſtus: ſed in hac vita virtuoſi majores patiuntur pœnas quam vitioſi, per DEum: Ergo DEI juſtitia in hac vita non expletur: igitur reſtat altera vita.

Ceterum nobis debet ſufficere (quidquid ſit de ſubtili ſcientia, quæ inflat) ab Innocentio XI. PP. Damnatam eſſe hanc propoſitionem: *Non niſi fides unius DEI neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.*

Scotus explicatur.

Nam 1. Commentator Scoti fatetur, hanc reſponſionem Scoti diſplicere Cano. & aliis. Addit tamen, facilem eſſe concordiam, quia Scotus aliter ſumit demonſtrationem, aliter Canus. Sumit enim Scotus demonſtrationem in rigore, prout de ea egit Philoſophus in libro Poſteriorum, ut eſt per cauſam & effectum neceſſaria & præciſa. Sive: hæc propoſitio: *DEus eſt retributor*, non eſt lumine naturali nota *ex terminis*; quales tamen debent eſſe propoſitiones, ex quibus immediate deducitur concluſio *metaphyſica demonſtrationis.* Notum autem ex terminis apud philoſophos illud eſt, cui aſſentiri intellectus neceſſitatur ſtatim, ut termini ſeu Ideæ illam rem explicantes rite apprehenſi fuerint. e. g. propoſitio hæc: totum eſt majus ſua parte, vel tria plus ſunt quam Duo.

Puffendorffii ſenſus de pœnis DEI.

2. Equidem tali modo non eſt evidens illa propoſitio, *DEUS eſt retributor.* Ex hoc tamen non ſequitur, illam non eſſe lumine naturæ notam: aut non eſſe certiſſimam. Præſertim Puffendorffius per hoc nihil juvatur: nam illi hæc propoſitio de DEO retributore in genere certa eſt & quidem lumine naturæ, adeo, ut ab ea totam vim legis naturæ pendere dicat; quamvis id extra ſua principia deduxerit, ut Cap. XIII. docebimus Th. IV. Et, certo agnito retributore, duo tantum dubitat Puffendorffius 1. An DEus præter pœnas malorum etiam conſtituerint præmia bonorum? 2. An pœnæ etiam in altera vita infligantur? Ergo Puffendorffius propoſitione illa ſemel tanquam naturaliter certa admiſſa, debet omnia admittere, quæ ex ea legitime inferuntur, ſeu quæ in ea continentur: & debet negare, quæ ei repugnant. Illa autem duo, de quibus dubitat, niſi admittantur, repugnat hoc conceſſæ propoſitioni priori. Nam ſi DEus aliquod malum, in hac vita impunitum, non punit etiam in altera, verum erit dicere, illum non eſſe retributorem. Ex Puffendorffii autem ſententia ſequitur, malum in hac vita impunitum, in altera etiam non puniri. Ergo ex Puffendorffii ſententia ſequitur, *DEum non eſſe retributorem* omnium, cum tamen antea conceſſerit, *DEUM eſſe retributorem omnium.*

An ipſum peccatum ſit pœna peccati;

3. Neque Puffendorffium juvat dicentem, opponi poſſe: ipſum peccatum eſſe pœnam peccati. Nam *primo* non omnia, quæ opponuntur, ſtatim faciunt incertam propoſitionem; cum aliquis fortaſſe etiam contra hanc inveniat, quod opponat: Totum eſt majus ſua parte. *Secundo.* Hoc oppoſitum generice ſumptum longe eſt incertiſſimum, & non poteſt probari aliquo fortiore argumento. *Tertio.* Plato alicubi advertit, impiis mortem etiam præmium fore, ſi nulla peccatis ſtatuta ſit pœna, præter ipſum peccatum. Nam liberarentur per mortem à peccatis tanquam pœnis: deinde liberarentur etiam à metu aliarum pœnarum, quas tam ab hominibus, quam ab altiore Domino exſpectare poterant. *Quarto* ſequeretur, probabile eſſe, malis etiam præmia à DEO retributore conſtituta eſſe; quia mali non tantum peccatum commiſerunt, quod portant tanquam pœnam, in hac ſententia; ſed inſuper illi plerumque

per

per peccata obtinent commoda hujus vitæ, quæ ſola eſt beatitudo, ſolaque præmia, quæ à DEO ſecundum Puffendorffium tribuuntur. Ut adeo ex hac abſurda & Epicuræa ſententia ſequatur, DEum nunquam & nullo modo retributorem eſſe, ſed potius injuſtum aut cæcum. Nam ut peccatum ſibi ipſi pœna ſit, non opus eſt DEO retributore; cum homo qui peccatum fecit, hoc ipſo fecerit ipſe ſuam pœnam; & per hoc ipſum peccatum ſibi obtineat etiam commoda, quæ ſola ſunt beatitudo naturæ humanæ ſecundum iſtos. Vid. Lokius Lib. II. C. XXVIII.

4. Ad ultimum negari etiam poteſt demonſtrationis veritatem aut certitudinem tantum pendere à propoſitionibus, ſic, ut numero 10. dictum erat, notis. Ex hoc enim principio: omne triangulum æquivalet duobus angulis rectis, Mathematici faciunt demonſtrationes æque certas ac ex illo: totum eſt majus ſua parte. Cum tamen illud de triangulis fortaſſe non poſſit demonſtrari niſi per contingentia, & non ſit per ſe notum.

5. Quid quod ab aliis Philoſophis totum Ariſtotelicum ædificium demonſtrationum per *cauſas* & *effectus neceſſarios*, arenoſum judicetur. Quamcunque enim cauſam aut effectum afferas nulla erit adeo notorie neceſſaria, ut non aut hæſitare poſſis, aut ulterius doceri velle. Præterea non placet multis, ea demonſtrata cenſeri, quæ ex *Univerſalibus* inferuntur, non item quæ ex particularibus; Quippe videtur univerſalium ſcientia prius naſci ex ſcientia particularium, quam contra. Sed hæc jam non ſunt hujus loci ad aliam philoſophiam ſpectant. Conſuli tamen poteſt *Lokius*. Lib. III. Cap. VI.

6. Si veritates iſtas morales neceſſarium eſſet demonſtrare per talia lumina naturæ, quæ evidentia ſunt ad prædictum modum metaphyſicum Ariſtotelis & Scoti, ſtatim ex ipſis terminis, nullam poſſumus admittere legem naturalem, nullam humanam, nullum peccatum, nullam virtutem, nullam beatitudinem, nullum Principium morale, nullum finem. Vid. Cap. V. Th. VIII. XI. &c.

Hæc tractatio non eſt longenimis.

Them. XXVII. Non eſt nimis prolixa pertractatio hujus in fine civitatum conſtituendo erroris: ſed eſt adhuc imperfecta & cur?

Quia hic error eſt fons multorum

1. Hic enim error, & præterea frigida Puffendorffii de DEO locutio, & religionis abſtractio ſunt fontes turbidi, è quibus omne reliquum cœnum deſpumat. Vid. Them. III. Quodſi boni nomen, inquit Maximus Tyrius, illis quæ bona non ſunt, tribuas; qualis aut corporis ſanitas, aut forma, aut auri argentique ornamenta ſunt, aut decus majorum, aut honor civilis & ejuſmodi, quæ voluptatis potius quam boni nuncupanda ſunt nomine, eliminas myſteria, DEum ipſum offendis. Differt. 23. n. 135.

Cum finis nec in ſcientia nec virtutibus etiam Theologicis conſiſtat.

2. Quin his etiam majora cani poſſunt: Finem hominis nequidem in perfecta, utut innocente, ſcientia; neque in virtutibus moralibus utcumque magnis; neque in agnitione & amore DEI naturali quantuscunque in hac vita poteſt haberi; neque in virtutibus ſummis Theologicis etiam ſupernaturalibus hujus vitæ, nempe divina fide, divina ſpe, divina charitate conſiſtere certiſſimum eſt plane. Quod tamen explicare ſuperſedeo. Legatur S. Thomas contra gentes Lib. III. Cap. XVII. usque ad cap. XLVIII. & in Summa Theolog. I. ma 2dæ Quæſtionibus prioribus. Quæ tamen omnia ita habere non tantum ex doctrina revelata ſed etiam ex lumine ſanæ rationis demonſtrari poteſt, ſuntque idcirco Juri Naturæ vero plane conſentanea; omnia tamen per Puffendorffium & heterodoxos doctores hinc excluſa, & rejecta.

Perfecta civitatis inſtitutio tantum ex S Scriptura petitur.

3. *Perfectam* autem civitatis inſtitutionem & fini ultimo examuſſim convenientem ex Sacra tantum Scriptura & Chriſti doctrina licet haurire. Nos tamen hoc Capite imperfectiores tantum demonſtrationes attulimus ex Philoſophis; coacti improbitate adverſariorum, qui divina dogmata hac in parte petulanter rejiciunt. Huc enim malorum redacti ſumus horum vanis ſtudiis, ut dum Chriſtianis perſuadere Jura, ac vitæ modum volumus, & ſummum bonum civitatibus ſpectandum oſtendere, non liceat nobis receptas ab omnibus Chriſtianis ſententias producere, ſed magiſtris uti oporteat aut cæcis aut luſcis philoſophis. Ad hoc autem januam aperuit iniquitas Puffendorffii, & auditorum ejus novandi ſtudium inconſideratum.

Puffendorffii iniquitas.

4. Iniquitatem dico Puffendorffii. Eſt enim iniquus, qui quod juris in alterum ſtatuit, in ſe ipſo non admittit. Puffendorffius Grotium à Jure naturæ & à ſcholis ejiciendum dicit, quia *receptas Eccleſiæ orthodoxæ ſententias* paſſim deſerit. Ipſe vero Puffendorffius receptis Eccleſiæ ſententiis plane contraria, & cum ipſa ſana ratione cumque Philoſophorum doctrina pugantia in novo Jure naturæ ſcholis obtrudit:

Et tamen præ Grotio recipi in inſtitutione juventutis vult.

Nobilium inconſiderantia in Jure naturæ diſcendo,

5. Nobilium deinde auditorum dico (abſit verbo calumnia) inconſiderantiam. Hic enim pulchro Juris naturæ ac, gentium vocabulo illecti profundius in diſquiſitionem non deſcenderunt. Quoniam ergo gentium negotia in ipſorum ſunt manibus, recte quidem deſiderarunt Gentium jura diſcere. Sed unde ea diſcerentur, non recte conſiderarunt, ſed obvium quemque magiſtrum arripuerunt; Grotium primo, mox Puffendorffium, deinde alios; ultimo Heineccius, ut quisque à ſuis decantatus in theatro apparuit.

per ſaſquot tantum menſes.

6. Cui errori alius etiam dedit anſam, quod exiſtimarent, Jus naturæ ac Gentium uno ſemeſtri aut etiam anno condiſci poſſe à juvenculis: quod longe eſt à vero ac poſſibili alienum.

Decepti à Puffendorffio.

7. Deinde ſpe ſua fruſtrati fraudatique ſunt à ſplendidis Puffendorffii promiſſis, ſpondentis publice, Jura ſe naturæ daturum, ac *Gentium*, magnum Nobilitatis inſtrumentum. Reipſa tamen de Jure naturæ nonniſi falſa Principia poſuit, ipſum autem Naturæ Jus minime tradidit tanquam jus naturæ: *Jus* vero *Gentium* prope totum omnino omiſit. Vid. Them. XIII. Cap. VIII.

Concluſio pulcra S Auguſtini de ſummo Bono.

8. Concludamus jam hoc caput ſententia S. Auguſtini: *Dicebat Epicuraus, mihi frui carne bonum eſt, dicebat Stoicus; mihi frui mea mente bonum eſt. Dicebat Apoſtolus, mihi autem adhærere DEO bonum eſt. Errat Epicuraus, fallitur Stoicus. Tunc enim recte anima vivit, ſi non ſecundum carnem neque ſecundum ſe ipſam vivit, ſed ſecundum DEum.* Poſſet adjungi: dicebant Hobbius & Puffendorffius, mihi placere Principibus bonum eſt. Dicit Apoſtolus, *ſi adhuc hominibus placerem Chriſti ſervus non eſſem:* Galat I. ỷ. 10. dicebat Rex ipſe David: *Nolite confidere in principibus in filiis hominum in quibus non eſt ſalus.* Pſ. 145. ỷ. 2.

CAPUT XII.

Puffendorffii Hæreſes & Calumniæ in Catholicos.

Non hic refutamus hæreſes, ſed detegimus.

Them. I. NEc hæreſes illas confutare hoc loco animus eſt, ſed indicare: nec contra calumnias vindicare Catholicos, ſed animum tantum Puffendorffii detegere, & juventutis pericula indigitare.

Ipſi inter ſe heterodoxi eos refutant,

1. Hæreſes enim toties in Polemicis libris confutatæ jam ſunt, & adhuc quotidie confutantur ab aliis. Imo catholicorum ad hoc opera ſuperflua eſt. Ipſi inter ſeſe pro nobis pugnant nolentes. Quidquid enim in Calvinianos dicere poſſumus nos, id omne in eos dixerunt Lutherani. Quod idem de Lutheranis & aliis omnibus dicendum eſt.

Vis veritatis divinæ.

In quo ſane veritatis divina vis adeſſe Religioni Catholicæ deprehenditur; cui etiam inimici, nil tale cogitantes, pugnare debent. Quemadmodum DEI ſapientiam & ſanctitatem etiam peccantes, utut repugnando, confirmant.

Heterodoxi pro nobis militant.

2. Nec ipſa modo religionis capita, ſed ſubſidia etiam & arma noſtra propugnantur ab hoſtibus. Sacram Scripturam alii claram, ut à quovis paſſim intelligi queat, aſſerunt: alii quantum ſtudii ad hoc requiratur, pulcre oſtendunt. Patres Sanctos alii exagitant, tanquam rudes & inutiles: alii docent, quam nihil ſine his ſciremus in religioſis. Valde pro nobis hic pugnant multi Angli.

Scopus Puffendorffii fuit, Catholicam religionem premere.

Them. II. Animus ac Scopus Puffendorffii in Jure naturæ ſcribendo & in plerisque à ſe ſcriptis fuit, catholicam religionem facere *ridiculam*, imo ſinistam & Juri naturæ repugnantem. Sic autem loquitur.

Ejus verba ex Apologia

1. *Hoc dico:* (1) *nulla dogmata moralia, qualia omnem fere religionem comitantur, CONTRA JUS NATURALE ET SANAM POLITICAM PUGNANTIA, ſub ſpecie religionis obtruſa, in civitate eſſe toleranda:* „*qualia ſane PESTILENTISSIMA* ſub religionis Larva alicubi irrepſiſſe nemo rerum humanarum peritior eſt, qui ignorat. (2) *Ex eo genere* ſunt iſthæc dogmata. (3) Dari poteſtatem *extranei alicujus* ſacerdotis, quibus ſummi imperantes *civiles* ſint (4) ſubjecti, quique (5) ipſos ſolio dejicere, ac cives obligatione adverſus eosdem abſolvere queat. (6) Omnibus ſacerdotibus cujuscunque reipublicæ Chriſtianæ *neceſſario* dependendum ab ſacerdote *aliquo extraneo.* In *ſacerdotes* (7) ſummo imperio civili *nullam* eſſe

„ pote-

poteſtatem: Sacerdotibus *neceſſario* competere immunitatem ab oneribus *reipublicæ*, ut tamen ipſis in *infinitum* ſuas opes *cumulare liceat*. Quemlibet civem actiones ſuas (9) exteriores & ad ſtatum civitatis ſpectantes juxta propriæ conſcientiæ dictamen poſſe regere, *etiam contra leges publicas & juſſa* ſummorum imperantium. (10) Non dependere abs cujusque arbitrio actiones, ſuper quibus in foro humano ſolet ratio exigi. (11) Illicitos eſſe homini Chriſtiano aliquos actus ad conſervationem civitatum in iſthac mortalium conditione *neceſſarios*. (12) Aut dari aliquod vitæ genus civitati *neceſſarium*, quod per ſe vitio & impuritate laboret: fanaticorum deliria & commenta pro oraculis divinitus inſpiratis: & ſi quæ ſunt ejus farinæ alia. " Hæc Puffendorffius profitetur in Apologia pro ſuo Jure Naturæ §. 6.

Item ex Jure naturæ

2. Et in ipſo ſuo ſic dicto Jure naturæ enumerat alias, quæ juri naturæ repugnent Lib. II. cap. IV. §. 4. „Quas penitus eradicari, generis humani quam maxime intereſt. - - - (13) Quod Numen *peccata* hominum velut *nundinetur*, & ea *redimi* patiatur *pecunia* aliisque muneribus, nec non *inanibus* quibusdam ritibus aut conceptis verborum formulis, *citra emendationem vitæ*. (1) Item quod numen capiatur ejusmodi *inventis hominum*, adſumptisque vitæ inſtitutis, quæ ad ſocietatem *humanam & civilem*, ad *ſanæ rationis & legis naturalis dictamen* attemperatam, non quadrant: Quo pertinent *pleraque* inſtituta Monachorum &c. (15) Mala quoque eſt illa perſuaſio, quaſi *homini* ſolum pietatis exercitium erga DEum ſufficeret *citra reſpectum* ad probitatem & officia erga homines exercenda: (16) aut quaſi imitamenta pietatis & *exteriora* cultus divini accurate obita *penſare* queant *injuſtitiam* erga homines exercitam; ac per *totam vitam malis* bonisque artibus pecunias corradere *fas eſſe*, dummodo moribundus *aliquid* ad *Pias cauſas*, uti vocant, relinquat. (17) Prava quoque eſt opinio, ſimplicem hominem poſſe non ſolum pro ſe officio ſuo adverſus DEum ſatisfacere; ſed & ipſi ſupereſſe poſſe quod in alios transfundat, ſic ut alieno merito *humano* defectus neglecti officii velut ſuppleri queat &c. (18) Quo pertinet, quod quibusdam perſuaſum eſt, hoſtili *odio* proſequendos, qui à noſtra Religione ſunt alieni: religionem gladio eſſe *propagandam*: diverſis à religione noſtra fidem non eſſe ſervandam; nec politicam, quod vocant, amicitiam & officia humanitatis cum iisdem exercenda; aut eosdem in externa converſatione velut immundos averſandos &c.

Lib. I. Cap. III. §. 4. ait: „Siquis judicio practico, aut conſcientiæ peculiarem vim dirigendi actiones tribuere velit, quæ à lege non dependeat aut proveniat, quibuslibet hominum phantaſiis vim legum tribuit, & ſummam confuſionem rebus humanis inducit. Et fatendum eſt, iſthunc vocabuli conſcientiæ ſenſum neque in divinis litteris, neque apud veteres autores latinos, quantum mihi conſtat, occurrere, ſed à ſcholaſticis primo introductum, ac nuperis ſeculis qui vocantur caſus conſcientiæ inventos à callidis ſacerdotibus, flectendis ad ſuam libidinem hominum animis.

quæ in Catholicos contorquet.

3. Hæc Puffendorffius in Catholicam religionem maximam partem aut omnia contorquet. Quamquam enim eam non in ſingulis calumniarum ſuarum capitibus nominet, ſatis tamen illius animus liquet primum ex præcipuis capitibus, quæ de Syſtemate Catholico prodit: deinde ex iis quæ variis locis & ſcriptis aliis profitetur: denique ex modis loquendi de piis cauſis de formulis abſolvendi à peccatis &c.

aut ignorantiſſimus rerum catholicarum,

4. At hæc tamen omnia talia ſunt, ut vel *ignorantiſſimum* rerum Catholicarum fuiſſe Puffendorffium neceſſe ſit; adeoque temerarie ſeſe impenderit contra rem Catholicam incognitam, vel, ſi non ignoravit, *mendacii* & contra mentem locutionis ac falſi apud juvenes & alios dicendi teſtimonii ſit reus. **aut mendax** Neque nudi mendacii, ſed *calumniæ*, ſive ſtudii vincendi in publico judicio per mendacium, & partem adverſam ream conſtituendi. **& calumnioſus,** Denique permulta ex his, quæ vendit Puffendorffius, fraude dialectica & *ſophiſtica fallacia* colorantur. Quod genus argumenta qui in judicio civili produceret ad ſeducendos judices, graviſſima ſe noxa obſtringeret; & mereretur à cauſis deinceps dicenda excludi atque eſſet infamis. **inſuper Sophiſta.** Quanto magis ſophiſtæ illi cum ſophimatis ſuis declarandi ſunt inhabiles ad ſtandum in judicio naturæ publico! & Puffendorffius adeo excludendus è numero ſcriptorum illorum, qui *Jus naturæ* doceant, cum falſum & fallacia

ſcienter intentata & dolo excogitata

ſcienter intentata & dolo excogitata juri naturæ repugnent, & legibus civilibus?

Imum aſſertum. dogmata contra J. N. non toleranda.

Them. III. Ad (1) Puffendorffii aſſertum ſubſcribimus omnino: Nullum dogma *juri naturæ*, & ſanæ politicæ repugnans eſt tolerandum in civitate.

1. Quippe Jus naturæ eſt juſſus jubentis DEI & neceſſitas ſervi hominis. Servus autem admittere non poteſt Domino repugnantia.

Quæ ſit ſana politica;

2. *Sana* autem politica illa ſola eſt, quæ DEO Domino ſummo eſt ſubjecta, non quomodocumque, ſed pro modo agniti dominii. Ita qui agnoſcit voluntatem Domini ſui & non facit, vapulabit multis: qui non agnovit & non fecit, vapulabit tamen, licet paucis; id eſt qui magis agnovit magis eſt reus, ni faciat, qui minus agnovit, minus eſt reus.

Pro modo agnitionis DEI inſtituenda.

3. Sic Regum ac Populi Judaici politica ſi fuiſſet inſtituta ad leges Lycurgi & politicam Solonis, non fuiſſet ſana; ſed opportuit eam inſtitui ſecundum leges Moſi per DEum revelatas: neque licuit Judæis ab his legibus abſtrahere.

Chriſtiana politica non poteſt abſtrahere à lege Chriſti, ut jubet Puffendorf.

4. Chriſtianis quoque regibus & populis politica ſana non eſt, ſi ea abſtrahat à legibus *cognitis* Chriſti, & quæ hinc conſequuntur.

5. Hoc autem facere jubet Puffendorffius. Igitur Puffendorffii politica ſana non eſt, ejusque doctrinæ de ſumma poteſtate, de Eccleſia, legibus &c. Suo adeo ore judicatur, pronuncians ſuas doctrinas in civitate tolerandas non eſſe.

II. Aſſert. Catholica doctrina an peſtifera?

Them. IV. Ad (2) aſſertum. Quo doctrinas, quas Catholicis partim affingit, ex *eo genere PESTILENTISSIMARUM* eſſe ait: Dico, ſi eas docerent Catholici, peſtifera quidem docerent. Longe tamen peſtilentiora reipſa docent acatholici: qui Puffendorffium ſocialitate omnia metientem, à religione & animæ perpetuitate abſtrahentem ſibique repugnantem facile ſuis partibus accommodabunt. Adeoque ſi vel vera de catholicis diceret Puffendorffius, quid objicit Catilina Cethego?

Acatholici peſtifera docent.

1. Quid acatholici magiſtri peſtilens doceant tum paſſim notum eſt, tum ſupra Cap. X. Them. I. videri poteſt.

Puffendorffius capitur.

2. Apparet id ipſum ex modo ſequentibus Themm: nam Puffendorffius has, quæ poſt ſequuntur, doctrinas peſtilentes ait, ſive illas vere Catholici admittant, ſive ab eo falſo affingantur: ergo admittere debet omnes iſtarum doctrinarum contradictorias eſſe veras & ſalutares. Manifeſtum autem eſt aliquas harum doctrinarum eſſe contradictorias Chriſto: igitur manifeſtum eſt Puffendorffium admittere debere doctrinas Chriſto contradicentes; eſſe ſalutares.

III. Aſſert. de extranei ſacerdotis poteſtate.

Them. V. Ad (3) Puffendorffii, quo peſtiferam doctrinam ait, hanc *dari poteſtatem EXTRANEI alicujus ſacerdotis:* Dico: omnibus modis falli aut fallere Puffendorffium.

An Papa ſit extraneus?

1. Fallit in voce *Extraneus*, per quam vult ſignificare Romanum Pontificem. Quis enim eſt Extraneus? Et certo jam cum Puffendorffianis etiam non vero jure naturæ, ſed Puffendorffiano falſo fictoque, ex quo coguntur admittere, Pontificem Romanum non eſſe extraneum. Sicut aliquando ex ipſis Lutheri & Genevenſibus Bibliis oſtendimus Lutheri ac Calvini doctrinam neque ſibi conſtare.

& ab exemplo.

2. Sacerdotes Cybeles Phrygiæ, & Sacerdotes Iſidis Ægyptiæ, quæro fueruntne extranei, poſtquam ſacra illa ſpuria fuerunt à republica Romana adoptata? Reſpondebunt: extraneos fuiſſe civili ſed non ſacro utut naturali jure, ſi vel admitti poſſet jus naturæ ad ſacra talia, quæ naturæ repugnant, ut Cybeles & Iſidis. Igitur & Sacerdos Chriſtianus quicunque ſive Romæ exiſtens ſive alibi non eſt extraneus ab ulla ſocietate ullave domo, quæ illius ſacris eſt addicta. Unde Apoſtolus omnes Chriſtianos vocat *Domeſticos fidei*, Gal. VI. ℣. 10. & *Domeſticos DEI*, Epheſ. II. v. 19. *Omnes* igitur catholici, qui ſumus in America, India, Tartaria, Africa Europa, agnoſcimus Romanum Pontificem tanquam maxime nobis intraneum, utpote adminiſtratorem domus DEI, in qua ſumus, conſtitutum à DEO Chriſto in quem credimus. Idque tenent non ruſtica modo plebi, ſed multo magis reges noſtri, qui frequentius cum iſto communi Patre commercium rerum ſacrarum habent; quam ipſe populus. Quique hoc non tenent, illi omnes ſunt nobis quoad ſacra extranei, etiam ſi Fratres noſtri ſint aut parentes aut filii.

Decipit Puffendorf.

3. Decipit Puffendorffius, cum dicit ſine circumſcriptione ulla: dari *POTESTATEM* ſacerdotis, non definiens, quæ, quanta, qualis, unde, quo ea ſit poteſtas? Per hoc enim in invidiam adducere contendit non tam Pontificem, quam Catholicam doctrinam: quaſi poteſtas illius Sacerdotis infinita ſit, aut irregulata. Quod ideo dicit, ut *omnem* illam excludat tanquam peſtilentem.

4. Hæc

An rex Angliæ ſit extraneus?

4. Hæc autem fallacia gravior eſt, quam illa, ſi dicerem: *Peſtifera eſt hæc doctrina, dari nunc in anglia poteſtatem alicujus nobilis extranei:* Quod aſſerturo mihi os opprimerent Angli etiam Independentes, negarentque primo regem ſuum eſſe *extraneum*: negarent etiam, peſtiferam eſſe doctrinam de *poteſtate* regis, ſimpliciter ſed tantum de poteſtate irregulata. Regulam autem hanc juberent quærere apud ſe, non apud Germanos; & in ſuis tabulariis, non in Archivis, multo minus in libris Juris publici Germanorum. Pulcre hæc à quovis applicari poſſunt ad catholicos, Pontificem, horumque Scripturas & libros, è quibus, non è Puffendorffio & heterodoxis & extraneis hauriendus eſt modus hujus poteſtatis.

alia deceptio Puffendorffii

5. Decipulam aliam ſtruit Puffendorffius in voce *Sacerdotis*, & in voce *alicujus*. Nam hoc uno vocabulo Sacerdotis ſperat ſe, miſer, everſurum totam hierarchiam eccleſiaſticam, & Primatum Petri, & poteſtatem clavium, & inſtitutionem *Petræ* à Chriſto factam: callide enim mentitur Pontificem nihil aliud eſſe quod *ſacerdotem*, qualis eſt cujusque ignobilis pagi curatus, aut curati ſocius, aut capellanus. Hoc idem eſt, ac ſi diceret Anglorum quispiam: *Peſtifera doctrina eſt, dari in Britannia poteſtatem alicujus NOBILIS extranei*; ſi per illum nobilem intelligeret Georgium regem Britaniæ, Electorem Hannoveranum.

alia deceptio

6. Imponit ſimplicibus Puffendorffius per vocem *alicujus*, quæ determinationem nullam habet; quaſi *cuilibet* temere occurrenti ſacerdoti ſubjiceremus animas, ducendas; quaſi non multo conſilio celebretur Pontificis electio; quaſi reges Catholici electionis non eſſent conſcii; quaſi non in toto orbe Catholico, cum is eligitur perpetuis comprecationibus divinus ſpiritus in vota vocaretur; quaſi non multis ampliſſimis ſignificationibus ſeſe à ceteris omnibus ſacerdotibus hic ſacerdos apud totum gregem diſtinguat. Applicetur hoc ad Electorem Hannoveranum.

IV. Aſſert. de ſubjectione Principum.

Them. IV. Ad (4) Puffendorffii, cum dicit: *Quibus ſummi imperantes civiles ſint ſubjecti:* Dico ego, Puffendorffium in omnibus his verbis non ſemel fallere, & dolos machinari.

Deceptio

1. Antea ſtatim dixerat de *aliquo ſacerdote*, tanquam uno: nunc mox ſubficit, *QUIBUS*: invita Grammatica, invita veritate, juſtitia & ſano ſenſu. Ut nempe invidia non in ſolo Pontifice reſideat, ſed bona Puffendorffii voluntate ad omnem eccleſiaſticum ordinem extendatur.

Deceptio.

2. Ait *SUMMI IMPERANTES*, ut perſuadeat, Pontificem velle eſſe dominum *omnium* ſummorum imperantium; ita ut tremendum ſit omnibus audito Pontificis nomine.

Deceptio.

3. Ad hoc ipſum adjungit Imperantes *CIVILES*, quo haud dubie ſignificare vult, Pontificem tentare, *civilia* omnia ſuſque deque vertere: & nullam civilem poteſtatem, imperium civile nullum eſſe, ubi Pontifex agnoſcitur; quod qoam ſit falſum, noſtro calamo non opus eſt demonſtrari.

Deceptio.

4. Denique utitur voce *SUBJECTI*, quæ invidioſa eſt, & illis proprie convenit, qui vi in aliorum poteſtatem venerunt. Quod fuit Romanorum ethnicorum, parcere *ſubjectis & debellare ſuperbos*, ut & ipſi ſubjiciantur. Pontifex non *ſubjectos* vocat reges ſed filios cariſſimos. *Subſunt* Principes, quia Chriſto fidem jurârunt voluntate ſancta: non *ſubjecti* ſunt, quamvis *ſubjici* à Chriſto potuiſſent non ſibimet tantum ſed cuicumque Chriſtus poteſtatem voluiſſet in ipſos committere etiam civilem. Pulchre *S. Cyrillus* Hieroſol. de Eccleſia Catech. XVIII. n. 27. *DEI gratia debitos honores recipit à regibus & viris dignitatum ſublimitate conſpicuis, & omni denique hominum genere ac ſpecie. Quumque reges diſtributarum diverſis locis gentium ſuæ poteſtatis limites habeant, ſola eſt S. Catholica Eccleſia, quæ per orbem totum indeterminata gaudet poteſtate.*

Profana ſubeſſe ſacris

agnovere Imperatores.

6. Non eſſe autem hoc juri naturæ non ſanæ politicæ adverſum, agnovere Imperatores, qui leges etiam ſuas Pontificis & Eccleſiæ correctioni ſubeſſe confeſſi ſunt. Vid. Them. XIV. C. X. Vide & hujus operis Appendicem. Cum Pontificis ſententias & anathemata confirmare & exequi Imperatoris ſit. Novel. XLII. in princ. & fin. l. *Cognoſcere* §. nullos 5. Cod. de Epiſc. aud. l. *decrevimus* 16. C. de SS. Eccl. l. 2. §. 2. C. de Sum. Trin.

Gentiles, Barbari.

6. Agnovere id etiam gentiles non tantum Barbari, ut Tartari erga Lamam, Japones erga Dairum; ſed & ſapientes Romani, apud quos augurum ſumma poteſtas etiam in civilibus fuit. Quamvis enim ſumma rerum apud Populum eſſet, tamen Auguris multa vis ſupra populum fuit. Idque fuit agnitum apud Romanos tam delicatos politicos. Cicero ejus rei teſtis eſt locupletiſſimus Lib. II. de Legib. Cap. XII. *Maximum autem* inquiens, *& præſtantiſſimum in republica jus eſt augu-*

Augurum Romæ poteſtas ſi præ ſtantiores magiſtratus.

*rum, & cum auctoritate conjunctum: ne vero hoc, quia ſum ipſe augur, ita ſentio, SED QUIA SIC EXISTIMARE NOS EST NECESSE. Quid enim majus eſt, ſi de jure quærimus, quam poſſe à SUMMIS IMPERIIS ET SUMMIS POTESTATIBUS comitiatus & concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? Quid gravius, quam rem ſuſceptam dirimi, ſi unus augur ALIUM * dixerit? Quid magnificentius, quam POSSE DECERNERE, UT MAGISTRATU SE ABDICENT CONSULES **? Quid religioſius, quam CUM POPULO CUM PLEBE AGENDI JUS AUT DARE AUT NON DARE? Quid? legem SI NON JURE ROGATA EST, TOLLERE? ut Tetiam decreto collegii: ut Livias conſilio Philippi conſulis & auguris. NIHIL DOMI NIHIL FORIS PER MAGISTRATUS GESTUM SINE EORUM AUCTORITATE POSSE CUIQUAM PROBARI?*

Jus Pontificium diſtinctum à civili.

7. Idem Cicero eodem libro Pontificium jus à jure civili diſtinguit, oſtenditque jus Pontificium Romanorum ab auctoritate pependiſſe Pontificum, non à legibus civilibus: graviterque reprehendit Scævolas Pontifices, quod vellent jus civile ſaltem in ſubſidium Pontificii adhibere. Quid hic feciſſet, ſi paulo ſerius natus Chriſti legem audiſſet?

Sacerdotum ethnicorum poteſtas.

8. Objicitur: Debet tamen admitti alius finis civitatis, alius eccleſiæ, ne confundantur, confuſis etiam poteſtatibus ſeu Principatu & Papatu.

Reſp. Omnino admitto alium finem proximum. Eccleſiæ finis proximus eſt Salus æterna: civitatis finis proximus ſalus temporanea. Eccleſiæ finis proximus eſt ipſe finis ultimus civitatis. Igitur finis civitatis eſt ſubordinatus fini Eccleſiæ. Idque conſequenter etiam de poteſtatum ſubordinatione dicendum eſt. Puffendorffius has miſere confundit ultima ſubordinans mediis.

9. Ceterum de Ethnicorum ſacerdotum hierarchia, poteſtate, excommunicatione regum ac principum, abſolutione ſeu luſtratione & aliis plurima congeſſit Theophilus Raynaudus Tom. IV. de Virtutibus Lib. IV. Sect. III. à num. 302. Quæ certe oſtendunt juri naturali ac *ſenſui communi* non repugnare tantam ſacerdotum vim, etiam ubi nihil ſingulare à DEO vero revelatum eſt civitatibus.

V. Aſſert. de depoſitione regum.

Them. VII. Ad (5tum) Puffendorffii arietem, de dejectione principum à ſolio per Pontificem, dico: fallere iterum Puffendorffium.

Fraus Puffendorffii.

1. Vult enim invidiam in *ſolum* Pontificem cumulare; cum de nemine præterea loquatur. Equidem ex paucis illis, quæ contigerunt, exemplis, conſtat certo, quamvis Pontificis tanquam capitis ſumma fuerit hac in re ſententia, tamen multa præterca concurriſſe ut res tam grandis efficeretur. Concurrit enim (1. Principum illegitimus uſus poteſtatis. Concurrit (2 Subditorum ipſorum deſiderium. 3) Salus reipublicæ. (4 Neceſſitas religionis. (5 Incorrigibilitas. (6 Concilia à magna parte non Epiſcorum modo ſed & procerum ſuper hac re celebrata. (7 Aliorum etiam Principum magnorum conſilium, voluntas, auxilium. (8 Maximeque Ordinum non ſervorum ſed liberorum petitiones; imo horum facta aliquando Pontificem etiam prævenerant.

Reges non à ſolo Pontifice depoſiti.

Non indigemus hac in re inſtructione Puffendorffii.

2. Profecto illætabile eſt de tantis reipublicæ vulneribus loqui etiam his, qui ſanati ſunt, neque ob aliud *Infandum* Samuele *jubes renovare dolorem*, quam ut dolore noſtro invidus paſcaris. Sed talia in juvenum tantis rebus Imparium aures ingerere velle cum Puffendorffio, nimis quam imprudens eſſet. Viri de his, timore DEI munientes cor legant P. *DANIEL* diſſertationem in hiſtoriam Franciæ de Abdicatione Childerici regis & ſalutatione Pippini per Ordines & Pontificem. *SFONDRATI* librum de Regali Sacerdotio. Petri de *MARCA* Concordiam Sacerdotii & Imperii. Georgii ab *HERWART* Defenſionem Ludovici IV. Bavari Imp. Nec Puffendorffii hæretici inſtructione in his indiget aut Eccleſia Catholica aut Principes.

Fallacia Puffendorffii.

3. Fallacia utitur Puffendorffius, cum vult perſuadere, hoc contra Jura naturæ pugnare. Qui tamen negare non poteſt, legitimam poteſtatem aliquando degenerare in tyrannidem: Tyrannidi autem *legitimis modis* obviari jure naturæ poſſe. Nec audebit ipſe decernere, quinam ſint ii legitimi modi.

4. Quæ-

* *Diem* nempe.

** Summus Romanorum magiſtratus.

Digitized by Google

Exempla depoſitorum regum ab Anglis.

4. Quæro tantum ex Puffendorffianis, non decerno: An potuere Angli jure naturæ Carolum I. regem ſolio dejectum etiam capite carnificis manu multare? An potuit Mariam Stuartam Scotiæ reginam ſecuri percutere Eliſabetha! an iidem Angli Jacobum II. regno expellere, Guilielmo Arauſicano in ejus locum advocato? An potuere

Germanis.

Germani Carolum Craſſum potentiſſimum Imperatorem, Germaniæ, Galliæ Italiæque regem ſimul omnes deſerere famique objicere? An Wenceslaum regem Romanorum Bohemum regia poteſtate exuere, eaque induere Rupertum Palatinum? An Adolpho Naſſovio rege repudiato eligere Albertum Au-

Francis &c.

ſtriacum? An Franci Childericum monaſterio includere? An Franci iidem Carolum Simplicem includere carceri? An Germani Ludovico infante mortuo ſuperſtitem Caroli magni ſanguinem he-

Suum ſinum excutiant Acatholici.

reditate Germaniæ ac poſt Italiæ, ac Lotharingiæ exuere? Et adhuc nihil memini de *Batavis* à Philippi II. obedientia ſemet abſolventibus; nihil de *Danis* & *Suecis* maxime, quibus id prope ſamiliare fuit; nihil de *Ruſſis*, *Polonis*, *Hungaris*, *Turcis*, *Numidis*, *Perſis*, Magnoque *Mogore*. Oranchzebio. Sane id genus exempla diebus noſtris ac hisce prope oculis vidimus. Hæc aliaque multa dirimant, ſinumque proprium repurgent, tum demum etiam

Monitum ad Juvenes.

de aliis diſputabimus. Juvenes autem diſcant, non temere in judicia, multo minus in affectus & odia prorumpere. Multa his in rebus vel viros, etiam alias doctos, latent; multa eminus conſpecta aut bona judicantur aut mala, quæ ſi comminus perſpicias pertractesque, in aliam te a priſtina opinionem traducent.

5. Quod ſi crude & indigeſte ita ſumptam hanc doctrinam peſtilentiſſimam & Juri naturæ ac ſanæ politicæ adverſam dicit Puffendorffius, ipſe viderit, quantum amurcalis offæ exhauriendum ſibi ſit. Illam enim doctrinam (nihil hic decerno juris, nihil ajo, ſed in medio relinquo ab aliis diſputanda) non chartis ſed rebus geſtis admittere viſi ſunt majores noſtri maximi magnarum Germaniæ nationum Principes, ipſique adeo Imperatores. Tenemus diploma Rudolphi I. Habsburgici Romanorum Regis de anno 1274. in ipſis Comitiis frequentibus Imperii ſeu Numeroſis, Norimbergæ tum celebratis editum ad omnes Principes Eccleſiaſticos: quo idem anteceſſori ſuo Friderico II. eveniſſe teſtatur, nempe, excommunicatum eum ac depoſitum fuiſſe, & illegitima agnoſcit ejus acta poſt ſententiam depoſitionis geſta editaque. Nuperque Senkenbergius Tom. III. Selectorum Juris Pub. protulit duas Bonifacii IX. bullas de Wenceslao & Ruperto Romanorum regibus. Sed hæc, ut dicere cœpi, intacta relinquimus: quæ enim ad Summam utramque ſacram & profanam poteſtatem tanquam pupillas reipublicæ attinent, non niſi ſumma reverentia & ſollicito quodam timore tractanda ſunt, nec debent livido Puffendorffii dente lacerari.

VI Aſſert. de poteſtate Papæ in Sacerdotes.

Them. VIII. Ad (6)tum Puffendorffii emblema de poteſtate Pontificis in omnes ſacerdotes, Dico: Puffendorffium hic quoque iisdem artibus uti.

Fraudes Puffendorffii.

1. Invidioſe omnia exponit, & Pontificem rurſus *extraneum* dicit, & tantum *ſacerdotem*, & *aliquem*, quaſi in concavo, quod ajunt, Lunæ vagantem, & ignotum neſcio quem.

Iſta ad Puffendorffium nihil attinebant,

2. Exhibeat, quæſo, Puffendorffius mandatum, quo eum cujusquam reipublicæ Chriſtianæ ſacerdotes advocatum ſuum fecerint, ne Pontifici ſubſint. Sine hoc enim quis eum audiet, quis inutilem negotiorum geſtorem non dicet? Manſiſſes melius mi Samuele domi. Sicut ſi Sueciæ procerum aliquis

ab exemplo.

diſputare contendat, Calvinianos Germanos uti debere jure Eccleſiaſtico Binghami; Anglos contra Jure Eccleſiaſtico ſic dicto Böhmeri. Extraneus nobis eſt Puffendorffius, nec ad poſtulandum admittendus ſi non in Germania, ſaltem in aliis regnis, leg. *Nemo* 15. Cod. de Epiſcop. Aud. Authent. *Credentes* Cod. de Hæret. & Manichæi

Imperatoria lex non eſt peſtilens: contraria ſententia Puffendorffio.

3. Peſtilentiſſimam & inſanam ergo ſi Puffendorffius non decipit, doctrinam ſtatuit Imperator, quando profeſſus eſt, Romanum Pontificem primum eſſe & caput omnium ſanctiſſimorum DEI ſacerdotum, eique omnes totius orbis terrarum eccleſias eſſe ſubjectas, eique ſubeſſe omnes Patriarchas, Metropolitanos, Epiſcopos & epiſcopis inferiores; atque iſtius eſſe, de fidei ſincera doctrina judicare, hæreticos damnare, ſacerdotio deponere &c. quæ ſingula conſtituta indubitataque legere eſt in ſequentibus & aliis legibus, nimirum l. *Inter claras* 8. §. reddentes, §. petimus, §. liquet, Cod. de Suma Trinitate. Novella IX. in Princip. l. *Sancimus* 29. in princ. Cod. de Epiſc. audient. *ſiquis* 49. §. Sin autem. Cod. de Epiſ. & Cler. Novel. V. in fin. Novel. VI. cap. 6. Novel. XXVIII. cap. 2. Novel. XL. Novel. CXX. cap. 9. Novel.

vel. CXXXI. c. 1. 3. 4. Novel. CXXXII. l. *cognoſcere* 7. prine. Cod. de Sum. Trin. Novel. XLII. princ. Novel. III. c. 2. Novel. XI. Novel. CXV. c. 3. §. 14. l. *certiſſime* 34. §. ſi vero 4. C. de Epiſc. aud.

VII Aſſert. de imperio civili in ſacerdotes.

Them. IX. Ad (7)mum Puffendorffii de imperio civili in ſacerdotes, dico, iisdem id dolis eſſe plenum.

Dolus Puffendorffii.

1. Dolus eſt & machina, cum abſolute dicit *Sacerdotes* non ſubeſſe imperio civili. Sacerdotes enim qua eives utique tenentur legibus civilibus. Qua ſacerdotes gaudent privilegio canonis & ſori per Canonica & Civilia jura conceſſi non contra jus naturæ & ſanam rationem, ſed congruentur S. Scripturæ, & convenienter rationi, quam uno communi ſenſu agnoverunt omnes gentes & homines etiam barbari, excepto Puffendorffio, qui ſe Evangelium dixit. Res tot libris tractatas, tot legibus firmatas, tot in comitiis generalibus & nationalibus coram Regibus & nationibus definitas ignoravitne Puffendorffius? & valde ſocors fuit. Scivit? & valde impudens, qui unus ſperaverit ceteris omnibus erutos oculos eſſe, ne obvias viderent.

Puffendorffius aut ignorans, aut impudens,

Dolus alius.

2. Dolus & in hoe amplificatur, quod *nullam* poteſtatem imperio civili in ſacerdotes ajere nos mentitur. Extant de ſoro Clericorum plurima volumina: extat uſus plurimus. Hujus autem loci non eſt hæc diſcriminare, ſed tantum technas Puffendorffiani Juris naturæ ac larvas detrahere.

Dolus ſummus.

3. Doli autem Puffendorffiani ſumma in hoc eſt, quod Sacerdotum privilegia inter *peſtilentiſſimas*, *JURI NATURÆ*, *ac ſanæ politicæ* adverſas doctrinas numeret. Ex quo conſequitur omnes gentes, ae præcipue Chriſti Eccleſiam, Chriſtianos reges ac principes uſque ad Puffendorffium laboraſſe peſtilentia morali, *juri naturæ* repugnaſſe, ſanæ politicæ renuntiaſſe, & in hunc uſque diem laborare; quia nemo adhuc Principum fuit, qui Puffendorffii medicinâ, tanquam peſſimi medici, uti vellet.

VIII. Aſſert. de immunitate.

Them. X. Ad (8)vam Puffendorffii laciniam de Immunitate onerum & divitiis ſacerdotum, dico, Fraudes & mendacia illum loqui.

Fallacia.

1. Dum enim ait, docere nos, immunitatem clericis *neceſſario* competere, non explicat noſtrum ſenſum: neceſſitas enim non unius modi eſt, metaphyſica, phyſica, moralis: atque hæc moralis rurſus varia, obligatio, nempe juris divini, aut humani, ſtricta & congruentiæ &c. *Aliquam* neceſſitatem concedendarum ſacerdotibus immunitatum agnoverunt omnes gentes. Qualem Catholici aſſerant ſi neſcivit Puffendorffius, debuit & ſacile potuit diſcere in tanto librorum apparatu, ac tantus librorum helluo, quantus ſuis videtur. Si ſcivit & tamen univerſim *omnem neceſſitatem* ſine reſtrictione effatus eſt quaſi ſenſu catholico, non excuſatur ab animo ſallendi juvenes, invidiamque provocandi.

Alia fallacia.

2. Idem ſallendi animus aut eadem ignorantia eſt in verbo: *Reipublicæ:* quaſi catholica doctrina eſſet, clericos nihil onerum portare etiam cum de *re* agitur *publica*. Puffendorffius profeſſus eſt ſe Jus publicum Germanici Imperii tam profunde intelligere, ut non tam hujus juris diſciplinam quam ipſum jus Publicum reformare & in aliam ſpeciem transfundere poſſet; quo fine ſcripſit Monzambanum ſuum, quamquam à ſe ſcriptum fuiſſe diu negaret metu pœnæ. Is tamen Germanici Juris reformator neſcivit aut nunquam legit matriculam Imperii, in qua rotundis numeris deſcripta ſunt omnia quæ Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, Præpoſiti Germaniæ immediati in rempublicam conſerunt. Quodſi acta alia legiſſet, inveniſſet, iſtos ſacerdotes multo plura quam debebant contuliſſe in publicum. Quodſi inſuper legiſſet regeſta ſteurarum ſeu vectigalium, donorum gratuitorum, aliorumque extra ordinem datorum à Sacerdotibus etiam municipalibus ſeu mediatis, nempe in os ſuum ac ſine fronte aut deceptum aut mentitum ſe agnoſceret ae *forte* erubeſceret, & res eſt certa, à ſacerdotibus multo plura in publicum contribui, quam ab aliis multo plura poſſidentibus.

An ſacerdotes in Germania nihil in publicum conferant!

Calumnia, licere Clericis opes in infinitum augere.

3. Calumnia eſt quam Catholicis dicit, velut horum doctrina eſſet, *licere* ipſis clericis opes ſuas *in infinitum* cumulare. In quo Canone, in quo Concilio, in qua Pontificum bulla, in quo Catholici ſcriptoris libro hoe legit? Aut non legit unquam vel audivit Catholicorum doctorum orationes damnantes clericum omnem, qui turpis lucri etiam parvi gratiâ rem faceret, & avarus opibus inhiaret?

4. Ipſi clerici opes ſuas non cumularunt, ſed Catholici Principes, Nobiles ac plebs de ſuo illis adjecerunt tam largas eleemoſynas. Legat Puffendorffius paſſim extantes chartas ac libros traditionum. Omnia ignorat Puffendorffius, aut omnia de induſtria diſſimu-

Digitized by Google

diſſimulat & in omnibus nos cogit, ferula ipſi monſtrare tabulam. Has chartas ſi legerit, deprehendet, vix ullum jam eſſe epiſcopatum, monaſterium aut alium ſacerdotum locum, qui prædiis ac reditibus antiquis ex integro jam gaudeat: & ſiquid de novo alicubi comparatum eſt, de veteri multo plura perierunt & in aliorum poteſtatem venerunt: jure id, an injuria, an neglectu? nihil intereſt hujus loci; ubi id ſolum oſtendendum, nec catholicorum eſſe ementitam Puffendorffii doctrinam, nec vera de cumulatione divitiarum decantaſſe ipſum.

Puffendorffius Juris naturæ tranſgreſſor.

5. Quam vero belle indolem ſuam ſervat, cum cumulum illum divitiarum *infinitum* facit. Ad invidiam & odium concitandum, non ad veritatem hæc dicuntur. Et hæc dicuntur in Jure naturæ, quod jubet auctorem ſuum Puſfendorffium tanquam ex lege divina omnibus hominibus (homines autem non canes ſunt clerici, ſi Puffendorffio placet) non tantum permittere quæ ſua ſunt, ſed etiam de commodis propriis concedere. Nunc autem Clericos, qui ſua ab aliis conceſſa retinent, & de his iterum aliis concedunt, dicit peſtilentiſſimam jurique naturæ repugnantem doctrinam ſequi. At ſi etiam ſequerentur, ſequerentur in hoc Puffendorffianam doctrinam: hæc igitur eſt illa peſtis: & huc adactus is eſt, ut ſuos aculeos ipſe lingat. Clerici enim ſi ſtuderent infinite cumulandis divitiis & commoditatibus, id facerent, in quo totum Juris naturæ finem Puffendorffius repoſuit. Poteſtne Puffendorffius illos peſtilentes dicere, qui ſummum apicem juris ab ipſomet conſtituti attingere laborant ſine fine?

& ſecum pugnans.

6. Sine fronte autem eſt, ſi opes clericorum etiam magnas, bene tamen in rempublicam, in pauperes, in multos homines alendos, in cultum divinum expenſas damnat tanquam aliquid peſtilens &c. Nulla enim eſt gens, quæ non divitias ab antiquo adjecerit Sacerdotiis ſuis. Non autem omnes unà gentes adverſus naturam pugnant. Nec inſanus fuit peſteque correptus Imperator, tam ſollicite prohibens, ne quidquam à locis ſacris prædiorum ullo alienationis genere abſtrahatur. Legantur Tituli Codicis de Sacroſanctis Eccleſiis &c. & multæ Novellæ, & Authenticæ. Nequid dicam de Regibus, ac Principibus per omnem terrarum orbem, etiam infidelibus, qui pro Catholicis Sacerdotibus domos erexerunt, prædia & vectigalia & immunitates conceſſerunt.

7. Neque penitus diſſimulanda eſt iniquitas & ingratitudo Puffendorffii. Epiſcopia enim & ſacerdotia non ſolis laicorum opibus opima facta ſunt, ſed frugalitate & parſimonia ipſorum ſacerdotum: ſunt enim in manibus ingenti numero chartæ ſacerdotum, qui de parſimonia ſua erexerunt Canonicatus, Parochias, cœnobia, Xenodochia, Adelphotrophia, eleemoſynas annuas.

Deinde Monachi multam Germaniæ partem horridam & incultam ſuis ipſi manibus excoluerunt, pagos, villas, oppida, civitates condendi anſam & materiem & formam præbuerunt. Res hiſtoriarum modice gnaris non ignotas loquor, quamquam ignotas Puffendorffio tanti nominis hiſtorico.

Them. XI. Ad (9num) Puffendorffii piaculum ſubſtiti aliquamdiu, incertus an de Catholicis hoc fingeret, an oblitus ut aliàs ſui ſummet doctrinam incautus quidem ſed non injuſtus, damnaret. Deprehendi tamen hujus rei ipſum inſimulare Catholicam doctrinam: ſed hoc eum dicere fraudulenter, & falſe. IX. Aſſert.

An cuiuslibet phantaſia ſit lex?

1. Catholicis, iisque Scholaſticis & Caſuum conſcientiæ ſcriptoribus mendaciter tribuit doctrinam huic ſuo figmento valde affinem, hanc nempe, *cuilibet hominum phantaſiæ eſſe vim legis.* Vid ſupra Them. II. n. 2. fine ex Puffendorffii J. N. Lib. I. cap. III. §. 4. Quam doctrinam ſi noſtri traderent, facile ex ea flueret altera peſtis, nempe *contra leges publicas cuilibet fas eſſe propriam phantaſiam in exterioribus præferre.*

etiam contra leges publicas.

2. Quoniam autem in criminatione tanti momenti ne hilum quidem probavit, & ne probare quidem conatus eſt Puffendorffius, ſed ex querno tripode mendax oraculum edidit publice; nobis ſatis eſſet calumniam in auctoris ſinum publice retorquere, etiam nulla probatione addita. Verum ut iniquitas, ſi fieri poteſt, oppilet os ſuum, & ne innocentibus ac ſimplicibus offendiculo ſit ſilentium, pauca ſaltem capita doctrinæ Scholaſticæ & moralis proferam hac de re.

Satis eſſet negare calumniam.

3. S. Thomas Theologorum utriusque generis Princeps Par. I. Q. LXXIX. art. XIII. ſibimet objicit. *Videtur, quod conſcientia ſit quædam potentia. Dicit enim Origenes, quod conſcientia eſt ſpiritus correctior & pædagogus animæ ſociatus, quo ſeparatur à malis & adhæret bonis. Sed ſpiritus in anima nominat potentiam aliquam; vel ipſam mentem;*

Sed docetur contrarium ex Catholicis.

tem; vel ipſam IMAGINATIONEM. - - - - Et Reſp.: *Dicendum: quando conſcientia dicitur ſpiritus, pro MENTE ponitur, quia eſt quoddam mentis dictamen.* Igitur contendit, Conſcientiam non eſſe *phantaſiam*, quod finxerat Puſſendorffius de Scholaſticis.

4. Idem I. 2.dæ Quæſt. XIX. Art. IV. concludit: *Cum ratio humana ad legem æternam comparetur ut cauſa ſecunda primæ ſubordinata, neceſſarium eſt, voluntatis humanæ bonitatem MAGIS EX LEGE ÆTERNA, QUAM EX RATIONE dependere.*

5. Idem articulo ſequente V. Objicit ſibi dictum S. Auguſtini: *Inferioris poteſtatis præceptum non obligat, ſi contrarietur præcepto poteſtatis ſuperioris. Sed ratio errans quandoque proponit aliquid quod eſt contra præceptum ſuperioris, ſcilicet DEI: Ergo dictamen rationis errantis non obligat.* Et reſpondet: *Verbum Auguſtini habet locum, quando cognoſcitur, quod inferior poteſtas præcipit aliquid contra præceptum ſuperioris poteſtatis. - - - Similiter ſi aliquis homo cognoſceret, quod ratio humana dictaret aliquid CONTRA PRÆCEPTUM DEI, non tenetur rationem ſequi; ſed quando ratio errans proponit aliquid UT PRÆCEPTUM DEI, tunc idem eſt contemnere dictamen rationis, & DEI præceptum.*

6. Idem S. Thomas I. 2.dæ Quæſt. XCVI. Art. IV. per totum. demonſtrat & ab objectionibus vindicat hanc ſuam concluſionem: *Juſtæ leges humanæ obligant homines in FORO CONSCIENTIÆ, ratione legis æternæ, à qua derivantur.* Ubi accurate etiam explicat, quomodo lex humana fiat injuſta ratione auctoris, finis, materiæ &c.

Mendacium Puſſendorffii.

7. Ex his autem manifeſtum eſt, quam fraudulenter de Catholicorum Theologia mentiatur Puſſendorffius in ſuo emblemate nono. Ita enim torquet, ut apparere credulis poſſit, nos obligationem adimere legibus etiam juſtis. Quia ait dicere nos, *actiones ad ſtatum civitatis pertinentes* poſſe à quovis ſecundum arbitrium temperari: videtur enim Puſſendorffius *actiones* ad ſtatum civitatis pertinentes ponere pro actionibus juſte præceptis.

Fallacia.

8. Sed etiam ſi ſic ſumeret & recte ſumeret, adhuc latet fallacia; videtur enim velle inferre, hoc ipſo legem aliquam juſtam eſſe, quod præcipiat actiones ad ſtatum civitatis pertinentes. Quod tamen eſt falſum; cum legis injuſtitia neque ex ſola materia ſive ex ſolis actionibus præceptis pendeat, neque ex ſolo fine medio, nempe bono civitatis; ſed ex aliis etiam, ut forma, auctoris conditione &c. Sic ſi faber publice affigeret legem, qua jubentur cives conſerre æs ad cudenda arma in deſenſionem patriæ; hæc lex præciperet actiones pertinentes ad ſtatum civitatis, & tamen neminem obligaret. Igitur Puſſendorffius calumniatur, ſi ſic exponat noſtrorum doctrinam, ut contra leges *etiam juſtas* ire liceat. Si autem non ſic exponit, cavillatur ſophiſta, cum imponat nobis propoſitionem generalem, quæ nobis non convenit niſi in aliquo diſtincto ſenſu.

9. Plura equidem in paucis Puſſendorffii verbis latent ſophismata: ſed quoniam ſtomachum jam movet ſtribliginum iſtarum pertractatio, abſtineo.

10. Siquem porro deprehendit ex Catholicis doctoribus hæc docentem, opportebat primo eum protrahere in publicum; protractum certe exagitaſſent ceteri, & Paſtor eccleſiæ noſtræ primus ejus ſententiam damnaſſet. Deinde deprehenſo etiam uno aut pluribus non debebat Puſſendorffius ſimpliciter Scholaſticis & Caſuiſtis hanc doctrinam affingere per calumniam; ac dicere alibi à *nuperis ſeculis* hanc conſcientiam eſſe à Scholaſticis creatam.

Injuſtitia Puſſendorffii.

11. Injuſtus eſt Puſſendorffius, quando conſarcinat tales doctrinas à ſe confictas, detortas aut non intellectas, & tamen per earum conſarcinationem hoc intendit, ut perſuadeat juvenibus, Catholicorum doctorum ſententias eſſe peſtilentiſſimas, adverſas juri naturæ & ſanæ politicæ: idque eo fraudulentius facit, quod glorietur, ſe unum præ omnibus aliis, præcipue autem præ omnibus Catholicis, eſſe ſummum & inſallibilem veri juris naturæ doctorem, & grandem politicum Imperiique Romani Reformatorem.

X. Aſſert. de libero arbitrio.

Them. XII. Emblema (10mum) Puſſendorffii de libero arbitrio ſuſpenſum me tenet, quod fraudem nimium texerit.

Si de Catholicis dicit.

1. Quin de Catholicis eam doctrinam finxerit, haud ſinunt ambigere ea quæ præcedunt & ſequuntur; adhæc prona ipſius per omnia opera ſua voluntas ad calumniandos Catholicos.

fallit.

2. Falli tamen ipſum ſummopere res eſt orbi nota. Idque oſtendunt tot Catholicorum labores pro vindicando adverſus hæreſes libero arbitrio tam in

inte-

interioribus, quam exterioribus actionibus.

3. Libertatem tamen arbitrii jam totam jam dimidiam negant variæ hæreſes. De quibus adeo ſi Puffendorffius hoc emblema intelligit, ei utraque manu ſubſcribimus, peſtilentiſſimam eſſe hanc doctrinam juri naturæ repugnantem, & ſanæ politicæ.

XI. Aſſert. de Votis religioſis.

Them. XIII. Undecimo themate videtur notare vota religioſa, præſertim Caſtitatis, quo fit illicitus certus uſus corporis. Si hoc intelligit, dico eum non modo hæreticam doctrinam defendere, ſed miſerrime cavillari. Si aliud intelligit, debuiſſet prodire in lucem is, qui plenis buccis peſtilentiæ incuſat alios.

1. Primum illud de hæreſi probare ſuperſedeo.

Dolus Puffendorffii.

2. Alterum paucis caſtigo. Nam ſi de jure naturæ ſcribit Puffendorffius, in quo à doctrina Chriſti abſtrahendum, cur nunc homines dedocet errorem, quem committunt, ipſius opinione, non tanquam homines, ſed tanquam *Chriſtiani*?

Fallacia.

3. Si Chriſtianos ut Chriſtianos corrigit, cur objicit putatitium peccatum, quod peccatum non tangit doctrinam Chriſti, ſed *iſtbanc mortalium conditionem*, ſeu ſtatum *quà humanum*? Adeo vix tria verba balbutit, quin duo in iis ſophiſmata abſcondat ſecum pugnantia.

Sophiſma imperitum.

4. Cur exprobrat *Chriſtianis* doctrinam ad *ſtatum civitatum* non accommodatam; is qui negotioſiſſime contendit, neque Civitates eſſe inſtitutas propter religionem, neque religionem Chriſtianam propter politias? Si meum iter non dirigitur Holmiam ſed Romam, cur me carpit, ſi Viennâ diſcedo ad Venetias, non ad Hamburgum?

Stolidus metus ex cœlibatu ſacerdotum.

5. Quid ſtolidius, quam dicere aut ſupponere, civitatem & mundum periturum, niſi omnes monachi uxores ducant? Quodſi ingrueret aliqua talis neceſſitas, interroget Pontificem, quid tunc eſſet permiſſurus monachis. Vel interrogaſſet ſaltem præteriti temporis hiſtorias, quid jam conceſſerit Papa in ejusmodi extremis eventibus? Quas hiſtorias cum non ignotaverit Puffendorffius, fraude uſus eſt.

Sophiſma.

6. Fallacia præterea latet in verbo *neceſſarios*, & in conſervatione civitatis. Falſum eſt quippe, neceſſarium eſſe connubium *omnium*. Falſum eſt, *conſervationem* civitatum ſitam eſſe tantum in *connubio* carnis: plurimi enim nubunt & ſunt ſteriles. Plurimi fœtus edunt, & non poſſunt educare: falſum denique, ſingulos homines obligari facere *omnia* ad civitatem neceſſaria; ſed aliis alia incumbunt.

XII. Aſſert. de connubio per ſe impuro.

Them. XIV. Duodecimum Sphalma Puffendorffii, niſi me ambiguitas fallit, iterum in Eccleſiaſticos &c. incurrit & monachos, & calumniatur, à Catholicis Connubium per ſe haberi impurum & illicitum. Sed eſt Sophiſticum, omnibus prope verbis.

Falſo effingitur Catholicis.

1. Repetit æquivocationem ſuam de *Neceſſitate* matrimonii, non diſtinguens inter abſolutam & hypotheticam &c.

2. Mentitur, ſi intelligit, Catholicam doctrinam eſſe, Matrimonium *per ſe* impurum & illicitum eſſe. Illicitum eſt poſt promiſſum DEO factum. Purum eſt *per ſe* matrimonium, per accidens impurum. Purum eſt matrimonium, ſed purior virginitas. *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, BENE facit; qui non jungit, MELIUS facit.* 1. Corinth. VII. 38.

3. Doctrina de impuritate matrimonii eſt hæreſis Joviniani, damnata ab Eccleſia ante 1400. annos. Doctrina de majore puritate Virginitatis celebris eſt & fuit apud plurimas gentes, quæ ſolo jure naturæ vixerunt.

XIII. Aſſert. de Pœnitentia, eleemoſynis.

Them. XV. Larvam (13tiam) Puffendorffius ſumpſit ad deterrendos Catholicos à Sacramento Pœnitentiæ, & à Satisfactione per eleemoſynas & alia. Eſt autem hæretica tota, Peſtilentiſſima & juri naturæ repugnans ipſius intentio: præterea cavillatur.

Calumnia.

1. Inſignis calumnia eſt, *citra emendationem* vitæ remitti peccata nos docere. Vel pueri nôrunt, Propoſitum ſerium emendandi niſi adſit, ſaltem implicite, confeſſione non modo non dimitti peccata, ſed novum ſacrilegium contrahi.

Daniel peſtilens eſt Puffendorffio.

2. Cavillus eſt, nundinari nos *peccata*, & *culpam* eleemoſynis velut pretio redimi docere. *Pœna* commerita, eaque non omnis ſed temporaria tantum redimi poteſt piis operibus, etiam pecuniis in eleemoſynas datis. Puffendorffio Daniel quoque Peſtilentiſſimus & infanus doctor eſt, qui juſſit regem gentilem peccata eleemoſynis redimere. Cap. IV. ỽ. 24.

Protervia.

3. Neque proterve dicere debuit, Juri naturæ hoc eſſe repugnans. Omnes enim gentes hoc ſtudium rationabile agnoſcunt, quarum ſententia longe prævalet huic cavillatori.

Eleemoſyna non eſt contra politicam.

4. Neque ſanæ politicæ adverſatur eleemoſyna, imo vehementer ad eam conducit: quod probatione nulla indiget.

XVII Aſſert. de communione Sanctorum.

Them. XIX Emblema Puſſendorffii decimum ſeptimum hæreticum eſt, tollens communionem Sanctorum in Symbolo Apoſtolorum expreſſam.

Nos ad illud confutandum nihil afferimus. Quodſi enim ſingula à Puſſendorffio peccata corrigere vellemus, non uno libro opus foret.

XVIII. Aſſert. de odio hæreticorum.

Them. XX. Quæ emblemate ſuo decimo octavo criminatur Puſſendorffius de *Odio* eorum, qui à noſtra religione diſſentiunt &c. falſa partim, partim cavillatoria ſunt.

Pœnæ non inferuntur ex odio.

1. Odium nullius hominis apud Catholicos licitum eſt, ſed ex doctrina noſtra odimus vitia, hominem diligimus. Nec qui pœnas infert, quales Imperator multas & graviſſimas ſtatuit in hæreticos, odiſſe homines dicendus eſt, ſicut non odit, qui furcas, rotas atque rogos parat furibus, prædonibus & veneficis. Hæc ſunt vel ruſticæ plebi notiſſima, quamvis non Puſſendorffio.

Religionem armis *defendere* fas eſt.

2. Religionem gladio eſſe *propagandam*, Turcarum eſt dogma, non Catholicorum, ſed propagatam adverſus vim *tueri* armis, fas eſt tam naturali, quam revelato jure: idque neceſſarium, utile, & laudabile eſſe S. Auguſtinus accurate demonſtrat tota prolixa epiſtola XCIII. olim 48. ad Vincentium, quem contra ſentientem, utpote *hæreticum ipſum* vel ſaltem ſchismaticum, probe confutat.

an Infidelibus ſervanda fides?

3. Diſputant aliqui, non, utrum ſervanda ſit fides iis, qui *diverſi* ſunt à religione *qualibet*, ſed qui ſunt alieni à *vera*, & infidelibus? Cumque ſint in utramque partem motiva, nullibi tamen definitum eſt hoc dogma à Pontificibus, vel Conciliis aſſertum & in doctrinam Catholicam redactum. Puſſendorffius hic ſibi ſumpſit auctoritatem definiendi. Equidem exiſtimo, parum utilitatis habituram definitionem.

Hæretici an vitandi?

4. In ultimo autem pulcre favet hæreſibus, Apoſtolo vero refragatur, qui præcipit, cum hæreticis & ſeductoribus *nec cibum ſumere*. 1 Corinth. V. ℣. 11. Quæ quousque ſe extendant, accurate & copioſe paſſim à noſtris doctoribus dudum ac ſæpe explicata ſunt, nec doctore Puſſendorffio indigebamus; qui certe unus eſt ex illorum numero, qui *vitandi* ſunt juvenibus, ob ſeductionis periculum, quod mendaciis & fallaciis ſuis inſtruit. Vid. Index librorum prohibitorum. Ceterum obſerva pulcrum Puſſendorffii Evangelium: Vitare convictum hominum hæreticorum Puſſendorffius hic docet eſſe opinionem *peſtilentiſſimam* & Juri naturæ repugnantem, *exterminandam*: Hæc autem eſt Doctrina Pauli & Evangelii: Ergo Puſſendorffius docet doctrinam Pauli peſtilentiſſimam &c. Nunquid Puſſendorffius idoneus magiſter eſt Catholicæ juventutis?

5. Cetera, quæ ſupra eo libro I. Puſſendorffii Cap. III. §. 4. allata ſunt, ſupra à nobis falſitatis convicta ſunt Themate XI.

Non omnes Larvatorum calumnias retulimus.

Them. XXI. Non hic omnes Puſſendorffii & aliorum hæreſes & in Catholicam Eccleſiam calumnias denudavimus. Superſunt multo plures, tum in ipſo tum in Heineccio & aliis, falſæ opiniones, & cavillationes maxime de Eccleſiaſtica poteſtate. Nobis vero id ſolum propoſitum fuit, fraudes ſaltem paucas indicaſſe, commiſſas autem in re capitali: Unde qui tam ſpurie ac perverſe tractavit res ſummi momenti, quid diligentiæ aut ſinceritatis exſpectes, ab eo in rebus levioribus?

CAPUT XIII.

Puſſendorffius vel caruit facultate recte ratiocinandi, vel ultro & animo decipiendi Cavillis inædificat res graviſſimas.

Them. I. Non eſt nobis propoſitum omnia hujus & ejus ſimilium ſophiſmata colligere; quod eſſet ingentis voluminis & non pauca jam Superioribus locis excuſſimus; ſed ſpecimen ſaltem dabimus cavillationum aut ignorantiæ in iis, quæ fundamentum deberent eſſe Juris naturæ Puſſendorffiani.

Fundamenta J. N. Puſſendorffiani.

Them. II. Fundamentum totius Juris naturæ Puſſendorffiani eſt *ſocialitas*: & finis totius illius Juris Naturalis eſt commodum ac *felicitas hujus vitæ*. Id quod paſſim tum in Jure naturæ, tum in Apologia & alibi in Analectis inculcat aut etiam gloriatur. Hæ ergo ſunt Ipſius Principales & fundamentales concluſiones, quarum evincendarum cauſa om-

ex præmiſſis verſatilibus ſophiſtice deducta.

omnem laborem inſupmſit. Oſtendendum ergo nunc eſt, has concluſiones eum deducere ex præmiſſis, quæ omnes aut ſunt manifeſto falſæ; aut ancipites & in utrumque verſatiles, ita ut æque contraria ex iis deduci valeant; aut alia ratione inſufficientes, perplexæ &c.

Præmiſſæ Puffendorffii ex quibus infert ſocialitatem.

Theem. III. Puffendorffius, ut præparet ſe ad *demonſtrationem* Socialitatis ſic præfatur Lib. II. Cap. III. §. 14. „ Nobis *nulla* via *propior* videtur, & „ magis oppoſita ad inveſtigandum jus „ naturale, quam *ipſam* hominis naturam, conditionemque & inclinationes *accuratius* contemplari: etſi in „ ea conſideratione *neceſſario etiam* ad „ alia, quæ *extra* hominem ſunt, *reflexio* ſit facienda; ac *imprimis* ad „ ea, quæ ad commodum aut incommodum *aliquod* eidem conciliandum „ *apta* ſunt.

Perplexus modus loquendi.

1. Hæc perplexa ſunt, nec ſapiunt methodum aut diſciplinam rationis: facileque poſſunt transferri ad contraria inferenda; contraria, inquam, Juri naturæ & *Socialitati* ipſi. Si *nulla* eſt propior via quam *ipſius* naturæ contemplatio; quæro, an ergo *reflexio ad exteriora* ſit æque propinqua via, an remotior? Sive ſit æque propinqua ſive minus propinqua, bonus logicus dixiſſet: Via ad inveſtigandum jus eſt contemplatio duplex: primo ac proxime contemplatio externorum.

Imperitia Logices.

2. Si ſic ut modo dixi intelligi poteſt Puffendorffii præambulum: recte habet: ſed rum male alio loco aſſerit, unicum tantum principium ſeu medium inveſtigandi Juris naturæ eſſe; cum hic ipſemet ſtaruat duo, interna & externa.

ſecum pugnans,

3. Quodſi vero Puffendorffii præambulum non ita eſt intelligendum, ſed contemplatio naturæ internæ, & externorum non eſt niſi unum proximum Principium; tum primo imperite locurus eſt. Nam illa contemplatio exteriorum *addenda* contemplationi interiorum neceſſario, eſtne principium idem vel diſtinctum? Si idem; ergo Puffendorffius jubet idem ſolum non ſufficere, niſi etiam idem *addatur* ſibi ipſi; quod eſt ſtolidum. Si contemplatio illa exteriorum non eſt idem cum contemplatione interiorum: ergo hoc ipſo jam ſunt duo principia inveſtigativa.

adhuc magis imperite

4. Sed hæc poſſunt leviora haberi, & eo tantum à nobis indicata ſunt, ut appareat, Puffendorffium methodi ac logices expertem fuiſſe, impetu pleraque effudiſſe, ac ſæpe neſciiſſe quid diceret in ipſis fundamentis inveſtigandis.

ut neſciret, quid diceret

5. Illud gravius eſt & periculoſum. *Præcipuam* reflexionem externorum ferri debere ad commodum & incommodum *ALIQUOD*: hoc fermentum totam maſſam corrumpit. Qui enim in limine non ſtatuit, quale commodum admittat, quale excludat, ſed indiſcrete *aliquod* commodum admittit eſſe debere præcipuum, is liberum facit omnibus, ut quiſque commodum tale pingat, quale in oculis ſuis eſt pulcrum, ſitque locus ampliſſimus bonis *apparentibus*; cum tamen tota Philoſophia in hoc potiſſimum occupetur, ut apparentibus bonis rejectis vera ſola triumphare poſſint. Epicurus igirur Puffendorffii ſententiam vertet ad commodum voluptatis, quia hoc eſt *aliquod* commodum: Stoicus vertet ad impatibilitatem, hæc enim eſt *aliquod* commodum, & ſic porro.

Puffendorffius rem in principio dubiam relinquit:

6. Aut enim eſt unicum tanrum commodum naturæ? aut ſunt plura *æqualia*? aut ſunt plura *inæqualia*, alia ſuprema, alia media, alia infima? Quidquid ſit horum, Puffendorffius erravit vehementer, cum principium inveſtigandi juris quærens indicavit *aliquod* ineptum ad diſcernendum: unde neceſſe eſt nullam ex eo demonſtrationem ſeu cognitionem Juris naturæ poſſe deduci; & inutilis eſt ejus omnis labor.

Nullo ſenſu poteſt juvari Puffendorffii imperitia vel fraus.

7. Ham ſi *unicum* eſt bonum naturæ, debebat dicere Puffendorffius hoc unum: & male dicit *aliquod*; quia hæc vocula eſt disjunctivæ ſignificationis, & exponitur per diſtributionem in plura ſubjecta ope particulæ *vel*, in hunc modum neceſſario jus naturæ agnoſcitur ex iis, quæ homini commodum afferunt *aliquod*, id eſt, commodum vel hujus vitæ vel alterius, vel utriusque; vel corporis vel animæ vel utriusque; vel ſummum, vel medium, vel infimum, vel omnia. Hæc ſunt primis Logices tyronibus tritiſſima, Puffendorffio autem ignorata.

Sive ſit unum bonum naturæ,

8. Si commoda naturæ propoſita ſunt plura *omnia æqualia*, tunc equidem bene diceret Puffendorffius, indeterminate *aliquod* conſiderandum. Eſſet enim perinde, utrum horum æqualium conſiderares, ex utro deduceres jus naturæ. Sed plura ſic æqualia eſſe, eſt falſum & everſivum totius juris naturæ. Igitur etiam ſic Puffendorffius quamvis non peccaſſet in logicam, peccavit tamen in naturam humanam, ponens principium anceps & indiſcretum, cum natura ipſa hæc probe diſcriminaverit.

Sive plura æqualia

9. Si

Sive plura inæqualia.

9. Si cnmmoda naturæ propoſita ſunt *inæqualia*, peccavit Puffendorffius dicendo *aliquod* commodum: ex hoc enim loquendi modo nulla venit notio inæqualitatis, nec ulla ratio ad aliud potius quam ad hoc contemplandum ſeſe applicandi, ex eoque jus naturæ derivandi.

Pejor iterum imperitia

10. Imo Puffendorffius revera non juſſit, conſiderari ipſa commoda, qualiacunque, ſed conſideranda juſſit *ea*, *quæ apta* ſunt ad commodum qualecunque homini conciliandum. Hic autem

& in malum omne prona.

ſermo eſt imperitus. Quid enim vult? Mox ut aliquid cognovero eſſe aptum ad commodum quodcunque mihi conciliandum; agnoſcone ex eo ſtatim, in illo *apto* eſſe ſitum jus naturæ? an, in illo commodo, quod ex re apta profluit, eſſe ſitum jus naturæ? an, ad illud aptum aut ad illud commodum me jus à naturæ habere? Nolo ego peſſima quæ hinc legitime ad injuſtitiam ſtabiliendam deduci poſſunt, nolo, inquam, ea jam deducere: hoc tamen utique liquet, plenam imperitiæ eſſe Puffendorf-

Fefellit promiſſa.

fii tractationem; & promiſſa fallentem. Prnmit enim proximam viam agnoſcendi juris naturæ, ſeu tale lumen, ex quo immediate appareret, quid ſit juris naturæ; & nunc tale affert lumen vel talem potius caliginem, quæ non ſolum nihil juris detegat, ſed æque eſt apta ad injuſtitiam eruendam.

11. Non poſſum præ ingenti faſtidio huic parti diutius immorari. Illud addo, Puffendorffium tamen & hic aliquid egregium dixiſſe: nempe contemplationem naturæ eſſe principium ſeu medium inveſtigandi juris naturæ: non tamen contemplationem qualemcum-

Bonam regulam dediſſet Puffendorffius.

que, ſed *ACCURATIOREM*. Hoc eſt, haud dubie, talem quæ ſaltem *præcipua* non omittat. Atat Puffendorffius cum poſt interjectas non niſi ſex

à qua illico defecit.

lineas ad hanc contemplationem inſtituendam ipſe progreditur, ſtatim ſuæ regulæ oblitus, in tota natura humana non niſi pauciſſima miſerabilia depre-

aut caruit ingenio,

hendit, omiſſis omnibus præclaris & præcipuis. Ergo aut non habuit ſufficiens ingenium ad iſtam contemplationem accuratius inſtituendam: atque ſic

contemptor aliorum;

debuit ab hoc ſibi labore temperare; nec alios omnes ante ſe, ipſumque Grotium contemnere, multoque minus magiſtrum ſe totius terrarum orbis præficere. Aut ſi habuit ſatis cerebri, &

aut voluntate peccavit, reus fraudis.

ſtudium magnum adhibuit, ac nihilominus præcipua omiſit, convictus eſt, ipſum voluntate peccaſſe, hominibusque pro veris, ſolidis & ſufficientibus principiis eruendi juris naturæ ultro ac data opera tantum expoſuiſſe vilia, & ancipitia, hoc autem eſſet publice agere ſeductorem.

Unde & à ſuis pro ſeductore eſt habitus.

12. Agnoſco hoc nec ſolus ego nec primus. Agnoverunt imo illud dudum ipſi Acatholici, qui Puffendorffium ſeductorem paſſim dixerunt. Agnovit nuper Heineccius, qui anteceſſores ſuos omnes, adeoque & Puffendorffium, pronunciat principia poſuiſſe nulla, incerta, & *DATA OPERA*, ideſt, animo decipiendi, omnia tenebris involviſſe. Vid. Them. XIV. Cap. VII.

Quatuor ſola in natura humana vidit Puffendorff.

Them. IV. Puffendorffius quatuor *tantum* in natura humana deprehendit, quæ ſint media aut via proxima ad inveſtigandum Jus Naturæ.

I.mo Amorem ſui maximum.

2. Summam egeſtatem propriam.

3. Aptitudinem ad commodum præſtandum.

4. Aptitudinem & appetitum nocendi.

Nihil omnino erga DEum invenit in homine.

1. Hic, etiam adhibita quam promiſit *ACCURATIORE* conſideratione *internorum & externorum*, nihil invenit Puffendorffius in humana natura & extra illam, quo homo ad DEum quomodocumque referatur: quod ante hac omnes exiſtimaveramus eſſe in homine præcipue conſiderandum.

2. Aut Puffendorffius agnovit aliquam in homine aptitudinem ad DEum? & reus eſt flagitii cum tacuit, in *accuratiori* conſideratione.

Itaque falſum dicit, cum dicit ſe jus naturæ à DEO derivare.

3. Aut tacuit ideo; quia exiſtimavit hanc aptitudinem hominis ad DEum nihil pertinere ad agnoſcendum jus naturæ? Et ſi ita eſt, manifeſtum eſt, ipſum jus naturæ revera non derivare à DEO. Itaque quoties verbis dicit, DEum eſſe auctorem juris naturæ &c. ſimulare videtur, & hunc verborum corticem tantum prætexere ad ſpeciem.

Syllogiſmus, quo conſtat Puffendorffii doctrina.

4. Hoc enim Syllogismo ejus doctrina comprehenditur: Jus naturæ proxime agnoſcitur ex natura, conditione & inclinationibus hominis; & neceſſario etiam ex iis quæ extra hominem ſunt. Natura, conditio, & inclinationes hominis accuratius examinatæ conſiſtunt tantum in his quatuor: Ergo Jus naturæ agnoſcitur proxime ex his tantum quatuor. At inter ea quatuor non eſt conditio, aut inclinatio ad DEum: Ergo ex inclinatione ad DEum non agnoſcitur jus naturæ. Jus autem naturæ incognitum hominem non obligat: Igitur jus, quod ex relatione ad DEum oriretur, non obligat hominem. Quoties ergo Puffendorffius ait, Jus naturæ à DEO proficiſci, loquitur contra mentem; quia per ejus principia

non

Digitized by Google

non poteſt agnoſci ullum jus à DEO ortum; cum non detur medium tale jus agnoſcendi.

Excuſatio vana: à DEO tantum abſtrahi: non excludi eum.

4. Neque juvat Puffendorffium, ſiquis excuſet: aptitudinem ad DEUM à contemplatione naturæ non poſitive excludi, ſed tantum ab ea abſtrahi. Nam 1. Contemplatio naturæ humanæ in ordine ad inveſtigandum ius naturæ debet juxta regulam Puffendorffii eſſe *ACCURATIOR*. Accuratior contemplatio non eſt, quæ præcipua quidem non poſitive excludit, ſed tamen ea *omittit:* Præcipuum autem naturæ humanæ eſt relatio ad DEum: Ergo ne abſtrahi quidem poteſt in *ACCURATIORE* naturæ contemplatione à relatione ad DEum.

Qui accuratior eſt præcipua non omittit.

Excuſatio vana, DEum aliunde ſupponi.

5. Neque juvat dicere, DEum aliunde ſupponi ex Theologia, hic autem tantum inquiri principia *JURIS NATURÆ* ut ſunt propria & domeſtica ipſi juri naturæ. Hoc enim videtur dicere velle Puffendorffius §. 13. his verbis: *Indolem demonſtrationis intelligentibus facile patet, Principia non ſolum neceſſario vera & prima eſſe debere, ſed etiam PROPRIA ET VELUT DOMESTICA HUIC DISCIPLINÆ, de qua inquiritur, & ita perſpicua, ut animus percepta ex illis aſſertionis cauſa placide acquieſcat, nec ulterioribus probationibus immineat. Contra quam legem genuina rectæ rationis dictamina eliciendi impegerunt illi, quorum fundamenta juris naturalis hactenus diſcuſſimus &c.* Diſcuſſerat autem & rejecerat illos, qui jus naturæ deducunt ex SS. Litteris §. 13. initio, & §. 5. Item diſcuſſerat & rejecerat illos, qui principia juris naturæ deduxerunt ex voluntate DEI, virtutes juſtitiæ & veritatis in mundi regimine exercere volentis §. 12. Item ex moribus omnium aut plerarumque gentium §. 7. 8. 9. Ideo igitur repellit hæc, quia non ſunt intranea & domeſtica diſciplinæ Juris naturæ, ſed ad Theologiam vel neſcio quo pertinent.

Nam inclinatio ad DEum non eſt extranea naturæ humanæ.

6. Verum hoc effugio nihil juvatur Puffendorffius. Nam ex ipſius regulis proxima Principia cognoſcendi juris naturæ, adeoque intranea & domeſtica ſunt inclinationes & natura & conditio hominis: Ergo ſi datur aliqua inclinatio & conditio hominis ad DEum, hæc inclinatio non eſt extraneum ſed intraneum principium agnoſcendi juris. Ergo, qui profitetur Jus naturæ declarare ex Principiis domeſticis, debet illud declarare ex inclinatione ad DEum; & quidem præcipue, ſi hæc inclinatio eſt præcipua in homine. Qui vero ſtatuit, ex inclinationibus hominis deducendum eſſe Jus naturale, & tamen illud jus ex inclinatione ad DEum non deducit, ſed tantum ex ceteris inclinationibus, ille videtur inclinationem naturæ humanæ ad DEum ſincere ſaltem non admittere.

quam tamen Puffendorffius videtur non admittere.

Quamvis expreſſe de DEO loquatur.

7. At inquies, Puffendorffius proteſtatur non ſemel, ſe Atheum non eſſe, dicit mundum à DEO conditum eſſe & gubernari, idque ſana ratione certo conſtare: ergo maligne tantus vir infamatur.

Contra ſua met principia.

℞. 1. Verbis dicit, rebus & regulis ſuis negat. Nam ſi ratione ſana naturali conſtat, DEum eſſe gubernatorem, atque adeo legislatorem ſeu fontem juris naturalis, tunc ex regula Puffendorffii via ad hoc agnoſcendum proxima eſt, inclinatio hominis & conditio ad Deum: at Puffendorffius inter conditiones & inclinationes hominis, è quibus jus naturæ cognoſcatur, nullam poſuit inclinationem aut conditionem ad DEum: Ex regula igitur Puffendorffii DEum eſſe gubernatorem mundi adeoque legislatorem non conſtat ratione. Et Puffendorffius duo contradictoria loquitur: Ratione conſtat DEum eſſe legislatorem noſtrum: Ratione non conſtat DEum eſſe noſtrum legislatorem. Hoc poſterius ſequitur ex ipſius Principiis & regulis, adeoque *ſerio* illud dixit: illud alterum dixit ſine probatione, neque ex regulis ejus hoc ſequitur: ergo illud prius de DEI gubernatione dixit tantum *ſimulatorie* non *ſerio*. Vid. Cap. XI. Them. XXIII. & Cap. X. Th. VIII.

contradictoria.

Non tamen illum atheum dico.

℞. 2. Neque ego Puffendorffium atheum dixerim. Sed principia ejus lubrica accuſo, quæ talia ſunt, ut & ipſa atheiſmo ſint affinia, & auctorem in ſuſpicionem adducere valeant, & tyronibus aut pravis anſam faciant. Ergo ſaltem incaute poſita.

Ex principiis Puffendorf infertur Jus Nat. non niſi caninum vel boum.

Them. V. Ex quatuor prædictis conditionibus hominis, quas ſolas Puffendorffius ſtatuit pro proximis mediis agnoſcendi Juris naturæ, neutiquam poteſt inferri aliud jus quam canum, boum, & urſorum.

Oſtenditur applicatione.

1. Canis (1mo ſumme amat ſeipſum, omniaque agit, ut ſe conſervet. Idem (2do cum editur in lucem, eſt ſumme egenus, ita ut pereundum ipſi ſit. Idem (3tio aptus eſt ad commodum præſtandum catulis ſuis, ipſique adeo homini. Idem (4to habet appetitum nocendi, mordendi &c. Sed hæ inclinationes in homine exiſtentes ſunt proxima via ad agnoſcendum jus naturæ: ergo eadem ſunt proxima via agnoſcendi juris naturæ canini.

Ab imperitia non poteſt excuſari Puffendorf.

2. Si dicit Puffendorffius, in homine aliquid aliud præterea ſupponi, ut jus naturæ inveniatur; ſequitur hæc quatuor non facere ad ullum jus naturæ inveniendum; ſed illud ſolum, quod præterea ſupponi dicitur, viam eſſe ad inveniundum jus naturæ: cum per hæc quatuor non inveniatur Jus, ſed caninum aliquid.

utcumque temperet ſua dicta.

3. Si dicatur, Puffendorffium non intelligere iſta quatuor in homine ita crude ſed cum aliquo temperamento. Nempe amorem ſui talem, qui aliquando ſciat cedere amori alterius. Egeſtatem, quæ à nativitate potiſſimum regnet, paullatim autem fiat minor. Aptitudinem ad commoda præſtanda non qualiacunque, ſed humanæ naturæ convenientia. Denique appetitum nocendi circumſcriptum metu, ne alius mihi æque noceat. ℞. Hæc eadem inveniri in cane. Vidimus canes amore heri ad ejus occiſi cadaver morientes; & quotidie videmus canes pro heri defenſione objicientes ſe gladiis. Catulus à matre aliquamdiu lactatus nec ipſe eadem eſt egeſtate qua prius. Canis item non perpetuo nocere tantum cupit, ſed multoties à noxa abſtinet metu verberum.

Circulus vitioſus Puffendorf.

4. Quod hutem tertio loco dictum eſt de poteſtate commoda præſtandi non qualiacunque ſed ea tantum quæ homini conveniant; illud aut rem deducit in circulum, aut cogit Puffendorffium mœnia ſua dirucre, & extra hortos ſuos quærere aliquod principium inveſtigandi juris naturæ, adeoque fateri, male ſe muniviſſe male conſeviſſe hortos ſuos, & ineptum eſſe ſe ad Jus naturæ docendum. Nam aptitudo ad commoda ſimpliciter non eſt idonea ad cognoſcendum jus naturæ, ſed fit idonea per convenientiam cum natura humana: Sed convenientia naturæ humanæ eſt tantum in illis quatuor, quæ ſola per *accuratiorem* contemplationem inveniri poſſunt: Ergo aptitudo ad commoda ſimplicirer ad jus noſcendum idonea fit per illa tantum quatuor nempe amorem, egeſtatem, nocendi vim, & maxime per aptitudinem ad commoda ſimpliciter: adeoque aptitudo ſimpliciter non idonea ad jus fit idonea per ſe ipſam.

oſtenditur.

Ut circulum evitet, debet ſibi repugnare.

5. Quodſi vero convenientia illa, reddens aptitudinem commodorum idoneam ad agnoſcendum jus, non reperitur in illis quatuor, ſed aliunde extra naturam humanam eſt accerſenda, Puffendorffius Jus naturæ non deducit ex principiis domeſticis, peccat in ſuasmet leges, & peccat idem quod aliis exprobrans aſinos illos dixerat.

aut fateri ſocordiam, aut hebetudinem, aut nequitiam.

6. Quodſi convenientia illa reperitur in natura, & tamen Puffendorffius tantum quatuor poſuit, quæ inter non eſt hæc convenientia, ſequitur eum aut accuratius non contemplatum fuiſſe naturam per ſocordiam; aut ei contemplandæ imparem fuiſſe per ingenii debilitatem; aut id quod reipſa detexerat omiſiſſe ac ſuppreſſiſſe per malitiam.

Ex amore ſui Puffend. non recte infert. J. N.

Them. VI. Puffendorffius ex prima rota quadrigæ ſuæ non poteſt inferre jus naturæ ſeu legem naturalem: nempe ex amore ſui quam maximo.

Sophiſma

1. Ex hac propoſitione: Homo quam maxime amat ſe ipſum; Infert Puffendorffius: Ergo lex naturæ & obligatio fundamentalis eſt hæc: *cuilibet homini, quantum in ſe, colendam & conſervandam eſſe pacificam adverſus alios ſocialitatem, indoli & ſcopo generis humani in univerſum congruentem.* §. 15. dicto cap. III. L. II. Hæc conſequentia falſa eſt. Et argumentum Sophiſticum eſt ſimile huic: Homo quam maxime cupit & poteſt nocere aliis: ergo lex fundamentalis & obligatio hominis eſt omnes alios perdere. Vel huie: Homo quam maxime eſt rationativus, dialecticus & mathematicus: ergo lex fundamentalis eſt hominem alios docere Matheſin. Vel huic: Ego me poſſum veſtire: ergo ſum obligatus veſtire alios. Vel denique huic: Canis eſt conſervandi ſuis ſtudioſiſſimus: ergo lex fundamentalis canum eſt ſocialitatem ad alios colere &c. Vel huic etiam: homo quam maxime cupit famem ſuam ſedare; ergo lex naturæ fundamentalis eſt, præbendum eſſe cibum aliis.

Nec amor ſui *moralis* recte infertur.

Sophiſma

2. Imo nequidem obligatio moralis amandi *ſeſe ipſum*, nedum alios legitime infertur ex prima hac rota, ſed tantum aliqua neceſſitas cæca & phyſica.. Male colligitur ſic: Homo habet amorem ſui maximum: ergo eſt moraliter obligatus amare ſe. Sicut male colligeretur: Homo habet gravitatem ſeu tendentiam ad centrum: ergo eſt moraliter obligatus tendere deorſum: ergo per tendentiam deorſum fit juſtus.

Vanum effugium.

3. Quodſi Puffendorffius dicat, ſe intelligere in antecedente, Amorem ſui non phyſicum ſed moralem: quæro an per ſe ſit moralis, an per aliquid aliud? Si per ſe, ſequuntur omnia, quæ diximus mox. Si per aliud, illud debet poni, pro principio, non amor nudus. Sicut cum dico: homo eſurit & comedit: ergo moraliter eſt obligatus eſurire & comedere. Fames & comeſtio poſſunt fieri morales per aliud, per ſe non ſunt: Sicut amor ſui poteſt fieri moralis per aliud, per ſe non eſt: Fames enim non

eſt

eſt id, quod moraliter obligat hominem ad ſumendum cibum; ſed ſervitium creatori Domino ſummo jubenti exhibendum hoc ſane eſt id quod moraliter obligat ad cibum: moralis enim obligatio à lege eſt, lex à ſuperiore & Domino. Stat ergo, Puffendorffium poſuiſſe viam, per quam ad jus naturæ non poteſt veniri.

Se ipſum Profligat Puffend.

4. Ipſe Puffendorffius eodem loco, quo incipit de amore ſui loqui, ſic ſcribit: *Id igitur primo homo habet COMMUNE CUM OMNIBUS ANIMANTIBUS, queis ſenſus ſui ineſt, ut ſe ipſum quam maxime amet, ſeipſum ſtudeat omnibus modis conſervare &c.* Et quomodo ex re cum *omnibus animantibus communi* mox §. 15. infert legem naturalem eſſe *ſocietatem SCOPO GENERIS HUMANI CONVENIENTEM?* An convenientia illa eſt homini communis cum omnibus animantibus? an ab illis diſcrepans? Si eſt communis cum animantibus; non poteſt ex communi inferri aliquid diſcrepans. Si eſt diſcrepans; debet aliunde quam ex amore ſui doceri diſcrepantia, quia in amore ſui homo non diſcrepat ab animantibus ſed convenit. Imo ex hoc argumento longe alia lex naturæ infertur in hunc fere modum: quæ amant ſeſe maxime tenentur lege fundamentali Societatis: ſed homo non magis quam animantes amant ſeſe maxime: ergo homo non magis quam animantes tenetur lege fundamentalis ſocietatis.

valde imperite.

5. Suo denique ſe gladio confodit Puffendorffius. Fallaciæ incuſat Hobbium, qui ex *utilitate* amoris & conſervationis propriæ concludit ejusdemmet *obligationem*. Sic ait: Ex *demonſtratione* Hobbii *liquido conſtare, ſaluti hominum EXPEDIRE, ut ab hominibus juxta iſta rationis dictamina vita agatur: Non tamen ſtatim ita concludi poſſe: JUS eſt: homini iſta media ad ſui conſervationem adhibere; ergo & ad eodem obſervanda velut EX LEGE ALIQUA tenetur.* Puffendorffius etiam ex utilitate ſe ſolum conſervandi negat ſequi neceſſitatem legalem. Et tamen antea ex ſola diſpoſitione phyſica concluſit legem fundamentalem. Hæc ille §. 16. ſub initium.

Ex egeſtate hominis male deducitur Jus Nat.

Them. VII. Altera rota Puffendorffianæ quadrigæ, nempe *ſumma egeſtas*, æque eſt infirma.

Quia eſt animantibus communis.

1. Illa egeſtas eſt homini cum animantibus ſaltem plerisque communis. Ex communi autem pluribus non poteſt inferri proprium uni tantum. Jus autem naturæ homini debet eſſe proprium, ſecundum ipſum Puffendorffium.

Paradoxum ſophiſma.

2. Mirabile ratiocinium: Homo eſt ipſe ex natura ſua omnium egenus: ergo debet alios juvare? Homo eſt ipſe ignorans: ergo debet alios docere. Ipſe eſurit: ergo debet alios paſcere. Ipſe caret robore ergo debet alios roborare. Ipſe eſt cœcus: ergo debet ducere alios æque cœcos.

Non ſanatur excuſatione.

3. Ait forte Puffendorffius: Non infertur ſic: Homo eſt egenus; ergo debet juvare: ſed ſic: Homo eſt egenus: ergo debet juvari, & quidem ab hominibus.

℞. Primo Puffendorffius vere facit illationem à nobis exploſam: nam ex egeſtate hominis infert, legem fundamentalem eſſe, *colere ſocietatem erga alios.*

quæ eſt novum ſophiſma.

℞. *Secundo.* Ne hæc quidem poſterior Puffendorffii illatio valet: Homo eſt egenus: ergo debet juvari *per hominem.* Eſt enim in concluſione aliquid quod non erat in præmiſſis, & quod eſt in quæſtione. Quæritur enim: an jure naturæ ſit obligatus homo ad juvandum homines alios, vel an homo habeat jus ad petendum auxilium aliorum hominum? Equidem homo indiget ope, & hæc indigentia eſt phyſica ſicut indigentia canis: Ergo homo *moralem* neceſſitatem poteſt imponere alteri homini, ut ſeſe juvet? Si hoc ſequitur, ſequetur etiam, canem vi ſuæ egeſtatis phyſicæ poſſe imponere moralem neceſſitatem alteri cani ad ſe juvandum, vel ſaltem homini.

& tota ſeges ſophiſmatum.

4. Multa alia ſophismatum ſeges latet in hoc Puffendorffii diſcurſu. Ut, homo eſt egenus opis: ſed canes & equi poſſunt opem præſtare homini: ergo fundamentalis lex naturæ eſt colendam ſocietatem erga canes & equos. Iterum: homo indiget ope, & quidem ope veniente ab homine, quod Puffendorffio ex gratia permittamus, quid ſequitur? Ergo debet ſocietatem *omnibus hominibus* convenientem colere? Licetne ab particulari collectionem facere ad univerſale? Si unus homo non poteſt vivere in terra, addatur ei alter à quo juvetur, quæ mihi demonſtrabitur neceſſitas ſaltem tertii adjungendi? Item eodem modo inferetur jus aliquod caninum, quia ſocietas Canum debet congruere generi Canino.

De moroſſitum ſilentium Puffendorffii.

5. Homo, ait, eſt animal ineptum ſervari ſine ſui ſimilium auxilio: ergo Societas ſimilium eſt neceſſaria homini. Eſto, donemus Puffendorffio hoc totum, idque gratis: nam poſſunt omnia negari, eaque ægre demonſtrabuntur.

Digitized by Google

Verum non id jam agitur, quid *neceſſarium* ſit homini ad ſe ſervandum? eſt enim neceſſarius cibus & potus, & aër & ſomnus, & motus & quies. Hoc vero quæritur, quodnam ſit *Jus*, ſeu quæ *moralis neceſſitas*? De qua altum ſilentium in demonſtrationibus ac principiis nugatoriis & profanis Puffendorffii. Hoc unum erat demonſtrandum: hoc unum indemonſtratum reliquit. Ait quidem poſtea, obligationem ex DEO oriri: ſed id ex quatuor his ejus principiis nullo modo agnoſci poteſt. Igitur aliunde illud aſſumpſit, nec ſerio. vid. Them. XXIII. Cap. XI.

6. Denique ſi homo eſt *omnium* ac *ſumme* egenus, & jus naturæ ei pro remedio quæritur, tale debet quæri, quod ei in *omnibus* & in *SUMMIS* ſubveniat Puffend. Societas ei ſubvenit in *PAUCIS* & *PARVIS*. Non autem ſubvenit ei in altioribus; non animæ à corpore ſolutæ; non denique ultra ſortem pecudum.

Item ſi juvanda eſt hominis ſumma egeſtas, non illi pro adjutorio aſſignanda eſt aliorum egeſtas æque ſumma: ſed auxilium ab eo adſciſcendum, in quo nulla egeſtas ſed vera ac mera potentia eſt.

7. Quod ſi occurreret Puffendorffius ſic: Ego homini egenti auxilium peto ex alio homine, non inquantum ille alius æque egenus eſt, ſed in quantum ille eſt potens: v. g. homini eſurienti peto cibum ex alio homine, non quatenus ille alius eſt pariter eſuriens, ſed quatenus cibo abundat.

Nam ſi ita intelligitur Puffendorffius, nondum tetigit principium. Homini enim uni non convenit *ex ipſa natura*, egere cibo, alteri vero eodem abundare; ſi enim hoc ex natura conveniret ſemper alius egeret, alius abundaret; ſed hæc contingunt aut per accidens, aut alia cauſa. Igitur Puffendorffius non deducit ſuam ſententiam ex ipſa natura, ſed ex accidentibus cauſis, quas ipſe ignorare vult.

Aptitudo ad commoda præſtanda.

Them. VIII. Tertia Puffendorffiana rota de maxima aptitudine humana ad commoda, male currit.

Sophiſtice parit J. N.

1. Homo maxime *idoneus* eſt ad præſtanda commoda alteri: ergo eſt *obligatus* jure ea præſtare. Argumentum eſt ſophiſticum ſimile huic: Homo maxime eſt idöneus ad loquendum, canendum articulate, dimetiendum, poëmata facienda, equitandum, navigandum, diſputandum &c. Ergo jure naturæ eſt ad hæc ſingula obligatus. Vel: Homo maxime eſt idoneus ad nocendum alteri homini: ergo jure naturæ eſt obligatus ad nocendum aliis.

Amphibologia

2. Vocula *maxime* eſt ambiguæ poteſtatis. *Maxime idoneus* poteſt (1 ſignificare aptitudinem talem hominis, ut alia major aptitudo in eo non ſit. Et hoc ſenſu eſt falſa Puffendorffiana. Vel *maxime idoneus* (2 ſignificat valde magnam aptitudinem, ſic tamen ut poſſit dari alia major: Et ſic nihil ſequitur; quia obligatio neceſſaria & juſtitia non poſſunt inferri ex qualibet aptitudine. Vel *maxime idoneus* poteſt referri (3 ad alias naturas, ita ut homo præ aliis naturis poſſit prodeſſe homini. Et hoc ſignificatu rurſus nihil juris præſtandi infertur; ſicut, quod homo præ aliis naturis ſit aptus ad diſputandum, arteſque exercendas, non infertur neceſſitas moralis hæc exercendi.

alia amphibologia

3. Illud etiam in ambiguo eſt, an *præ omnibus* an *præ aliquibus* tantum naturis homo ſit aptus ad commodandum aliis. Unde videas omnia, quæ ad probandum aſſumit Puffendorffius in ancipiti eſſe poſita & in varios ſenſus trahi poſſe, & falſos & veros: & ex tam ancipiti principio Puffendorffius

periculoſa

vel alius homo ratiociniorum rudis trahit unum tantum, quod propoſitæ ſibi phantaſiæ eſt commodiſſimum, nihil curans cetera.

fruſtra emendatur.

4. Quod ſi argumentum aliter enuntietur, aliter etiam cavillus ſe prodit. Homo eſt idoneus accipere commoda ab aliis, maxime vero & præ ceteris ab hominibus: ergo lex hominis fundamentalis eſt colere ſocietatem aliorum hominum. Hoc argumentum non differt à priori: nam eadem ſunt hæc: Homo aptus eſt maxime ab hominibus accipere commoda; &: Homo maxime aptus eſt exhibere commoda homini. Sicut hæc duo idem ſunt: Ego aptus ſum ut præ aliis cibis nutrimentum accipiam à pane: &, Panis præ aliis cibis aptus eſt ad nutrimentum mihi præbendum.

Sicut ergo ex argumento priore modo enuntiato non infertur jus naturæ ita nec ex poſteriore. Et ſicut priora enunciata ſunt ambiguæ poteſtatis, ita etiam poſteriora enuntiata manent talia.

Sophiſma aliud

6. Accedit & alia ambiguitas & fallacia. Puffendorffius ſic loquitur. *Manifeſtum eſt, poſt divinum Numen homini non plus ſubſidii atque ſolatii poſſe accedere, quam ab aliis hominibus.* Cõmoda, quæ homo ab homine accipit, majora ſunt commodis illis quæ homo ab aliis naturis accipit, poſt DEUM. Quid ſequitur? Ergo homo eſt *obligatus* prodeſſe aliis? Si hoc legitimum eſt, legitimum erit & illud:

Com-

Commoda, quæ equus accipit à Stabulario, póſt herum majora ſunt commodis, quæ accipit à canibus, capris &c. ergo equi lex fundamentalis eſt colere ſocietatem ſtabulariorum.

DEI mentio fit ad ſpeciem.

7. Quod vero duobus verbis addit, *poſt divinum numen*, nugatur, & extra rhombum à ſemet deſcriptum ſaltat. Qui enim in natura humana *accuratius* conſiderata nullam deprehendit conditionem aut inclinationem, aut eſſentialem relationem ad DEUM, quomodo, cùm jus naturæ ex his tantum deprehenſis conditionibus inferendum docet, nunc ſubito mentionem facit DEI? SI pertinet DEUS ad commoda hominis, ſi ad eſſentiam, & quidem pertinet præ aliis ac præ hominibus: ex hac pertinentia ex hac relatione conditione ac inclinatione demonſtrandum fuit jus naturæ, non ex quatuor illis miſerabilibus & in bonum ac malum verſatilibus principiis. Quidquid ergo ſit de animo malo Puffendorffii, cujus cum ſe oppido ſuſpectum fecerit, damnare tamen eum nolim; illud certum eſt, ruditer eum in jure naturæ & præcipue in illius fundamentis fuiſſe verſatum: cui ruditati, ut fere fieri ſolet, addidit ſtolidam jactantiam & intolerabilem aliorum omnium præ ſe contemptum.

Ruditas noxia detegi debet.

Mallem mitiora de homine loqui, neque hæc convitii cauſa dico; ſed quoniam ipſius ruditas aliis nocere poteſt, detegenda magis magiſque eſt; nec convitium eſt cum ſcapham ſcapham, ficum ficum nomino.

Amor ſui cum commodis alienis male cohæret.

Them. IX. Hæc rota tertia *commodorum alienorum* non bene cohæret cum rota prima *amoris ſui ſupra alios.* Igitur inter ſe pugnantia non bene junguntur ad unum tertium inde deducendum, nempe jus naturæ.

Hic duo nobis oſtendenda ſunt: *Primum*, hæc duo per ſe non cohærere, ſed potius pugnare. *Secundum*, à Puffendorffio nihil afferri ex principiis humanæ naturæ, quô hæc pugnantia concilientur, adeoque ejus principia ſemper manere pugnantia. Ex pugnantibus autem principiis non poteſt ſequi concors & vera doctrina.

Quod ipſe Puffend. fatetur.

1. Quod ad primum attinet, ipſe Puffendorffius agnoſcit hanc pugnam. Nam §. 15. eodem ſic ſcribit: *Nos dum ſociabilem eſſe DEBERE hominem tradimus, ei non ſuum bonum ab aliis diſtinctum pro ſcopo habendum, ſed & ceterorum innuimus; nec ulli commodum ſuum cum oppreſſione aut neglectu reliquorum QUÆRENDUM, nec ſuiquam ſuam felicitatem SPERANDAM, ſi alios negligat, aut INJURIIS laceſſat.*

2. Hæc omnia plena ſunt fallaciarum, & non cohærent. Etenim aſſerit hominem *debere* ſeu obligari *neceſſario* eſſe ſocialem: quod tamen ex principiis ab eo poſitis neutiquam ſequitur: ergo falſo aſſerit; ut hactenus abunde probavimus. Copia Sophismatum.

3. Deinde cum *debitum* morale beneficiendi aliis ſine ratione ſtatuiſſet, mox ſtatuit *debitum* benefaciendi ſibimet, non attento debito benefaciendi aliis: quia admittit juſtum aut debitum amorem ſui *præ omnibus aliis.* Ait enim §. 14. *Iſte quidem cujuslibet erga ſe ipſum amor REGULARITER tam validus eſt, ut QUÆVIS inclinatio erga QUEMVIS alium hominem ipſi CEDAT.* Igitur regularis eſt amor, qui ſuum bonum proprium adeoque diſtinctum præponit omnium aliorum bono, quique inſuper habet bonum aliorum, ut ſuum obtineat. Idcirco quando centum homines ſunt in eadem navi, regulariter facio, ſi meam vitam à ceterorum vita diſtinctam ſervem neglecta vita nonaginta novem ceterorum. Hæc autem pugnant: *Debeo præponere* meum bonum ſeparatum bono omnium ceterorum: & *debeo* ſimul meum bonum *non præponere*; vel ſaltem præter meum bonum etiam æqualiter quærere bonum alterius. Sicut ſi debeo præcedere famulum meum, & ſimul debeo ipſum comitari. rale condi- latorum. & in contradictione abeuntium.

4. Si jam prior poſitio vera eſt: *debeo* meam vitam præponere vitæ Pauli; quomodo convincetur falſa eſſe poſitio hæc: *debeo* ad ſervandam vitam meam negligere vitam Pauli? Regulariter enim electio & aſſecutio unius præ alio conſiſtit in amplexu unius, altero neglecto; ſicut qui oblatis ſibi duobus equis cum album eligit, fuſcum practice negligit. que conciliari nequit.

5. Eandem difficultatem pervidit quidem Puffendorffius §. 16. ſic ſcribens: *Primo obſervandum fuerit, amorem proprium & ſocialitatem haud quidquam ſibi invicem opponi DEBERE; ſed potius ita temperandas eſſe* (hoc eſt, temperari *DEBERE*) *eas inclinationes, ut ne per illum hæc perturbetur aut evertatur. Iſtud TEMPERAMENTUM ubi per ENORMEM libidinem fuerit abruptum, & quisque ſuum commodum quærere inſtituat cum læſione aliorum, enaſcitur quidquid eſt turbarum, quo genus mortalium invicem colliditur.* Fatetur eas inclinationes *ex ſeſe oppoſitas* eſſe; agnoſcit autem neceſſitatem Difficultatem agnovit Puffend. & faſſus eſt pugnam ſuorum principiorum.

ſeu *debitum* ad efficiendum, ne practice opponantur. Agnoſcit inſuper *neceſſarium* eſſe aliquid, per quod hæc duo contraria temperentur & per quæ efficiatur ne pugnent. Agnoſcit denique, *ſi deſit* illud neceſſarium, aut non ſit potens, aut non applicetur, pugnam illam adeo manere ac perſiſtere, ut omnem effectum ſuum hæc pugna ſortiatur; nempe omnes turbas generis humani, atque adeo everſionem ſocietatis humanæ, id eſt fundamentalis legis naturæ. Igitur eum fateri neceſſe eſt, has duas inclinationes ſine addito alio tertio tales eſſe, ut *per ſe tendant ad jus naturæ evertendum*. Et quô tandem Ingenio ex ſolis his duabus inclinationibus gloriatur ſe inveniſſe ac evidenter demonſtraſſe jus naturæ? ceteros vero omnes, qui his principiis uſi non fuerint, Bœotos fuiſſe & aſinos?

ex qua omne jus naturæ peſſumdetur:

6. Alterum à nobis demonſtrandum hoc eſt, Puffendorffium nullum inveniſſe medium ad hæc pugnantia ſua principia concilianda. Nam ſtatim poſtquam hanc pugnam ſuorum principiorum ſatſus eſt, & ei pugnæ neceſſarium eſſe aliquid, per quod temperentur & cohibeantur, agnovit in verbis numero ſuperiore adductis; continuo ſubjungit ipſe illud medium temperans, his plane verbis: *Quæ* (turbæ nempe hominum generi ex illa pugna orituræ) *ut declinentur, ipſa ſalutis propriæ cura jubet ſocialitatis leges obſervari; quippe cum illa citra hanc firma ſubſiſtere nequeat.* Quod idem eſt, ac dicere: hæc duo pugnantia, nempe cura ſui præ aliena, & cura aliena cum propria, debent temperari per ſe ipſa. At hæc ſi per ſe ipſa temperari poſſent, non pugnarent. Cum igitur per ſe pugnent, per ſe non ſufficiunt ad pugnam ſuam tollendam. Egent igitur re alia, nec qualicunque, ſed quæ fortior ſit utraque. Puffendorffius autem ineptus fuit qui nullum plane temperamentum potuit aſſignare. Et quæro: utrumne ex his ambobus erit temperans, utrum vero temperatum? An amor ſalutis propriæ debet temperare amorem alienum? & ſic amor alienus erit tantum ſubjectus, amor vero proprius erit princeps & regula: adeoque in amore hoc proprio conſiſtet lex fundamentalis naturæ, non in alieno. An vero amor alienus debet temperare amorem proprium? & ſic amor proprius erit ſubjectus, amor alienus erit lex. An uterque debet ſimul & ſemper eſſe temperans, & ſemper temperandus? Et hoc repugnat. An modo amor prius debet habere partes ſuperiores, modo amor alienus? Si ita eſt, quis dictabit hodie amori proprio, ut frænum patiatur, cras ut ſceptrum ipſe teneat? An ſortientur inter ſe? An caſui rem permittent? An ex diphtera & fato cæco ferentur? An præliabuntur inter ſe, donec alter feſſus ab arena diſcedat? Loquatur Puffendorffius. Jam enim opus nobis eſt doctore. Hoc ſolum eſt, quod in toto jure naturæ quæritur: quæ eſt illa regula, quæ vis, quæ ratio, ad obſequium ducens & conſtringens rebelles voluntates & paſſiones? Hoc ſolum qui dicere neſcit, etſi de reliquis bibliothecas impleverit, Jus tamen naturæ minime attigit.

Nihil tamen invenit, quo pugna componeretur.

7. Agnoſcit præterea Samuel ſupra n. 5. hoc utriusque amoris temperamentum mutuum abrumpi poſſe per lubidinem non qualemcunque ſed *enormem*. Igitur debet agnoſcere *normam* aliquam, quæ comprimat, ne enormis fiat. Si agnoſcit, eamque non indicat, non invenit nec indicavit Jus naturæ, quod jus naturæ haud dubie eſt illa norma ſuperior. Si jus naturæ non invenit ex ſuis principiis, principia poſuit falſa & inidonea: fefellitque tam ſplendida promiſſa, & ſine cauſa ſannas conjecit in omnes ante ſe doctos & Sanctos viros, concilia & totam Eccleſiam Chriſtianam.

Them. X. Puffendorffii rota quarta plane eſt peſſima & ad interitum currens, nempe *nocendi potentia & voluntas*, neque ea eſt principium, ex quo agnoſci valeat jus naturæ; ſed potius defectus naturæ.

Ex nocendi potentia male infertur J. N.

1. *Iidem homines* (qui maxime idonei ſunt ad maxima commoda præſtanda) *NON MINUS invicem NOCUMENTI & moleſtiæ inferre POSSUNT, & ſæpe VOLUNT, vel inſtigante prava LIBIDINE, vel ſubigente NECESSITATE ſeipſos contra aliorum noxas defendendi.* §. 14. Quid hinc ſequitur? *Ex hiſce poſitis ait, facile eſt fundamentum legis naturalis invenire*; nempe *ſocietatem aliorum* cuilibet homini cuſtodiendam. §. 15. Verum hoc falſo inferri, jam ſupra Themata ſuperiore, & alibi oſtendimus.

Paradoxa illatio.

2. Imo contra inferretur melius ſic: Nemo homine magis nocere mihi *poteſt*, & *vult*, quandoque *libidine*, quandoque etiam *neceſſitate*: Sed nocumenta maxima afferentem jubet maxime fugere amor mei præ omnibus: Igitur amor mei jubet me maxime fugere hominem. Cauſa ergo fugiendi non cauſa ſocietatis quærendæ eſt nocendi iſta pote-

Potius inferretur fuga Societatis noxiæ.

poteſtas, voluntas & neceſſitas. Quandonam enim mihi potero promittere, ſecurſusve eſſe, an non neceſſitas alterum ſubigat ad mihi nocendum, cum etiam poſſit, & ex natura ſua velit?

Societas parit appetitum nocendi. 3. Adde quod appetitus nocendi in homine non ſit naturalis ſimpliciter ac per ſe, ſed oritur demum ſaltem per occaſionem *ex ſocietate*. Qui ſolus extra ſocietatem poſſidet tugurium & agellum, quomodo aut volet, aut cogetur, aut poterit nocere alteri? Sed cum primum alius fines meos tangit, aut agelli mei vult fieri particeps, conſurgit primo metus, ne mihi noceat aſſinis, & ſubinde appetitus eidem prius nocendi, ne is mihi noceat. Cura enim ſervandi ſua *prope alium* cum aliquanto ſit major, ſolet eſſe conjuncta cum nocumento, aut ſaltem parato ad nocendum animo, hoc magis, quo numeroſior eſt ſocietas.

Teſte experientia. 4. Quapropter Societas non eſt illud fundamentale jus corrigens & ſanans, ſed inferens potius plagas. Idque experientia comprobatur. Cum enim ad avertenda parva furta homines cœperunt magnas ſocietates inire, pro parvis furtis nata ſunt magna latrocinia, bella inquam, & ingentes, non nummorum tantum, jacturæ, ſed hominum ac legionum ſtrages, & integra populorum excidia. Socialitas quoque ipſa diſponens ad actualem ſocietatem non ducit ad aliquod bonum, ſed ad malum inevitabile; adeoque non eſt principium juris naturæ, etiam Puffendorffiani. Vid. Cap. XI. Th. XII. præſertim n. 9.

5. Sed hoc qualecunque eſt non urgeo: cum non ignorem quid contra proſerri valeat. Illud autem conſtat, Puffendorffium ex poſito hoc quarto principio jus naturæ ſeu obligationem moralem non recte demonſtraſſe. Noxam enim ab aliis inferendam fugere non eſt ſtatim moraliter, ſed naturali phyſico inſtinctu neceſſarium. Eademque omnia cadunt in animantes feras tanto magis, quanto ſunt ferociores; cum tamen ex his nullum animantium ferarum jus poſſit agnoſci.

Rationes Secundariæ Puffendorffii omnes Sophiſticæ. Petuntur autem *Them. XI.* Rationes ſecundarias vocat Puffendorffius, & argumenta minus principalia, ex quibus intelligi poſſit, jus naturæ conſiſtere in ſocialitate colenda. §. 15. Sed ex æquo omnes tales, ut non niſi ſophiſtice ex illis hoc concludi poſſit.

à Solitudinis mœrore 1. *Nihil*, ait, *perpetua ſolitudine homini triſtius*. Ergo jus naturæ eſt ſocialitas. Verum (1. Antecedens eſt falſum, ſimpliciter loquendo. (2. Eſt æquivocum ſeu ambiguum. *Homini* dicit, non ediſſerens, an omni, an multis, an paucis? Et deinde tamen inſert concluſionem generalem: ergo ſocialitas omnes homines obligat. (3. Argumentum eſt ſimile huic: homini nihil eſt triſtius dolore, cæcitate &c. Ergo jus naturæ conſiſtit in voluptate, viſu &c.

à loquendi facultate 2. Ait: Sine ſocietate *inutilis eſt homini lingua, per quam ſolus homo præ ceteris animantibus animæ ſenſa articulato ſono poteſt exprimere:* Ergo jus naturæ conſiſtit in ſocietate. ℟. (1. Antecedens ſimpliciter eſt falſum. Homo enim poſſet cantare & loqui ſibimet de laudibus DEI. Et ſicut non inutiles ſunt cantillationes variæ aviculárum, & voces, latratus, mugitusque aliarum animantium, quamvis jure naturæ *ſociali* proprio non teneantur; ita non eſſent inutiles qualescunque voces & ſoni hominum. (2. Hoc & alia Puffendorffii argumenta ſupponunt majorem propoſitionem falſam, nempe hanc: Quæcunque ſunt neceſſaria ad voluptatem qualemcumque hominis in illis conſiſtit jus naturæ: Sed ſocietas eſt neceſſaria ad voluptatem converſandi, confabulandi &c: ergo ſocietas eſt juris naturæ. In omnibus itaque his argumentis omnis negatur conſequentia; quia nituntur falſo ſuppoſito, aut ex rebus in multas partes verſatilibus & indeterminatis infertur determinate Jus naturæ, res tanti momenti.

à cupidine oſtentandi ſe 3. Aliud argumentum eſt; *optimus quisque præclare agendo inter alios ſeſe oſtentare maxime gaudet:* Ergo jus naturæ eſt ſocialitas.

℟. 1. Antecedens negaverint optimi quique: & negavit id Chriſtus. Et valde lubrica curva & avia ad agnoſcendum jus naturæ via eſt *oſtentatio*. (2. Fuere multi & ſunt ubique gentium, qui perfectiorem vitam exiſtimant eam, quæ in abſcondito ducitur. (3. Multos ſcimus virtutis veræ amore ultro ex vita ſociali confugiſſe ad ſolitariam: illique ſapientiores agnoſcuntur etiam ab iis, qui permanſerunt in ſocietate: contrà pauciores multo ex ſolitudine ad ſocietates provolarunt amore virtutis & vitæ perfectioris.

à facultate commoda præſtandi. 4. Puffendorffius eodem capite III. Lib. II. §. 16. ſubjungit aliud argumentum vel potius repetit: *Etiam ideo animal ſociabile hominem diximus, quod homines mutua commoda magis quam ullum aliorum animantium promovere idonei ſint; ſicut & contrà nullum animal*

mal plus commodi ab homine experiri poteſt.

℞. (1. Id argumentum jam ſupra Thematе VIII. hoc Cap. eliſum eſt. (2. Eliditur eodem modo, quo Puffendorffius Hobbium repreſſerat: Ex eo, quod homo ſit idoneus vivere propter ſuummet commodum, non rite infertur; ergo jus naturæ conſiſtit in ſtudio proprii commodi: ergo neque ex aptitudine ad commoda ſociorum infertur jus naturæ conſiſtens in ſtudio aliorum ac ſocietatis.

à gloria

5. Aliam rationem eodem §. 16. ſic profert: *Eo magis cujusvis hominis præſtantia & perfectio exſplendeſcit, quo plura ab eodem in ceterorum commodum proficiſcuntur, eaque opera nobiliſſima habentur, ſummamque ſapientiam poſtulantia*: Ergo lex fundamentalis naturæ eſt ſocialitas.

℞. (1. Hobbius id retorquet. Præſtantior eſt, qui lædi à nemine poteſt, id eſt, qui omnibus ditior ac potentior eſt: Ergo jus naturæ conſiſtit in obligatione ad maximas divitias & potentiam ſibi conquirendam. (2. Hancque Hobbeſii concluſionem lubens alibi admiſit Puffendorffius eodem Lib. II. cap. II. §. 4. *Ampliſſimi inter mortales faſtigii inſtar habetur, totius civitatis viribus ſubnixum in hiſce terris neminem ſuperiorem agnoſcere.* Quapropter qui potentiſſimus evaſit, is optime implevit jus naturæ. (3. Argumentum eſt ſimile huic: Perfectior eſt qui eſt architectonicen doctus, item qui centum annos vivit ſanus & vegetus &c. ergo jus naturæ eſt eſſe architectonicen doctum, aut centum annos vivere ſanum. (4. Sophisma ſitum eſt in ambiguitate perfectionis. Eſt *aliqua* perfectio multis bene facere, regnare, vivere diu &c. ſed non ſumma, nec omnis, nec unice neceſſaria. Item: Eſt perfectio, non tamen ſe ſola, ſed fit perfecta ex fine. Bene facere aliis, regnare &c. ſe ſolo eſt indifferens. Et tamen ex his ambiguis & verſatilibus Puffendorffius perpetuo ſuo more concludit aliquid certum pro lubitu ſuo.

ab ignobilitate nocendi.

6. Aliud argumentum ſtatim ſubjungit priori: *Aliis negotium faceſſere & nocere etiam nauci & ſtolidus homo poteſt*: Ergo prodeſſe ſocialiter eſt legis naturæ, obeſſe eſt contra.

℞. (1. Sophisma. Generare ſobolem poſſunt etiam homines nauci ac ſtolidi; erudire autem tantum ſapientes: ergo erudire eſt juris naturæ, generare autem eſt contra jus. Item comedere ſatis poſſunt & ſtolidi, ſobrii eſſe tantum ſapientes: ergo hoc eſt ſecundum, illud contra jus naturæ. Eſt ſophisma accidentis.

7. Imperitia Puffendorffii agnoſcitur ex ſequente turbida argutatione, quæ ipſi acuta videtur, utique quam Hobbio acuto homini oppoſuit. Sic autem habet: *Accedit, quod ſi propria cuique utilitas unicus ſcopus recte haberetur, ubi plures eadem in re ſummam ſuam utilitatem verſari judicent, neceſſarium erit, ut aut plurium ſcopi contradictionem involventes ſimul cum recta ratione congruere dicantur, quod eſt abſurdum: aut, cum nullus prætendere poſſit, ſuum ſcopum alterius ſcopo præferendum, neceſſario fuerit admittendum, non debere hominem ita ſuam ſibi utilitatem pro ſcopo proponere, quin aliorum quoque rationem habeat.*

Inepta argutia Puffendorffii.

℞. (1. Si Puffendorffius voluiſſet aperire oculos, ex hac ſua conſideratione potuiſſet diſcere, ſcopum felicitatis atque adeo juris naturæ haud quaquam eſſe iſta terrena commoda hujus vitæ, quæ non poſſunt à pluribus integre ac quiete poſſideri. Nam aut 1. natura ſingulis hominibus æqualiter conſtituit plenam ac totalem beatitudinem, aut 2. hanc plenam tantum conſtituit toti generi, ſingulis autem non niſi particulas beatitudinis, tanto minores futuras, quanto plus genus humanum multiplicetur. Si *primum*, ſequitur, omne illud non eſſe verum ſcopum felicitatis humanæ, quod non poſſunt ſinguli homines integre conſequi; nempe regna, & quidquid ex tota hac terra & hac vita poteſt venire commodorum. Si vero *ſecundum*, & ſi beatitudo tota toti tantum generi, ſingulis autem nonniſi particulæ ſunt propoſitæ; ſequitur, quo major ac copioſior fiet ſocietas, eo miſeriorem illam fore; quia regnum aliquod ob multiplicatos incolas non fit majus, ſed, ut Plato advertit, fit anguſtius; & non ſolum non plus felicitatis accedit ſed decedit ſingulis, & ex ſingulorum penuria naſcitur publice inopia, fames &c. Adeoque rurſus ſequitur, ſocietatem non eſſe fundamentum juris naturæ nec ſcopum: & Puffendorffii fundamenta à ſe ipſis deſtruuntur.

Ex qua ipſe potuiſſet dediſcere errorem ſuum.

Beatitudo vera omnibus debet ſufficere.

℞. (2. Ponamus igitur Duas perſonas Principes ſcopum felicitatis poſuiſſe in Hiſpaniæ regno poſſidendo. Hic Puffendorffius idem regnum, ſeu ejusdem regni poſſeſſionem dicet eſſe duos ſcopos contradictionem involventes. Quod non facile apparet:

Argutia Puffendorffii traducitur in exemplo duorum regum idem regnum petentium.

poteſt

poteſt enim utriſque contingere totum regnum ſucceſſive: nam principum illorum nemo erit tam delirus, ut cupiat perpetuo poſſidere regnum: eſt enim moriendum. Adhæc diſputant non pauci, & adhuc ſub judice lis eſt, an poſſit dari dominium duorum in ſolidum? Denique DEI conjunctionem & acquiſitionem peti & obtineri à pluribus ſimul & conſtanter, non habet contradictionem; quia DEUS eſt verum bonum omnibus ſufficiens. Igitur, cum Puffendorffius in ſuo bono ejusque poſſeſſione à pluribus, ipſe invenerit contradictionem, potuit ſane agnoſcere, ſe non indicaſſe verum bonum, ſed falſam ſpeciem boni, & curvam in terras animam profane nimis ac vane Juris naturæ principia ac fines determinaſſe.

℟. (3. Altera pars eſt æque imperita. *Ex duobus idem poſtulantibus nullus poteſt prætendere, ſuum ſcopum ſeu beatitudinem eſſe præponendum ſcopo alterius: ergo quisque debet non ſuum tantum ſcopum ſed etiam alterius quærere.* Hoc idem eſt ac ſi dicam. Carolus non poteſt prætendere ut in poſſeſſione Hiſpaniæ præferatur Philippo, nec Philippus Carolo: Ergo Jure naturæ Carolus non tantum ſibi debet quærere poſſeſſionem Hiſpaniæ ſed etiam Philippo, & ſimiliter Philippus Carolo. Uter autem eorum debet facere initium Puffendorffi? Aut debebit uterque in ſolidum eſſe rex Hiſpaniæ, ſiquidem illud regnum patitur duos, quod negat poëta? Aut inter ſe divident? nam & duo & plures olim reges Hiſpaniam diviſis partibus poſſidentes videbantur, in terrenorum oculis, non infelices propterea, quod non totum ſinguli tenerent. Fateor jam tandem dignam eſſe hanc doctrinam, quam omnes principes ac gentes ſequantur. Ita profecto fata toti Europæ, Aſiæ, Africæ atque Americæ fuerunt, cum tantum virum ante Hiſpanicum illud bellum orbi terrarum eripuerunt. Is enim hoc ſuo cornuto ſyllogiſmo, & conſequentiâ falſâ aggreſſus maximos reges omnem tumultum hunc facile abſtuliſſet. Contra tantum enim Juris naturæ primum ac ultimum doctorem imo inventorem & contra tam neceſſarium ſyllogiſmum nemo, quod vel hiſceret, habiturus fuiſſet. Hoc unum nos etiamnum nonnihil hærere facit. Quod conſequens quidem, ſive propoſitio illa in qua concluſio conſiſtit, *nempe non proprium tantum, ſed etiam alterius bonum quærendum eſſe,* vera quidem ſit, ſi rite accipiatur; attamen

Utinam paucos annos ſupervixiſſet Puffend.

Bellum Hiſpanicum ceſſaſſet.

conſequentia ſit falſa; ſive hæc propoſitio ex Puffendorffii præmiſſis non deducitur, ſed aliunde probari debet.

℟. (4. Omnium magnarum machinarum periculum ſolet fieri in parvo, & domi; tum ne æris, tum ne exiſtimationis diſpendium ſit tam grave, ſi ſtatim in magno & palam edantur. Puffendorffius potuiſſet doctrinæ ſuæ periculum facere in duobus venatoribus eundem cervum telo petentibus. Heus vos! quid inſanitis cum uterque veſtrum cervum ut *ſuum bonum tantum* petit? Niſi deſiſtitis ſic petere, ruinas trahet totum meum naturæ jus quanta calamitas! „ Nam neceſſum erit, ut aut veſtri ſcopi contradictionem involventes ſimul cum recta ratione congruere dicantur, quod eſt abſurdum: aut, cum nullus veſtrum prætendere poſſit, ſuum ſcopum alterius ſcopo præferendum, neceſſario fuerit admittendum, non debere te, ô Actæon, ita acquiſitionem certi pro ſcopo tibi proponere, quin habeas quoque rationem Adonidis, ut & ipſe eundem cervum ſibi acquirat." Mirum niſi repente, velut ſerpentes Mercurii caduceo tacti, certatim Puffendorffium, dimiſſo cervo amplexentur & Actæon & Adonis, ſemperque ex ejus ore tam præſtigioſa docentis pendeant. Ignoſcat mihi lector prudens brevem hanc ſcenam edenti in re ſeria. Equidem maledicentia hiſtrionica Puffendorffii commeruerat paſſim his ſalibus perfricari. Sed tum à nobis id alienum eſt; tum agnoſcimus jocularia iſta dedecere argumentum hoc, ubi de ſumma felicitatis humanæ, deque via certa ejus inveniendæ in conſpectu Summi rerum omnium moderatoris ac ſoſpitatoris DEI diſputamus.

Periculum Puffendorffianæ regulæ fit in duobus venatoribus, cervum eundem petentibus.

Maledicentia Puffendorffii meruerat gravem caſtigationem.

8. Novum Puffendorffii argumentum, æque argutum. *Præterea*, inquit, *ſi illud tantum cuique bonum eſt, quod ipſius ſolius utilitati inſervit, ſequitur, ceteris idem malum eſſe, quia ipſorum utilitati inſervire nequit. Atqui ſic idem ab uno appetetur, abs reliquis oppugnabitur; id quod non poteſt non colliſionibus inter homines auſam præbere.* Quid ſequitur? ergo jus naturæ non conſiſtit in ſtudio propriæ felicitatis tantum, ſed in ſocialitate.

Alia ejus infelix argutia.

℟. (1. Uno paſſu longius debuiſſet proficiſci Puffendorffius. In ſocietate etiam ipſa non ceſſat, ſed permanet appetitus boni proprii ut proprii, & quidem plurium circa eandem rem, ut nuper de venatoribus diximus: atqui

bona hæc terrea non poſſunt eſſe ſufficientia & propria omnibus & ſingulis, eoque minus ſufficiunt, quo major ſit ſocietas: igitur etiam *in ſocietate oriri colliſiones*, & reapſe oriuntur. Ergo neque ſocialitas eſt Juris naturæ fundamentum, niſi pugnans cum altero fundamento amoris proprii.

Ad miſera bona ſemper intentus Puff.

℞. 2. Exilis eſt illa locutio, *quod uni bonum eſt, alteri malum eſt quod unus poſſidet, eo alter eget.* Hæc tantum pertinent ad miſera bona ſeu talia, quæ non faciunt vere felicem, in qualibus ſolis perpetuo angitur Puffendorffius, non obſcure prodens, nullam ipſum agnoſcere beatitudinem niſi carnem à creatore propoſitam homini, ad quam quærendam ſit jure naturæ obligatus; adeoque eſſe ipſum de Epicuri hara. Verum bonum (atqui ad tale quærendum naturâ obligamur) ſi illud non magis omnibus quam ſingulis à natura propoſitum eſt, debet à ſingulis ita poſſe obtineri, ut cum ab uno fuerit obtentum, alter eodem non egeat: ſive ut, cum unus eodem beatus effectus eſt, alter ad idem obligatus & ejusdem æque ſtudioſus non maneat *neceſſario* miſer. At bona Puffendorffiana ſocietatis hujus vitæ omnia talia ſunt, ut ſingulos non ſatient, & felicitas unius neceſſario miſerum faciat alterum. DEUS autem etiam naturaliter cognitus, & amatus, & acquiſitus ſi unum ſatiat, alter propterea eodem nulla ratione debet egere: nec acquieſcentia unius in DEO, alteri eſt malum. Igitur non illa miſera bona, ſed hoc verum bonum tam ſingulis quam ſocietati propoſitum eſt: nec ergo in ſocietate miſerorum, ſed in acquiſitione hujus boni ſitus eſt perfectus finis juris naturæ, & obligatio Juris naturæ conſiſtit in profectione ſeu tendentia ad illum finem.

Verum bonum ſufficit omnibus.

Aliud argumentum Puffend.

9. Rurſus aliud Puffendorffii argumentum pro Societate tanquam fundamento juris allatum in contrarium cadit. *Omnia ad ſuam tantum utilitatem, neglectis ceteris, trahere aggrediens, incaſſum laborabit; quia impoſſibile ſit, res omnes & perſonas ſecundum voluntates ſingulorum hominum contraria volentium diſponi.* Ergo debet velle etiam bonum ceterorum.

℞. (1. Imprimis redeunt, quæ numero ſeptimo diximus.

Amphibologicum.

℞. (2. Conſequens habet aliquid vagi & incerti. Non enim apparet, an velit, *omnia* referri ad utilitatem aliorum debere, an *aliqua* tantum? Si omnia, fallit: nam ſequeretur, nihil referri poſſe ad amorem proprium vel admittenda eſt *ſubordinatio*, qua admiſſa redeunt omnia Themate Nono ſuprà diſputata. Quodſi ſecundum vult inferre, nempe *aliqua* debere referri ad ſeſe, *alia* ad proximum; falſum eſt, Juris naturæ legem fundamentalem eſſe hanc, *fac omnia quæ ſocietati congruunt:* ſed potius hæc debebat ſtatui lex: fac quæ *partim tibi ipſi, partim ſocietati congruant.* Sed hæc rurſus falſa eſt & vaga lex, ex qua nemo poteſt fieri certus de qualibet re agenda vel omittenda; nec apparet obligatio moralis, quæ tamen eſt ipſa ſubſtantia & forma legis.

℞. (3. Cur non etiam ſic ratiocinatus eſt Puffendorffius: Impoſſibile eſt, in hac vita res omnes ita diſponi, ut & ſinguli & omnes beati ſint, & ipſa ſocietas multis privat bonis: Ergo Jus naturæ non reſpicit hanc vitam tantum ſeu ſolitariam ſeu ſocialem.

10. Ultimum Puffendorffii argumentum hoc eſt: *Si vel maxime ab aliquo neque boni quid neque mali in me proficiſci poſſit, nihilque in ſe is habeat, quod vel metuam vel deſiderem; tamen & hunc, TANQUAM COGNATUM ET ÆQUALEM haberi natura VULT. QUÆ etiam SOLA RATIO, SI CETERÆ DEFICERENT, ad amicam ſocietatem colendam humano generi ſufficit.* Argumentum eſt tale: Quicunque ſunt cognati & æquales, debent jure naturæ ſocietatem colere cedendo mutua commoda: Homines ſunt cognati & æquales: Igitur hoc debent homines jure naturæ.

Ultimum argumentum Puffend.

℞. (1. Major propoſitio imprimis eſt in quæſtione: & agnita etiam æqualitate inquiritur in cauſam, cur hominis in hominem & unde naſcatur *obligatio* & *jus*? cum æqualitas potius videatur eſſe fundamentum libertatis. Nam & leones inter ſe cognati ſunt & æquales, nec tamen jure ſocietatis tenentur. Quin Puffendorffius etiam *primas* cedit amori proprio: unde ergo repetit neceſſitatem amandi alios homines, animantia tam nocendi cupida?

eſt in quæſtione.

℞. (2. Si Puffendorffius fundamentum, cur homo æqualis alterum æqualem amare *debeat*, deducit ex ſocietate, ſuo nempe Juris naturæ fundamento, manifeſto revertitur in circulum: Obligatus ſum amare ſocium, quia eſt obligatio colere ſocietatem ſeu, quod idem eſt, amare ſocium.

& in circulum redit.

℞. (3.

Ex æqualitate non ſequuntur dogmata Puffendorffii.

℞. (3. Cur ergo totum jus ſuum Puffendorffius non deduxit ex *æqualitate*? Quodſi ex æqualitate deduxiſſet, longe diverſam ei faciem induxiſſet. Unde enim ex æqualitate deducitur ſervitus, principatus & pleraque civilia, quæ ipſe in jure naturæ pertractat?

Æqualitas ſocietatem ſolvit.

℞. (4. Æqualitas, niſi aliud fundamentum habeat, ſocietates modernas plane peſſumdare nata eſt. Unde paucæ civitates, paucæ familiæ in perfecta æqualitate & perfecta communione omnium rerum, quæ æqualitati propria eſt, diu perdurare potuerunt: ſed, ut ſocietas ſtare poſſit, inducenda eſt quædam inæqualitas. Veniat enim ad me ſocius, poſtulans: cede mihi domo tua; quia ſum tibi æqualis, & cognatus. At ego inverſo ſpiculo reponam: deſine, ô bone, nugari: ſicut enim tu vis hanc domum, ita volo & ego; quia ſum tibi ſaltem æqualis & cognatus.

Emendatur ratiocinium Puffendorffii.

℞. (5. Sic porro juſtum fuiſſet Puffendorffii Ratiocinium: Qui ſunt æquales natura, eis jus naturæ & ſcopus idem eſt propoſitus: At commoda ſocietatis hujus vitæ terrenæ non omnibus hominibus æqua propoſita ſunt, teſte experientia: Igitur Jus naturæ humanæ & ſcopus non eſt ſocietas & ejus commoda hæc terrena.

Quomodo Puffendorf. de DEO loquatur?

Them. XII. Puffendorffius denique etiam ad DEum ſe convertit in conſtituendo jure naturæ: ſed nec ſerio, ut videtur, & certe præter ſua principia; & in ipſo DEO aſſignando rurſus deficit. Lib. II. Cap. III. §. 19. ait *Ut iſta rationis dictamina* (intelligit legem ſocialitatis) *obtineant vim legum, neceſſum eſt præſupponere, DEum eſſe, & per ipſius providentiam tum omnia, tum imprimis genus humanum gubernari.*

Inconſequenter, & extra ſua principia.

1. *Inconſequenter* eum docere patet *primo:* quia antea §. 14. dixerat, ſibi *nullam* viam propiorem ad indagandum jus naturæ videri, quam naturam humanam *accuratius* conſideratam: at in hac accuratius conſiderata nihil deprehendit ipſe præter quatuor à nobis exagitata, nullam inclinationem ad DEum: Ergo ex ipſius mente *nulla* via naturali pervenitur ad agnoſcendum jus naturæ per relationem ad DEum. Ergo cum nunc §. 19. ſubito incipit de DEo loqui, hoc nullam habet cum Puffendorffii doctrina connexionem. Non ergo ipſum ad hoc ſua methodus, non doctrinæ conſequentia, non intentio deduxit, ſed aliud quiddam. Et quidem illud aliud debuit eſſe *naturale*, nam revelata ait in jure naturæ locum non habere. Inter naturalia autem homini omni congnata & intrinſeca Puffendorffius non invenit relationem ad DEum: neque inter extrinſeca, quæ præcipue conſideranda duxit ergo aliquid aliud naturale adſcititium ipſum ad hoc permovere videtur: fortaſſe metus aliquis aut pudor. Quod tamen nolim affirmare: ſed crediderim potius, ipſum ex animo DEum fuiſſe profeſſum. Hoc tantum ajo, Doctrinæ Juſti naturalis principia ipſum talia poſuiſſe, quæ ad DEum non ducant: hocque ſufficit ad periculum incautis excitandum, & ad hoc, ut nullibi ejus doctrinæ in primo principio & in ultimo fine deficienti tuto poſſis confidere, ſed ſemper vigili oculo indigeas, necubi ſit in fundamentis fallax.

Quod ejus doctrinam inturam ubique facit.

Oſtenditur ſibi non cohærere.

2. *Secundo*, inconſequenter eum docere, ac ſanis principiis deſtitui hinc manifeſtum fit: Nam §. 14. ponit fundamenta ex quibus lex naturæ fundamentalis agnoſci poſſit: nempe illa quatuor, amorem ſui &c. nulla mentione facta de aliqua naturæ neceſſaria relatione ad DEum. §. 15. ex his poſitis ait manifeſto agnoſci *fundamentum legis naturæ.* Poſt aliquot vero lineas decernit: *FUNDAMENTALEM LEGEM NATURÆ* iſthanc eſſe, cuilibet homini colendam ſocietatem *ſcopo generis humani congruentem:* nulla iterum facta mentione ſubjectionis vel ordinationis ad DEum. Et poſt aliquas iterum lineas definit tam media, quam finem hujus *FUNDAMENTALIS LEGIS* naturæ, his plane verbis: *Omnia, quæ ad iſtam ſocialitatem neceſſario faciunt, jure naturali PRÆCEPTA; quæ eandem turbant & abrumpunt, VETITA intelligi.* Tum accedit ad cumulandas cauſas, quæ ſecundario ſaltem demonſtrent, *LEGEM FUNDAMENTALEM*, finem, & media ejus non alia eſſe, quam quæ deſcripſerat; hæ autem dedemonſtrationes ſecundariæ ſunt eædem, quas ſuperiore themate vanas ni fallor, oſtendimus. Ex his autem omnibus conſtat, Puffendorffium demonſtrare voluiſſe talem *LEGEM FUNDAMENTALEM* naturæ, talem ejus finem, talia ejus media, quæ nec à DEI voluntate oriri per ipſum, cognoſcantur, neque ad DEum tanquam finem ordinari: eodem modo quo Deiſtæ & Naturaliſtæ & Hobbius & hujus farinæ homines alii ſolent de Jure naturæ loqui. Quibus omnibus ſi addas etiam hoc, Immortalitatem animæ à Puffendorffio haberi pro re ad Jus naturæ non pertinente; Præmia nulla pœnas autem à DEO non eſſe conſti-

Voluit legem naturæ ſtatuere neglecta DEO.

& Immortalitate animæ,

& præmiis divinis.

tutas niſi incommoda hujus tantum vitæ per revelationem non ſignificari jura naturæ &c. Et tamen ab ipſo totum ſuum naturæ jus deduci ex his ac talibus principiis; nemo certe poterit dubitare, quin demonſtrationem legis naturæ, ipſam etiam naturæ legem, legis finem ac media atque adeo in univerſum Jura naturæ talia decreverit ac ſtatuerit Puffendorffius, quæ nec à DEO oriantur, nec ad eum referantur, nec cognoſci valeant niſi abſtrahendo à DEO

Amplius probatur

& divinis. Rurſus poſtquam §. 16. 17. 18. contra Hobbium parum aut nihil, ut Themate priore oſtendimus, diſſeruiſſet, jam §. 19. profitetur hoc ſuum principium deducendi juris naturæ eſſe, *genuinum, manifeſtum,* SUFFICIENS & ADÆQUATUM, *hactenus, ut non ſit ullum præceptum juris naturalis, alios homines ſpectans, cujus ratio non* ULTIMO *exinde petatur.*

ejus pugna,

Hæc autem vix effutierat, *ultimamque* rationem aſſeruerat illas quatuor rotulas ſuas, cum ſubito animadvertit, quantum ſibi incommodi & contemptus inde naſci à ſapientibus poſſet, quorum nullus *ultimam rationem* legum naturalium hanc agnoſcit, videtur ſaltem famæ ſuæ conſulere voluiſſe, ut ſtatim & continuo ſubjiceret hæc verba: *Etſi, quod mox oſtendemus, ut illa rationis dictamina* OBTINEANT VIM LEGUM, *neceſſum ſit* PRÆSUPPONERE, *DEum eſſe & per ipſius providentiam omnia gubernari.*

& fluctuatio.

3. In hoc autem ipſo *Tertio*, manifeſtavit fluctuationem animi ſui in ſuis principiis. Nam prius ſocialitatem &c. definiverat *ESSE LEGEM FUNDAMENTALEM*; definiverat, ea quæ ad ſocialitatem pertinent eſſe media *præcepta;* commoda inde naſcitura eſſe finem, idque demonſtrari non ex DEO ſed ex ſuis quatuor cardinibus: nunc ſubito evertit omnia à ſe dicta, aſſerens hæc tantum eſſe dictamina quædam *non leges*, neque *VIM LEGUM* habere ex illis quæ ante docuerat, ſed ex DEI ordinatione. Antea iſthæc erant leges, & *ultima* ratio juſte agendi, nunc ſubito eadem ipſa non ſunt amplius ultima ratio agendi, nec ſunt amplius leges, ſed fiunt denique leges per voluntatem DEI.

Lex & obligatio ab eodem ſunt.

4. Nec purgat ipſum cavillus. Hæc quidem lex ſunt, ſed vim obligandi demum accipiunt à DEO. Nam quid eſt hoc? Lex ſunt iſthæc abſtrahendo à voluntate DEI, ſed vim à DEO accipiunt: Ergo aliunde lex oritur naturæ, aliunde ei accedit efficacia? Sicut ſi dicerem, homines orti ſunt ex ſeſe vel aliunde demum, ſed vires iis attribuit denique DEUS. Hoc affine eſt fœdo errori illorum hæreticorum, qui DEum alium Bonum alium juſtum faciebant, quorum Bonus hominem produceret, Juſtus producto leges ſcriberet. Vid. Cap. XI. Them. XIX.

Male pugnat in Grotium.

5. Quapropter quidquid contra Grotium pugnare videtur Puffendorffius, umbratile eſt. Grotius per hypotheſin vel ſuppoſitionem aliquam (qualis aſſumi poteſt etiam ea, quam quis falſi convicit) autumaverat: etiamſi *per impoſſibile* fingeretur, non dari DEum moderatorem, tamen *ALIQUEM LOCUM* futurum Juri naturali. Puffendorffius contra hoc criſtas erigit, pejora ipſe faciens. Nam Grotius profeſſus eſt, *fictione* opus eſſe ad hoc: Puffendorffius ait, abſtrahendum; & cum recitat legem ex ratione naturali à ſe deprehenſam, affirmat poſitive, hanc rationem eſſe *ultimam;* cum tamen hæc ipſius ultima ratio DEum plane non contingat: igitur non *fingit*, ſed *affirmat*, ultimam vivendi rationem eſſe ſocietatem humanam ad commoda hujus vitæ terminatam. Deinde Grotius *fictione* facta nihil aliud *autumat*, quam *aliquem adhuc locum* eſſe *poſſe* Juri naturali: ſic enim ipſe Puffendorffius Grotii ſententiam exponit §. 19. At Puffendorffius non per fictionem, non per autumationem, ſed per aſſeverationem decernit tam jus naturæ, quam ejus media ac fines ex meris principiis ad DEum nullo modo ſpectantibus ſeu relatis; & ea, quæ ſtatuit, affirmat eſſe *ultimam* rationem actionum *juſtarum naturalium.* Hoc autem, ni fallor, plus eſt, quam fingere aliquid per impoſſibile, & ex hac ipſa fictione nonniſi parvum aliquem locum concluſioni ſuæ facere.

oſtenditur exemplo

6. Quod, ut tangi manu poſſit, ſimili quodam explicandum eſt. Sint homines duo: alter ſic ait, tametſi fingam per impoſſibile non exiſtere fontem, neque mare; nihilominus autumo fluxum amnis habere aliquem locum aut ſaltem eum aliquo modo cognoſci poſſe ex medio, ſeu ripæ atque undæ inter ſe comparatione: Alter autem adſeverat, ripæ atque undæ comparationem eſſe ultimam rationem fluminis, ex eaque pendere totam fluminis naturam: deinde tamen repente incipiat aliquid de fonte recitare, de mari autem omnino nihil ſed tantum iterum de ripis. Quæro quis eorum vero propior eſt? aut quis naturam fluminis ſaltem vero ſimilius explicavit? Præcipue ſi hic poſterior antea adfirmaverit, finem flu-

minis

minis atque curſus Rheni v. g. eſſe, ut Moguntiam tendat. Ita prorſus Puffendorffius totum juris naturæ flumen primus ac ſolus promittens, aſſidue non niſi in parte riparum verſatur, cumque illud indagare ſe dicit ea via, qua nulla ſit propior, & accuratiore contemplatione, tamen neque fontem ad hanc indagationem neceſſarium vidit neque mare: ſed omnibus jam conſtitutis & flumine fluxuque integro adornato, repente incipit loqui de fonte, atque dicere, *vim fluminis* nullam dari, niſi præſuppoſito ſaltem fonte.

Puffendorf. probaturus, vim obligandi à DEo eſſe.

7. Equidem Puffendorffius, ſpeciem præbere vult etiam ſerio de DEO loquentis; idcirco §. 20. accingit ſe ut oſtendat, quomodo cognoſci poſſit, vim obligationis ac legis naturalis nonniſi ex DEO manare: ait enim, hoc lumine rationis demonſtrari poſſe. Argumentum ejus hoc eſt. DEus naturam rerum & hominis ita formavit, ut homo nequeat ſervari ſine ſocietate: Ergo intelligitur, DEum voluiſſe, ut homo actiones ſuas huic indoli, quam humanæ naturæ præ brutis aſſignavit, attemperet. Atqui hic finis obtineri nequit, niſi obſervata lege naturali: ergo obligatio legis naturalis venit à DEO.

Primam ex ſuis propoſitionibus probat his verbis: *Ea de cauſa DEus homini indidit animum notionum ſocialitati inſervientium capacem; easque notiones per motum rerum naturalium, ab ipſo tanquam primo motore profectum, animis inſinuat, eorumque neceſſariam connexionem ac veritatem perſpicue repræſentat.* Per has autem notiones Puffendorffius haud dubie intelligit quatuor ſuas ſcorteas rotas, appetitum nocendi, amorem proprium &c.

miſerabiliter ratiocinatur,

8. Nemo logices vel parum gnarus non intelligit, miſerabilem eſſe hunc Puffendorffii diſcurſum, in eoque nihil plane divinum, præter nomen demonſtrari. Si enim volet demonſtrare, vim legis à DEO eſſe, debet oſtendere media per quæ homo refertur & nectitur eſſentialiter ad DEum. At nunc nihil aliud recantat quam antiquam fabulam ſocialitatis, quæ ex amore ſui, cupidineque nocendi demonſtrata ſit. DEum autem velle legem qualemcumque obſervari; DEum indidiſſe has rationes; DEI finem hunc eſſe; connecti nos per iſta ad DEum ac referri, ne ſyllabâ quidem probat, at id unice erat probandum. Certe cum *primum motorem* nominat, id cum ſerio de DEO cogitaſſe non magis probat, quam Ariſtotelem, qui poſt multa de primo motore diſputata adhuc ab Atheiſmo non eſt abſolutus. vel ſaltem à ſuſpicione non immunis. Verum ego rurſus, ut ſæpius ante hac, profiteor, me id criminis ipſi Puffendorffio imponere nolle. Quin hoc tantum ajo, argumentis eum ac fundamentis juris naturæ nimium profanis & fallacibus uti, ac talibus, quæ animum ad DEum nequaquam ducant, quod tamen, noſtra ſententia, finis eſt juris naturæ. Imo ſiquis vel incautus, vel animo nonnihil pravo acceſſerit, facillime ſeduci poſſe in naturaliſmum, Deiſmum, Indifferentiſmum, &c. ita ut ad externam tantum ſocietatis ſpeciem totam vitam ſuam componat.

& nulla probanda probat

Facile ſeducit incautos ad Atheiſmum &c.

Puffendorffius jure naturæ ſcribendo longe impar fuit.

9. Quod igitur initio poteram Puffendorffio cum Cicerone dicere: id nunc pro coronide dicam. *Nunc videamus quæſo, de ſummo bono, quod continet philoſophiam* (ajo ego, quod continet jus naturæ) *ecquid tandem attulerit, quamobrem ab inventoribus tanquam à parentibus diſſentiret?* Lib. IV. de Finibus Cap. VI. Ego certe id confeciſſe me ſpero, Puffendorffium, cui de reliqua doctrina nihil detractum volo, juri tamen naturæ ſcribendo longe imparem fuiſſe; id quod Gundlingius, Heineccius, aliique ante me agnoverunt ipſi.

CAPUT XIV.

Jus Naturæ à Puffendorffio & Heineccio deſcriptum, non eſſe Jus Naturæ promiſſum ſed particulare Juris civilis, ornatum aliquot ſpoliis Ethicæ ac Theologiæ moralis.

Puffendorffius profitetur ſcribere Jus Naturæ puræ, imaginariæ.

Them. I. JUs naturæ vel eſt Naturæ *puræ*, vel *hypotbeticæ*. Vid. Cap. I. Them. III. & Cap. II. Them. XXII. Puffendorffius profitetur ſcribere illud prius.

Lib. I. Cap. I §. 11. pronuntiat de ſe in hunc modum: *Nos, qui heic illa duntaxat hominis officia tradimus, quorum neceſſitas ex lumine rationis colligi poteſt, nequaquam pertendimus, ejusmodi ſtatum hominum unquam extitiſſe, aut jam eſſe poſſe, aut debere, in quo SOLÆ ISTÆ obligationes in eundem caderent.* Igitur ſuum jus non ſcripſit vel ſcribere ſaltem profeſſus eſt, pro natura in hypotheſi, ſeu per adventitium ſtatum alterata, ſed pro natura ab omni hypotheſi abſtracta: qualis natura hominis eſſet etiamſi conciperetur ſolus, aut in luna poſitus, aut in ſpatiis ſorte imaginariis. Et ſcribit officia pro illo ſtatu hominum, de quo non poſſit dici, eum unquam extitiſſe, aut jam eſſe poſſe aut debere conſequenter ſcribit pro ſtatu naturæ puræ, qualis jam eſſe non poteſt.

Exſecutio eſt contraria

Them. II. Huic vero promiſſo neutiquam inhæſit Puffendorffius, ſed principia plane contraria & hypothetico tantum ſtatui convenientia poſuit.

Socialitas convenit ſtatui non puro, ſed tantum hypothetico.

1. Poſuit enim ſocialitatem tanquam fontem *omnium Officiorum*, in quibus latiſſime deinde verſatur iſte ſcriptor. At Socialitas ejusque officia non conveniunt ſtatui puro naturæ ſed adventitio ſeu hypothetico. Igitur Puffendorffius poſuit principia & hinc fluentia officia non convenientia promiſſo ſtatui puro.

2. In prima harum propoſitionum, ſive *Majore*, quam dialectici vocant, tota intentio, totus labor Puffendorffianorum ſcriptorum deſudat.

quæcunque hypotheſis de ortu hominum concipiatur.

3. Altera propoſitio ſeu *Minor* ſic oſtenditur. Ex lumine naturæ ſolius poſſunt tria initia hominum concipi. Vel enim unus homo à cauſa prima poſitus eſt in mundum & in ſtatum ſuum naturalem: ex quo homine deinde fœmina ſit ab eadem cauſa prima producta, & ſic porro ceteri homines.

Vel vir ſeorſim ex aliqua materia factus eſt, & mulier ſeorſim ex aliqua quacunque materia.

Vel, quod fere idem eſt, eodem tempore ac loco, aut locis temporibusque diverſis DEus condidit plures viros & plures fœminas, ex quibus reliquum genus propagatum.

4. In omnibus iſtis caſibus homines ita conditi, ſinguli ſunt in ſtatu puro naturæ: inter ipſos eſt ſimilitudo ſeu identitas naturæ, at ſocietas inter ipſos nulla eſt. Quod enim tempore ſimul exiſtant, non facit ſocietatem; ſicut Puffendorffius & Magnus Mogor Oranchzebius non fuere in ſocietate, quamquam tempore eodem viverent.

5. Quod loco concipiantur conjuncti, non magis eos ſocios facit, niſi alia accedant facta.

6. Quodſi factum unum aut plura accedant, e. g. pactum, conſenſus & determinatio quorundam officiorum, antea non debitorum, jam non eſt ſtatus purus, ſed adventitius.

Omnis ſtatus ſocialis eſt hypotheticus.

7. Ergo omnis ſtatus ſocialis eſt ſtatus hypotheticus. Probata eſt igitur illa propoſitio noſtra ſecunda.

Objectio de ſtatu connubiali.

8. Neque poteſt objici, primum ſtatum adventitium, nempe connubialem, non eſſe proprie adventitium, nec facto humano conſtitutum, ſed ipſa pura natura præceptum, & homines illos ipſo inſtinctu naturæ ad hunc *obligatos* fuiſſe. Nam qui hoc ajunt, in duo abſurda videntur incidere. 1. Si iſte inſtinctus eſt lex naturæ, moralis, juſtum faciens revera etiam animantes feræ ſunt naturaliter juſtæ, quæ hunc inſtinctum exſequuntur. 2. Si ad connubium non fuit opus conſenſu & pacto aliquo, ſequi videtur, primos viros jure potuiſſe cogere fœminas ad connubium, ac viciſſim à fœminis cogi. Deinde qua ratione demonſtrabit Puffendorffius, ad eſſentiam hominis pertinere conjunctionem maris & fœminæ? aut propagationem neceſſario per hanc conjunctionem ab initio fuiſſe faciendam? Potuere multis aliis modis propagari: & fallitur Gundlingius, dum ait, indecens futurum,

Solvitur.

turum, ut patet prolem in brachio aut fœmore aut dorſo natam circumgeſtaret, ſicut arbor geſtat ſua prima.

Alia objectio

9. Neque rite objicitur, homines iſtos undecunque primos potuiſſe ac debuiſſe ex contemplatione naturæ ſuæ inter ſe ſimilis, agnoſcere, impoſſibile eſſe ut ipſi ſe ſervent, niſi ſocietatem inter ſe & ſocietatis varia officia colant: adeoque ſocietatem eſſe naturæ humanæ cognatum ac proprium principium. Nam præterquam quod hæc omnia gratis aſſerunt, poteſt *ea impoſſibilitas* omnino negari, cum nulla contradictio poſſit oſtendi. Deinde Principium intrinſecum debet maxime conforme eſſe naturæ humanæ in eo, in quo ea maxime differt à brutis: ſed in conjunctionem maris & fœminæ, in deſcenſione etiam mutua contra vim, & in aliis id genus officiis ſocietatis externis homo non maxime differt à brutis; imo potius differt in internis. Ergo ſocietas iſta Puffendorffiana non efficit naturam puram, neque adeo convenit ei ſtatui: eſtque principium juris adventitii potius & civilis, quam naturalis. Quod autem *deriventur* hæc officia à jure naturæ, id non facit ut jus ſociale ſit jus naturæ *puræ*. Omne enim jus non formaliter revelatum debet à jure naturæ *derivari*, omneſque leges etiam minimæ ſocietatis. Quodſi ergo iſta derivatio faceret, ut lex aliqua ſit pure naturalis, omnes leges Romanæ, Germanæ, Sinicæ erunt lex puræ naturæ. Quæ ſunt à diſciplina & logica aliena. Quapropter ſi Puffendorffius putavit, in eo ſe deſcripſiſſe Jus puræ naturæ, quia omnia à ſe prodita officia poſſint derivari ex jure naturæ, deceptus eſt, Leges enim Romanæ, Germanicæ, Japonicæ etiam ipſæ derivatæ ſunt ex jure naturæ; nec tamen eas Puffendorffius admittit inter jura naturæ, imo excludit, æque ac Chriſtianas.

Derivatio à Jure naturæ convenit ſtatui hypothetico.

Status hypotheticus duo habet genera officiorum, naturalia & nova.

Them. II. In ſtatu adventitio ſeu hypothetico & artificiali duo poſſunt conſiderari. (1. Officia quæ reſtant ex ſtatu puro naturæ. (2. Officia nova quæ ſtatui puro ex facto proprie vel alieno acceſſerunt. De illis prioribus vix pauca expoſuit Puffendorffius: totus verſatur in poſterioribus. Igitur totus ejus labor paucis exceptis verſatur in jure civili utcunque imperfecte tradendo.

Puffendorffius poſteriores tractavit

contra promiſſa.

1. Manifeſtum eſt autem ex ipſius Puffendorffii verbis priore Themate allatis, ipſum longe ab his diverſa promiſiſſe: nempe ea *tantum* officia, quæ neceſſaria ex lumine rationis colligi poſſunt. Nunc autem perſequi eum officia, quæ non ex rationis lumine neceſſaria colligantur ſed ex conſenſu & artificio hominum, quamvis ſuppoſita ratione ſeu natura humana; quod aliunde planum eſt ſupponi, debere, ſi conſenſus ille ſit hominum non jumentorum.

2. Quo enim ſyllogiſmo perſuaſiſſet homini uni ex illis primis, neceſſarium eſſe connubium, neceſſarium mercari, emere domos, navigare, ſervire, regnare, militare, & cetera, in quibus tres partes libri Puffendorffiani abſolvuntur?

Them. IV. Ex ipſo Puffendorffio & ex Guodlingio probari poteſt, ipſum non docere Jus naturæ puræ ſed civile, ſeu artefactum.

Puffendorffius ipſe fatetur.

1. Puffendorffius poſtquam duos libros & tria capita libri tertii ſcripſiſſet, caput quartum ſic incipit: *Quæ hactenus expoſita ſunt officia, ex communi illa cognitione, quam natura inter omnes homines conſtituit, invicem debentur, li*CET NULLUS INTER IPSOS ACTUS ANTECESSERIT. *Enimvero ſolo iſthoc ambitu circumſcribere officia, quæ inter homines mutuo ſunt exercenda, parum eſt. Nam neque quibusvis ea eſt ingenii bonitas, ut omnia, quibus aliis prodeſſe queunt,* EX SOLA HUMANITATE ET CARITATE *velint præſtare, citra exploratam ſpem pars recipiendi &c. Rationi ſane convenit, ut, quæ actiones per priores obligationes nondum ſunt occupatæ, addicantur iis, qui per* PACTA *prius jus ad eas ſibi quæſiverunt. Igitur ut mutua inter homines officia, qui fructus eſt ſocialitatis,* EO CREBRIUS *& ad certas* VELUT *regulas exerceantur, neceſſum fuit, homines ipſos inter ſe convenire ſuper ejuſmodi rebus invicem præſtandis, quæ* EX SOLA HUMANITATIS LEGE *ſemper certo ſibi polliceri quis non poterat. Adeoque in antecesſum determinandum fuit, quid alteri quis præſtare, quidque ab eodem iterum exſpectare ſuoque jure exigere deberet. Ex quibus intelligitur,* QUOMODO OFFICIA HUMANITATIS SEU CARITATIS DIFFERANT AB ILLIS, QUÆ EX JURE PROPRIE DICTO *exiguntur,* QUÆQUE ADEO JUSTITIA STRICTA DIRIGIT. *Iſta quippe* * non

ſe partim offi. a humanitatis,

partim Jus conventionale tractare.

* Nempe officia caritatis.

non ex pactis expreſſis aut implicitis debentur, ſed ex ſola obligatione PER IPSAM NATURAM quibusvis hominibus injuncta: ſed quæ alteri ex pactis & conventionibus debeo, illa ideo debeo quia NOVUM ſibi JUS iſte adverſus me ex proprio CONSENSU quæſivit &c.

Non ergo Jus naturæ puræ

2. Habemus ergo duas periodos, vel quaſi epochas juris naturæ Puffendorffiani ab ipſomet auctore deſignatas. Ea Puffendorffiana, quæ usque ad caput IV. libri III. effuſa ſunt, debita *charitatis* & *humanitatis*, non juris proprie dicti, ſed *decori*, & *honeſti*: Quæ vero ex illo capite ad finem ſex fere libris exponuntur, illa denique propriam juris obligationem habent: non tamen Juris naturæ, ſed adventitii & *conventionalis*, adeoque civilis: nempe quæ in varii generis pacto ſtipulato conſtituuntur, & in quibus totum jus civile conſiſtit, ſeu artefactum. Itaque duo Libri Puffendorffii continent Decorum, Honeſtum, & charitatem, non juſtitiam: reliqui ſex libri continent juſtitiam, ſed particularem & *civilem* tantum. Atque hæc ex ipſius Puffendorffii confeſſione & deſcriptione. Ubi ergo, in quo capite aut libro eſt illud Famoſum *Jus naturæ Puffendorffianum*; quod tam neceſſario fuit à Puffendorffio de novo elaborandum etiam poſt Grotium? Ego certe in toto libro nullibi invenio: nec ipſe Puffendorffius invenire hoc in ſuo libro potuit.

Vane ſe excuſat.

3. Equidem ſubolfecit Puffendorffico, hæc ſibi exprobatum iri, quo ergo locum ſuum utcumque tueretur, gladium ſibi de priore plumbo fabreſecit, dicens: *Etſi autem, quæ & qualia pacta à ſingulis hominibus ineantur, in cujusvis eſt arbitrio, ut tamen aliqua inter homines exiſtant in genere & indefinite, hactenus natura præcepit, quatenus ſine illis ſocialitas & pax inter homines ſervari nequit.* Quam verſatile hoc ſit telum, jam ante oſtendimus, Redit Puffendorffius in circulum, ac demonſtrationem ducit in id, quod eſt in controverſia: nempe an ſocialitas eaque talibus pactis formata & artefacta ſit præceptorum naturalium principium & fundamentum?

Fefellit etiam promiſſum in Jure naturæ Scientificam methodum.

4. Aliis quoque ab inſtituto ac promiſſis declinat. Promiſerat enim jura naturæ talia, quæ in formam diſciplinæ ab ipſomet redacta fuit, & quidem ab ipſo tanquam primo cui hoc in orbe terrarum poſt homines natos contigerit, cum Natura humana ante ipſum iſta re ad ſocialitatem jure naturæ neceſſaria caruerit, calamitate non ſatis deploranda. Cum ergo reliquorum conatus diſciplinam nullam oleant, ſed ſint labores aſinini, ita ut qui unum horum nugatorum noverit, omnes noverit; neceſſe eſt, apud Puffendorffium omnia demonſtrative cohære, nihil extra orbitam reperiri, præcipue autem nihil ſecum pugnans. Liceat ergo ex Puffendorffio quærere: num pacta illa & officia, quæ ipſe à libro ſuo tertio usque ad octavum diffuſe expoſuit, ſint officia Juris naturæ illius, quod ipſe ſibi ſcribendum propoſuit? an vero ſint officia juris naturæ alterius cujuscunque, quod ipſi propoſitum non erat; ſeu civile illud dicas, ſeu hypotheticum aliquod, ſeu absque nomine dimittas?

5. Si reſponderit quisquam Puffendorffianorum, hunc Patriarcham in illis quinque libris docuiſſe jus naturæ tale, quale docendum ſibi ſumpſit; fateor, me hanc pulcram diſciplinam non capere. In ipſo enim ingreſſu operis ſui, Lib. I. Capite I. §. 11. edixerat, quo tenderet; nempe ſe *hic EA DUNTAXAT OFFCIA hominis tradere, quorum neceſſitas ex lumine rationis colligi poteſt, neuquaquam* autem *pertendere, ejusmodi ſtatum hominum unquam extitiſſe, aut jam eſſe POSSE aut debere, in quo SOLÆ ISTÆ OBLIGATIONES in eundem caderent.* Haud dubie omnia ab ipſo deſcribenda hominis officia pertinent ad talem ſtatum, qui *nunquam* extitit, neque nunc *poteſt* extare neque *debet* extare: In ſtatibus autem exiſtentibus ſunt officia contractuum & alia ab ipſo per libros quinque vel ſex *deſcripta*: ergo officia ab ipſo *deſcripta* non poſſunt eſſe eadem cum officiis ab ipſo deſcribendis ſive, quod idem eſt, alia officia propoſuit ſibi deſcribere, alia revera deſcripſit: *Amphora cœpit inſtitui, vertente rota cur urceus erit?* Horat. Art. Poët. Hoc autem majus peccatum ullum committi poſſe à ſcriptore nego, in vera & methodica diſciplina, quam ut à ſcopo propoſito penitus aberret in *adverſum.*

6. Quodſi Puffendorffianus aliquis contendat, Puffendorffium ſive in prioribus, ſive in poſterioribus libris, ſive in omnibus libris deſcripſiſſe officia ad ſtatum naturæ purum, non adventitium vel hypotheticum pertinentia; ego quidem rurſus huic demonſtrativæ diſciplinæ capiendæ me imparem profiteor. Pacuis enim officiis propoſitis, iisque non juris ſed honeſtatis tantum, initio capitis IV. libri tertii incipit docere ſic: *Ut mutua inter homines officia, qui fructus eſt ſocialitatis, eo cre-*

brius,

Digitized by Google

brius, *& ad CERTAS VELUT REGULAS exerceantur*, *NECESSUM FUIT*, *homines ipſos inter ſe convenire &c.* Diſtinguit deinde inter obligationes ſola ratione deprehendendas, ſeu factas ab ipſa natura; & inter alias ortas ex facto hominum accedente, *JUS NOVUM* tribuente, ſive per pacta conſtituto. Has autem obligationes *novas* pactis & *factis* hominum ortas deſcribit ſex libris. Igitur ex ipſius doctrina ac principiis liquet, ipſum deſcripſiſſe *officia nova hypothedici ſtatus ex hominum facto orti non puri.* Hæc autem, quantum ego perſpicio, ſibi contraria ſunt. Puffendorffius ſcripſit in toto libro officia pro ſtatu puro non pro hypothetico & Puffendorffius deſcripſit officia pro ſtatu hypothetico, non pro puro: idque ſaltem per duas tertias operis ſui partes, imo plures.

Imperitia Puffendorffi.

7. Quodſi vacaret illud capitis quarti initium preſſo veſtigio examinare, facile eſſet oſtendere, nullum prope in illo verbum eſſe, quod cum reliquis cohæreat, quod non ſalſum ſit, non ambiguum & verſatille, non falſo ſuppoſito nixum, aut alias ſanæ methodo ac rationi adverſum. Neve ea comminiſci tantum ſine cauſa inſimules, conſideret aliquis voculas illas paucas: Pacta neceſſaria fuiſſe ad *EO CREBRIUS* exercenda officia charitatis. Hoe autem ſtricte ſumptum ſignificat, pacta neceſſaria fuiſſe non ſimpliciter, ſed *ad melius eſſe*, ut loquuntur doctores; Puffendorffius autem alias dicit pacta neceſſaria fuiſſe ex obligatione legis naturalis, quam omnium *ſtrictiſſimam*, non tantum ad melius eſſe, ipſe agnoſcit.

8. Eodem ſpectat, quod aïat, pacta neceſſaria fuiſſe ad *OFFICIA CARITATIS* ſeu humanitatis crebrius exercenda: & tamen ait, per pacta demum introductum fuiſſe *jus novum* proprie dictum: ante pacta autem non fuit niſi charitas, & naturalis obligatio: igitur ante ea non fuit jus proprie dictum: igitur jus naturæ, quod certe ante pacta fuit, non fuit jus proprie dictum.

9. Nec multum abludit illud, quod per pacta ait hoc tantum effectum eſſe, ut per *certas VELUT regulas* homines exerceantur. Tam verſatili modo non loquerentur doctores noſtri, ut pacta dicerent *velut regulas*, *Quaſi regulas.* Sed piget immorari. Illud ubique fere elucet, Puffendorffium verſatilia loqui, ut facile in omnem partem ſua interpretari poſſet, & ſiquis eum premeret, hunc convitiorum plauſtris onuſtum dimitteret, fretus interim tutela potentum, quibus omnia conceſſit, tanquam jure naturæ debita.

Gundlingii promiſſa in jure naturæ. Docet Puffendorffium confundere naturalia civilibus.

10. *Gundlingius* Diſcours über das Natur- und Völcker-Recht. Diſcurſu præliminari §. 1. ait: ſe in ſuo Jure naturæ tria obſervare. 1. Quid ratio dictet, ſine reſpectu ad imperium? 2. Quid in ſtatu Imperii obſervandum? 3. Quid illa præcepta rationis inter gentes operentur? *Ante hac omnia confuſa fuerunt. Et ſi Grotium ac Puffendorffium ſpectamus, illi JAM CIVILIA, jam jus Naturæ, jam Jus gentium exponunt. Eam ob cauſam mihi Puffendorffius, quoties eum pro ſuggeſtu explicavi, faſtidio fuit, quod homines conturbet. Quippe me ipſum initio conturbavit.* Quamquam autem Gundlingus non definiat, quanta pars operis Puffendorffiani in civilibus verſetur, id tamen cuilibet juris civilis vel parum perito non poteſt eſſe ignotum, duas eſſe ſaltem tertias partes. Ceterum quid de Puffendorffio ipſe judicet, liquet ex ejus Diſcurſu præliminari über das Natur- und Völcker-Recht. *Puffendorffius quæſivit, librum ſuum methodo magis ſcholaſtica inſtruere.* Quod noſtri ſcholaſtici vix agnoſcent. Deinde dicit: *Puffendorffii ſtylus non omnino purus eſt, ſed neque omnino barbarus, ſed medius inter barbarum & purum. Qui vero linguæ non omnino potens eſt, cogitata ſua ſæpe neſcit rite exprimere. Id evenit Puffendorffio, quod & Barbeyracus demonſtravit.*

Oſenditur Puffendorffium nihil tradidiſſe de Jure naturæ.

Thes. V. Puffendorffius fere duos libros conſumpſit, ex illis octo, in altercationibus maxime metaphyſicis & ex toto opere ſive ex *ſeptuaginta quatuor* non niſi *ſex* capita impendit in officia caritatis ſeu humanitatis deſcribenda; adeoque fere nihil in officia juris naturæ proprie dicti, ſecundum ipſum. De origine & varietate entium moralium cap. I. Libri I. De certitudine diſciplinarum moralium Cap. II. De intellectu hominis prout concurrit ad actus morales Cap. III. ubi jejune ac confuſe de conſcientia diſſerit. De voluntate hominis, prout concurrit ad actus morales Cap. IV. ubi pauciſſima eorum attingit, eaque perturbat, quæ à noſtris doctoribus ampliſſime ac diſtinctiſſime, ac quod eſt ſummum, ſecure pertractata ſunt. De Actionibus moralibus in genere &c. & de Imputatione Cap. V. in quo omnia ad hæreſin ordinantur, & ad gratiam divinam, & Juſtificationis opus velut juris naturæ contrarium exſufflandum. De Norma actionum moralium, ſeu de lege in genere Cap. VI. Ubi rurſus de Lege te-

Google

nuia, confuſa, verſatiliaque docet, quæ à majoribus accepta multo pejora reddidit. De actionum moralium qualitate Cap. VII. Ubi de bonitate ac malitia, de juſtitia ac injuſtitia tractat, nulla parte ſimilia iis, quæ majores docuerant. De Actionum moralium Quantitate Cap. VIII. & Cap. IX. iterum de Imputatione: quæ ad hæreſin ſpectant. Et hactenus Jus naturæ non, ſed juris naturæ quædam præambula ſtatuit.

2. Libro deinde II. pergit in præambulis. Capite I. explicat, Hominis naturæ non congruere ut vivat exlex. Cap. II. de ſtatu hominum. naturali diſſerit. Caput tertium impendit in inquirendum quæ denique ſit lex & principium juris naturæ; cujus magnam partem ſuperioribus depexam dedimus. Denique vero hujus libri tertii reſidua tria capita, & libri ſequentis quarti capita tria priora impendit in deſignanda officia juris naturæ, vel, ut alibi vocat, in officia *humanitatis* ſeu caritatis.

3. Cetera omnia, quæ de Contractibus, dominio, pretiis, connubiis, Jure patrio, imperio, magiſtratibus &c. confuſè prodit, nullus eſt fere Juris Conſultorum, qui ea non accuratius expendat: nullus Theologorum qui non intimius perſcrutetur. Quæ ſi vellem ſingula hic ante oculos exponere, duplex mihi volumen exſcribendum ſupereſſet: nempe unum Puffendorffii, alterum alicujus Juris civilis conſulti, aut etiam Theologi, Puffendorffiano comparatum. Sed quid neceſſe, ſcripta reſcribere? Legat qui volet Puffendorffium juris civilis & Theologiæ jam antea gnarus, & fatebitur (præter forte Poëtarum ac Philoſophorum dicta) nihil fere ſe ex Puffendorffio addiſcere, quod non diſtinctius antea ſciverit. Contra legat aliquis ſolius Puffendorffii gnarus Juriſconſultos & Theologos, mirabitur, ita ſpondeo, quanto in labyrintho ante circum palpaverit: præcipue ſi Theologorum noſtrorum ac ICtorum principes conſuluerit. Non enim inficiamur, inter hos alium alio eſſe præſtantiorem aut copioſiorem aut clariorem aut profundiorem.

Heineccius Jus hypotheticum, Civile tradit, non naturæ puræ.

Them. VI. HEINECCIUS in multis quidem multo modeſtior, in ceteris tamen æque ac Puffendorffius deficit, & jus plerumque civile, hypotheticum ac artificio ſeu ex facto hominis ortum docet ex *quindecim* ſuis capitulis non niſi *quatuor* impendens in officia talia, quæ ne quidem ipſa ſint officia juris, ſed potiſſimum Charitatis, honeſtatis, decori. In ceteris pauca tantum eorum tenuiter & per meras plerumque aſſertiones tradit, quæ à noſtris ampliſſime deducta, excuſſa, & confirmata Dudum fuerunt, & hodiedum in *omnibus ſcholis* docentur.

1. Heineccius duos facit libros ex libello ſuo. Imus dicitur *de Jure Naturæ*. Secundus *de Jure Gentium*.

2. Liber Prior continet capitula *Quindecim*. Ex quibus priora *quatuor* verſantur in præparanda, ut ait, Juris naturæ diſciplina: nempe de nomine &c. Juris naturæ; de Actibus humanis; de Conſcientia; De Ignorantia vincibili, invincibili; De Spontaneo, libero &c. Diſtinguit Principium Juris naturæ à norma actionum humanarum. Agit de Juſtitia DEI & hominis. Facit amoris duos gradus Juſtitiam & humanitatem: & de amore concupiſcentiæ ac benevolentiæ quædam diſſerit. De Imputatione denique, culpa, foro ſori & foro poli. De legis interpretatione, ignorantia, vi, metu. Quæ qui cum tractatibus & voluminibus Noſtrorum tam Theologorum quam Juriſconſultorum contulerit, exſanguia & paupertate plena deprehendet.

3. *Capitulum quintum* impendit officiis erga DEUM, agens de ejus honore, ſuperſtitione &c. Et hic dici poteſt, ipſum Incipere Jus naturæ tractare. *Capitulum Sextum* pergit in jure naturæ agens de officiis hominis erga ſe. De autochiria, cultu ingenii, corporis, famæ &c. *Capitulo Septimo* pergit in jure naturæ, explicans officia hominis erga alios abſoluta & perfecta: & de jure in vitam alterius, De moderamine inculpatæ tutelæ De læſione aliorum in bonis animæ, corporis, famæ. De Mendacio, jure jurando. De reſtitutione. *Capite Octavo* tractat aliquantum de officiis imperfectis quæ vocat, nempe de beneficentia, gratitudine.

Jus naturæ Heineccianum non eſt naturæ puræ ſed pactitium.

4. Atque hic finitur Jus naturæ quod ipſe putat eſſe hactenus purum, atque ab hypotheſi liberum. Ut adeo ſubducto calculo ex omnibus quindecim capitulis primi libri ne tertia quidem pars impenſa fuerit ab Heineccio in jus naturæ purum. Reliqua undecim capita aut prolegomena ſunt, aut jus hypotheticum ſeu pactitium & civile aut quaſi civile, certe humanum, loquuntur. Totus autem liber ſecundus jura gentium adumbrat.

Ulterius probatur.

5. Nam *capite IX.* Libri primi Incipit agere de officiis erga alios hypotheticis; ubi de Dominio, proprietate, poſſeſſione: De bonorum diviſione: De modis acquirendi dominium, ut inventione, alluvione &c. *Cap. X.* De deriva-

rivativis dominii acquiſitionibus, de alienationibus &c. de Pignore, hypotheca. *Cap. XI.* De Hereditatibus, pactis ſucceſſoriis. *Cap. XII.* De juribus & officiis, quæ ex dominio oriuntur: De rei vindicatione: de fructibus extantibus, conſumptis; de bona vel mala fide &c. De furto, fraudatione, reſtitutione. *Cap. XIII.* De rerum in dominio conſtitutarum comercio. De Contractibus. De Pretiis rerum. De pecunia. De permutatione. De contractibus innominatis. De commodato, depoſito, mandato, negotiorum geſtione. De emptione, locatione &c. Uſura, pignore, hypotheca, pacto antichretico, de Societate. *Cap. XIV.* De Pactis expreſſis & tacitis. Conſenſu, Conditione, ex die & in diem. *Cap. XV.* De ſolutione contractuum & pactorum.

Them. VII. Grotius quoque non ſcripſit Jus Naturæ; quamquam ſi hoc ſcribere voluiſſet, multo ad hoc aptior erat Puffendorffio Philoſophiæ experte.

1. Id probatione non indiget. Inſcripſit enim librum ſuum *de Jure belli & pacis*, & principibus fere ſuggeſſit, quid facto iis ſit opus. De Ingenio autem deque eruditione & Philoſophia Grotii, quantum ea ſuperior Puffendorffii loquacitati fuerit, nulli dubium eſſe poteſt, qui utroſque legerit.

2. Etiam Gundlingius de Grotio agnoſcit, ipſum Jus gentium & publicum univerſale tantum ſcripſiſſe, & initio quædam de Jure naturæ Generalia addidiſſe. Ut aut fallatur Puffendorffius in præfatione dicens, Grotium primum fuiſſe, qui Jus naturæ in formam diſciplinæ redegerit: aut fallatur Gundlingus, dicens, Grotii librum non habere ſyſtema, ſed congeſtum methodo arbitraria. Diſcurſu Prælim: über das Natur- und Völcker-Recht.

CAPUT XV.

Grotium, Puffendorffium ac cæteros tales perperam dici primos auctores Diſciplinæ Juris Naturæ, nec adfuiſſe ſanam rationem à vetuſtate recedendi, nec modo eſſe ad quidquam utiles.

Dicentes, ante Grotium ignoratum eſſe Jus naturæ,

Th. I. PLerique omnes Juris naturæ ab ipſis ſic dicti Scriptores fecerunt aut inerudite, aut maligne, aut impudenter, quoties jactarunt Jus naturæ ante Grotium fuiſſe in orbe terrarum incognitum, & præcipue Catholicos omnes doctores illius juris ſemper fuiſſe & in hunc diem eſſe rudes.

faciunt inerudite,

1. *Inerudite* fecerunt: nam ſi vel duos tresque ex ſolis caſuiſtis, & ex Juriſconſultis attente legiſſent, omnia illa, quæ à ſe dicunt de novo inventa eſſe, reperiſſent uberrime tractata, perque multas rationes & argumentationes pulcherrime ſtabilita. Qui ex lectoribus meis (ſimodo legi à quoquam hæc mea merebuntur) Jurium civilium ac Theologiæ ſaltem moralis periti ſunt, illi veriſſima agnoſcere debent ea. quæ jam dixi. Qui vero illis imbuti non fuerunt, aut quorum è memoria hæc forte rurſus exciderunt, jubeant quæſo ſibi prælegi titulos ſaltem ex corpore Juris civilis: aut alicujus Juriſconſulti indicem, aut aliam comparationem faciant, quà ſuis ipſi oculis cernant, & videant nudam eſſe paupertatem, quidqui heterodoxi Naturaliſtæ ſcripſerunt, ſi cum noſtro quolibet uno ſaltem caſu iſta conferantur.

fecerunt maligne,

2. *Maligne* fecerunt illi, qui anteriorum doctorum libros cognitos habuerunt, & tamen aliis hominibus conantur perſuadere, in anteriorum libris jus naturæ non contineri. Sic qui quærenti mihi, num in hac domo habitet judex, reſpondet: non habitare: imperitus eſt, ſi reſpondet, cum ipſe neſciat: aut, cum ſciat habitare, eſt malignus, qui neget.

& impudenter.

3. *Impudenter* fecerunt; ſeu legerint noſtros libros, ſeu non legerint; quia ſperârunt, ſe hominibus oculos eruere poſſe ne cernant; aut nebulam facere, ne apertis etiam oculis videant; aut denique ſtolidos præ ſe omnes habebant & inertes, qui in verum nunquam eſſent inquiſituri.

vaneque ſe excuſant per methodum meliorem.

4. Neque ullum eſt effugium, ſi ita ſeſe purgent: Saltem methodo nova conſcripſimus jura naturæ, &, quæ apud alios ſparſa erant, in unum redegimus. Quippe ℞. (1. Nova methodus non facit novam ſcientiam. Jus civile Romanum alii per commentaria ad ſingulas leges ediderunt: alii per cauſas: Heineccius nuper per conciſos paragraphos & naturali ordine ſæpe in præpoſterum mutato. Num igitur Lauterbachius, num Heineccius inventores ſunt Juris Romani, & ante hos ignoratum fuit in orbe Jus Romanum? ſicut, iſti crepant, ante Grotium, & maxime Puffendorffium ignoratum fuiſſe jus naturæ? ℞. (2. Qualis fuerit anteceſſorum inde à Grotio uſque ad Heinec-

cium methodus, quam ſolide, dilucide, certe ac ſecure tractaverint jus naturæ, ſuprà pluribus oſtendimus, non ex noſtra, ſed ex ſua ipſorum ſententia Themate XIV. Cap. VII. nempe, *nulla habuerunt aut incerta principia, omnia confuderunt, naturalia civilibus, omnia tenebris velut data operâ involverunt, ita ut ne reſingi quidem & emendari aut ſanari eorum libri poſſent, ſed neceſſe omnino fuerit, illis plane dimiſſis omnino novos juris naturæ libros nunc demum ſcribi.* Hæc omnia citato mox loco comprobata dedimus, & alibi ſæpius in noſtro hoc libro. Cap. VIII. Them. XIII. & infra hoc Capite Th. XI.

quippe quæ ipſis deeſt.

An Catholicum ſcribere jus naturæ ſit poſſibile?

5. Ad hoc maledicorum genus ſpectat is, qui *BILDERBEKII* ſtatum Imperii Germanici poſterius edidit lingua Germanica, cum in Bibliotheca juris publici Germanici operi præmiſſa ait, *totum literatum mundum obſtupuiſſe, cum catholicorum aliquis auſus eſt Jus naturæ & gentium ſeu publicum univerſale edere.* Is eſt Magnificus P. Franciſcus Schmier ex libero Imperiali monaſterio Ottoburano Rector quondam Univerſitatis Salisburgenſis, Archiepiſcopo ibidem à conſiliis intimis. Verum is vir non Jus naturæ ſcribere inſtituit, ſed jus tale quod publica maxime negotia temperare poſſet, non uni genti peculiariter ex toto congruens, ſed ſaltem per partes, quemadmodum Platonis ac Ciceronis leges à nulla republica totæ fuerunt receptæ, poſſunt tamen multis rebuspublicis ſervire ad ſua negotia ordinanda. Equidem rem egregie præſtitit Magnificus ac doctiſſimus ille vir, ſed ut ſuper eo tanquam Catholico obſtupeſceret mundus, non habuit. Quo ille Bilderbekii editor quid aliud vult, quam hoc ipſo quod aliquis ſit catholicus, ineptum eſſe ad jus naturæ vel univerſale ſcribendum aut cogitandum? Quod idem eſt ac ſi diceret Catholica religio repugnat juri naturæ & univerſali: ſi enim non repugnaret, non redderet homines ineptos ad illa jura. Quæ quidem hominis blaſphemia ſtupida etiam eſt. Si enim Catholica religio repugnaret juri naturæ & publico univerſali ſcribendo, repugnaret etiam eidem ſervando. Ergo nulla poſſet reſpublica, aut communio plurium gentium catholicarum conſiſtere, & Catholici omnes ſaltem paulatim deberent in beſtias degenerare. Quo quid ſtupidius poſſet cogitari? Ceterum P. Schmier non fuiſſe propoſitum *Jus Naturæ* abſolutum ſcribere ſed potius *civile univerſale*, quale Plato circiter, hodiernis tamen & maxime Chriſtianarum gentium moribus accommodatum, quod optaverat Leibnitius, maniſeſtum eſt; quia pro *Fontibus* ſui Juris adſignat *Jus Naturæ*, & *Jus Canonicum*. Si ipſe voluiſſet Jus naturæ ſcribere, quomodo Jus naturæ diceret eſſe fontem juris naturæ;

Bilderbekii editoris ſtupiditas.

Velthuſii ſtolida gloriatio.

6. Hic autem *VELTHUSIUS* homo obſcurus Batavus à nobis erit nominandus. Præco ille operum ſuorum Tom. II. in præfatione ad Diſſertationem epiſtolicam de Principiis Juſti & Decori poſt pag. 954. cum decreviſſet, Principium Juris naturæ eſſe *Conſervationem ſui*, pergit & ſuſpicatur fore quosdam, qui ipſi objectent; unde evenerit, ut tot antè ſeculis nemini hoc in mentem venerit? His ille aſſumpto magiſtrali ſupercilio medicinam qua à ſtupore ſe reficiant, præbet hanc: *Neminem amplius admiratio detinere poterit, QUOMODO TOT SECULIS ETIAM PRO ERUDITIS HABITIS VERITAS LATERE POTUERIT? Primo ſummam & minime protritam induſtriam ad hoc requiri certum eſt. At quam RARA TALIUM * INGENIORUM COPIA Omni ævo fuit? Deinde ex eorum exiguo numero quam pauci, ** qui litteris ex toto animo ſe addicunt? Et ex iis, qui litteris operantur, quam pauci ***, qui veritatis ſtudio ſeſe applicant? Alii linguarum peritiam quærunt, alii hiſtoriarum cognitionem: pars in lectione Patrum tempus & induſtriam collocant.* Cetera denique garrit Velthuſius, quæ exſcribere prolixius & pudet & pœnitet; quot enim verba tot ineptiæ & gerræ. Hic potius obſtupeſcendum eſt ſi non toti literato mundo, certe literatiſſimæ Europæ, extitiſſe nuper in ipſa hominem novum, obſcurum, ignobilem, qui toti retro Europæ tam craſſam ſocordiam exprobravit, tam pinguis eam Minervæ accuſaverit, ut ne unus quidem per tot ſecula male erudita illud ſaltem principium totius vitæ agendæ ex ratione invenire potuerit, ſine quo tamen invento nec ordo, nec juſtitia nec adeo vita ulla eſſe humana in toto mundo potuit, ut nemo cognoverit, *Conſervationem ſui* ad Jus naturæ pertinere.

Se primum agnoviſſe, Conſervationem ſui eſſe de Principiis J. N.

Them.

* Quale nunc in Velthuſio DEUS indulſit terrarum orbi.
** Et inter hos paucos Velthuſius certe.
*** Rurſus inter horum paucorum pauciſſimos Velthuſius, imo ipſe ſolus, ſi ſuperis placet.

Digitized by Google

Novatores ſine cauſa receſſerunt à vetere J. N. arte.

Them. II. Novatoribus non adſuit ſana ratio & ſufficiens cauſa ad recedendum à veteri juris naturæ docendi arte.

Recedendum à veteribus ſi *mala*

aut ſi *male* docuerunt.

1. Puffendorffius, & Heineccius ipſi agnoſcunt ſanam & legitimam rationem à vetere *DOCTRINA* diſcedendi eſſe, ſi veteres *MALA* docuerunt. At recedendum à *DOCTRINÆ MODO* tunc eſſe, cum *MALE* omnino doctum eſt, ita ut diſci ex vetere modo nihil potuerit. Idque ſane in Moralibus & practicis locum habere debet. Nam in ſpeculativis poriſſimum *modus ſciendi* ſpectatur, ita ut ſæpius ac facilius hic mutari queat, manente ſubſtantia. In practicis enim modus & ipſa doctrina paulo delicatius inter ſe connexa ſunt.

Puffendorffius hoc agnoſcit,

2. Nam Puffendorffius rationem cur à Grotio neceſſario diſceſſerit, eique ſuum jus oppoſuerit, aſſignat hanc: quia is ſententias Eccleſiæ improbatas poſſim adſerat: id eſt, quia *MALA* doceat. Eandem vero rationem à Catholicis Patribus & doctoribus deficiendi non poteſt dare Puffendorffius. Illæque doctrinæ, quas malas dicit, & Catholicis affingit, per ſophiſticam tantum fallaciam affingit. Vid. Cap. XII.

& Heineccius

3. Heineccius cum Puffendorffii ac omnium anteceſſorum ſuorum adeoque Proteſtantium Jura naturæ relinquenda doceat, utut malam ſeu à ſua abludentem eorum doctrinam non exiſtimet; tamen cauſam recedendi alteram ſumpſit nempe *MODUM DOCTRINÆ* tenebroſum, confuſum, principiis deſtitutum: cui & Gundlingus ſubſcribit. Vid. Them. XIV. Cap. VII.

ob methodum recedens debuiſſet meliorem invenire,

4. Quodſi Puffendorffius cauſam diſcedendi prætendit *METHODUM* ſeu modum veterum, debuit ipſe, ſi homo peritus & ad reformandos veteres idoneus fuit inſtituere *methodum meliorem.* Si peritus non fuit, & tamen reformatorem agere voluit doctiſſimorum è tot ſeculis hominum, fuit præſumptuoſus & temerarius nec dignus qui audiatur. Non fuiſſe autem idoneum, nec methodum inveniſſe meliorem tum Heineccius & Gundlingus & Kemmerichius & alii agnoſcunt; tum ipſe ejus liber omnium certiſſime docet; & nos ſupra oſtendimus, ipſum methodi, Logicæque expertem in ſophiſmatis paſſim verſari, & ex rhetorum potius quam philoſophorum diſciplina prodiiſſe; qui rhetures non ſunt ſolliciti, num vera dicant, ſed id agunt unice, ut à ſe dictis ſimilitudinem ſaltem veri concilient ac circumdent.

quod facere non potuis,

nec fecit.

5. Ergo ſic jam Quæro: Aut iſti novi doctores alia honeſta aliaque juſta docent, quam quæ juſta honeſtaque docuerint veteres doctores, & leges noſtræ civiles per Chriſtianas correctæ? Aut docent eadem? Si eadem? ergo impudenter contendunt, à veteribus recedendum fuiſſe, veteres hæc ignoraſſe, ſe ſolos eſſe ſapientes; cum nihil aliud quam veteres profiteantur ſe ſcire aut docere. Quodſi ipſi alia honeſta juſtaque quam veteres noſtri docent, non audiendi ſed damnandi ſunt. Plato in Dialogo VII. de Legibus graviſſime monet, quam periculoſum rei publicæ ſit mutare apud juventutem aliquid, ſi vel ſoli ipſorum ludi puериles mutentur. Nam *ſi mutetur id genus, novique ludi quotidie inducantur, ſemperque novis delectetur juventus tum figuris geſtibusque corporis, tum reliquo apparatu & ſupellectili; ac DECENS & INDECENS in his rebus aliter in dies & aliter judicent, atque inventores novarum rerum, colorum ſcilicet & figurarum ceterorumque hujusmodi ſemper honorent: peſtem hac nullam civitati majorem fore cenſemus, recte admodum judicantes: Mutat enim juventutis mores OCCULTE, facitque, ut* PRISCA QUIDEM VILIA, NOVA VERO DIGNA HONORE VIDEANTUR. *Qua oratione & opinione nihil rurſus aſſero perniciofius civitate eſſe. - - - - Mutationem omnibus in rebus, præterquam MALIS eſſe periculoſiſſimam, in temporibus inveniemus, in ventis, in dieta corporum, in moribus animorum, & in omnibus ſimpliciter, præterquam in MALIS, ut modo dicebam.*

Si novi *eadem* docent quæ veteres, ſunt impudentes:

Si alia docent, non ſunt admittendi,

Platonis conſilio egregio,

6. Quodſi tantum eſt periculum reipublicæ à mutatione puerilium ludorum & gerrarum; quia *occulte* tantum & ſine ſenſu diſponunt ad veteres leges & mores præ novis ſpernendos & mutandas ſententias vel tantum de *decenti* aut *indecenti*: quam grande eſt periculum, ubi ipſa *juſtitiæ primæ* doctrina in dies novam faciem nova principia induit, qualia induit apud heterodoxos quotidie ſcriptores? Hæc enim innovatio mores jam non occulte mutat, ſed palam & uno velut ictu ſuccidit omnia: præcipue cum novi doctores tyronibus ſuis velut pro fundamento ſubſternunt contemptum antiquiorum doctorum & Sanctorum Eccleſiæ Patrum. Neque veterum modo ſed & omnium hodiernorum, ita ut *miraculi* inſtar ſit, ſi quisquam ex hodiernis Catho-

ludis mutatis mutatur reſpublica.

mutatis moribus perit.

tholicis doctoribus proferat aliquid Juri naturæ ſimile. Quo alludit locus ex *Elizalde* exſcriptus nuper à Cl. P. *Concina* in Diſſert. II. De Uſura Tractatus Trini. pag. 143. quem hic repeto. *Mirabere quorundam Recentiorum pinguem ſane imperitiam, qui exemplo novarum inventionum rei tormentariæ, bellici pulveris, artis bombardarum, & ſimilium, novas ætatis opiniones morales, ætatemque ipſam commendant, quaſi tum demum, ſicut cetera illa inventa, ita ars quoque quaſi nova vivendi, peccata vitandi, & plurimos ſalvandi excogitata ſit &c.*

Mutatio in laudandis vituperandisque moribus periculoſa.

7. Eandem in rem faciemus plura etiamnum Platonem loqui, libro VII. mox citato. *Sed cetera quidem, præſertim circa figuras, mutata minus nocent. CREBRA VERO IN LAUDANDIS VITUPERANDISQUE MORIBUS INNOVATIO, GRAVISSIMA ETIAM, UT ARBITROR, ET PLURIMUM FORMIDANDA. - - - -*

Cautela de libris edendis.

Ergo Nemo poëta (ſeu ſcriptor) *præter civitatis leges & juſta vel honeſta vel bona fingere quidquam audeat. Nec liceat, quæ compoſuerit, ulli privatorum oſtendere, antequam conſtituti hac de re judices legumque cuſtodes & viderint & approbaverint.* Quæ utinam tandem Principes noſtri obſervari accuratius faciant, ut nihil heterodoxorum librorum permittatur manibus privatorum, eorum maxime, qui, tametſi falſo, crepant, ſe *juſta, honeſta,* ac *bona* docere, diverſa tamen à Civitate noſtra communi Eccleſia Catholica.

Muſicæ mutatio periculoſa: cur.

8. Mutata muſicâ neceſſe eſſe mutari rempublicam Plato agnovit. Ubi quidem vir ſapiens haud dubie intellexit, non mutationem muſicæ eſſe cauſam morum mutandorum, ſed animos jam jam mutatos cauſam eſſe *tolerandæ* muſicæ mutatæ. Sicut noſtris temporibus omnia prope exteriora in veſtibus, cibis, potu, omnique cultu mutata, non ſunt cauſa mutatorum in univerſum morum; ſed animi degenerantes cauſa fuerunt, ut hic cultus mutaretur.

Novatores cum veteribus tantum de ingenio litigant non de juſto.

9. Totus conatus (præter ſcopum Catholicæ religionis ſuffodiendæ) iſtorum ſcriptorum ad hoc impenſus eſt, ut oſtenderet quilibet recentior, anteceſſores ſuos fuiſſe imperitiores ſe in methodo ſeu in arte tradendi juſti. Plato acutus ille agnovit, non eſſe hanc legitimam cauſam procedendi in aciem: ſed eos, qui juſta docturi ſunt, debere certare contra adverſarium juſti non contra doctorem juſti. Neque Wolffius plus pro ipſa juſtitia agonizavit contra injuſtitiam, quam ejus anteceſſores, quos imperitos tantum non injuſtos dicit: imo ipſe ignavius ceteris multis pugnavit, qui campum juſtitiæ deſeruerit ſummis juſtitiæ adverſariis Atheis, eiſque in prædam conceſſerit ſummum bonum. Ita Puffendorffius non contra injuſtitiam ſed contra Grotii tenebras: ita Gundlingius contra turbas viciſſim Puffendorffii: Heineccius contra anteceſſorum ſuorum & magiſtrorum confuſas ineptias ſuſcepit certamen, aut ab iis defecit. Lepidus eſt ea de re dialogus Platonis, dictus *Alcibiades primus.*

& per hoc injuſtitiæ campum aperiunt.

Ex Platone exemplum Alcibiadis.

Cum enim Alcibiades juvenis in procinctu eſſet ad rempublicam ſe conferendi, Platoque ei oſtenderet ignorantiam ad hanc rem ſuam, Alcibiades excuſavit ſemet, ceteros, qui nunc reipublicæ præeſſent, æque eſſe ignorantes aut ignorantiores; hoſce ſe ingenii ſui bonitate facile ſuperaturum: vehementer eum reprehendit Socrates ob hanc maxime cauſam, quod Alcibiades, rempublicam tractandam aggreſſurus, hoc fine, nempe republica, neglecto ſibi propoſuerit certamen cum iis, qui rem publicam adminiſtrarunt. Eodem fere modo philoſophicam reprehenſionem mereri videntur heterodoxi iſti ac novi ſcriptores Juris naturæ. Hi enim profitentur, ſe *Jus naturæ* ſeu juſtitiam naturalem tradituros. Cum ad rem & ſcriptionem exſerendam venitur, certant cum anterioribus, qui idem Jus naturæ adminiſtrandum ſeu commonſtrandum ſuſceperant, & quid poſt hæc omnia faciunt? non oſtendunt alia juſta: non oſtendunt aut conantur oſtendere alia ac meliora fortioraque fundamenta contra injuſtitiam; ſed totus eorum labor hic eſt, ut alios ignorantiores & ingenio inferiores oſtendant: Rem ipſam, nempe Juſtitiam naturalem interim exponunt, aut omnino injuſtitiæ aliquam partem relaxant, modo ſpes adſit ceteros Juris naturæ doctores ſuperandi.

Objectio: Nos idem facere.

10. Occurret mihi aliquis, eundem laborem etiam à me ſuſceptum eſſe, ut qui contendam vincere heterodoxos & oſtendere, imperite ipſos Jura naturæ tractâſſe? At Reſpondeo. Hoc me non niſi per occaſionem facere. Ceterum meum inſtitutum eſſe, ut doceam, ipſa fundamenta juſti male ab his eſſe jacta. Si id potuiſſent facere meliore arte & cohærentia, cohærentiam ego illam at-

Reſp.

que

que artem minime notâſſem: Cum tamen id fecerint contra artem ac methodum ſciendi, neceſſe mihi fuit *duo* in his reprehendere: *primum* eſt, quod mala doceant, mala principia Juſti ſtatuant, atque adeo Injuſtitia per iſtos juſti doctores relinquatur intacta & impunis. *Alterum* eſt, quod doceant etiam malè, imperite, fallaciter & contra leges artis. Equidem malebam ego ſolam priorem partem pertractare nempe de juſtitia ipſa tuenda. Verum ſuſcipienda etiam fuit pars altera de modo tractandi; idque propterea, quod Iſti ſcientiam ſuam præ omnibus veteribus eximiam eſſe jactantes, & ſe ſolos ſapere dicentes poſſint invenire fidem apud multos innocentes & artis minus gnaros, ſi nemo ſit, qui oſtendat, hæc promiſſa futilia, vana, ac mendacia eſſe.

Duo præſtanda nobis propoſita: Larvatos & male docere & *male*.

Them. III. Iſti libri heterodoxorum de Jure Naturæ parum ſunt utiles (detractis etiam ſententiis damnatis ab eccleſia) ad diſcendam ex iis Ethicam ſeu diſciplinam bonorum morum.

Novatorum libri non proſunt ad bonos mores diſcendos;

1. Quia nec eſt ipſorum intentio, illos docere. Cum profiteantur plerumque, abſtrahendum eſſe à motivis honeſti ac decori; ipſique profiteantur, ſe velle tradere diſciplinam ab *Ethica diſtinctam*. Quamquam etiam hoc male exequantur, & plerumque omnia confundant, ut Cap. VIII. Them. XIII. ex ipſorum ore demonſtravimus.

quia nec eos profitentur,

2. Quia ad Ethicam pertinet non tantum juſtitiam, ſed & ceteras virtutes morales, earum partes, & ſubſidia docere. Quorum nihil præſtant iſti.

nec præſtant.

3. Quia facile iſtorum doctrina ad corrumpendos publice ac privatim mores traduci poteſt, & reapſe à multis traducta eſt. Vid. Cap. XI. ac alibi. Cum eſſem ante hos annos Viennæ Auſtriæ, Nobilis nonnemo ex Saxonia cuidam è Regiis ſummis adminiſtris, cujus eram familiaris, noo ſine dolore profeſſus eſt, quam ancipiti fiducia adoleſcentes ſuos erudiendos tradat ſcholis Acatholicis ipſa Acatholica Nobilitas, ob deſultorias & ſpiritui cujuslibet privato paſſim accommodatas doctrinas. Vide Appendicem ſecundam infrà.

Them. IV. Multo-minus utiles ſunt iſti libri ad conſcientiam & pacem internam procurandam, & ſecuram coram ſummo illo ente reddendam; ſive iis utatur Chriſtianus aliquis ſive qualiſcunque gentilis aut Judæus.

Nec proſunt ad conſcientiam regendam.

1. Nam Gundliogius quidem ingenue profitetur, Jus naturæ debere ad hoc tendere; ſed ſe non ſuffeciſſe toti, ideoque particulam juris naturæ minorem ſeu corticem ſibi examinandum ſumpſiſſe, nempe pacem externam, nucleo aliis relicto.

quod tamen ad Jus naturæ pertinet,

2. Ceteri autem, ut D. Wolfius, & Puffendorffius aliique quomodo poſſunt jus naturæ tradere tale, ex quo diſcatur pax interna cum DEO habenda; cum doceant jus tale, in cujus ipſis principiis abſtrahatur à DEO ſimpliciter, vel ſaltem à DEO retributore ſeu pacis hujus cuſtode & exactore?

ab iſtis tamen ne poteſt quidem præſtari,

3. Deinde Chriſtianus quilibet nullam plane fiduciam poteſt habere de diſcendo moderamine conſcientiæ & pace cum DEO habenda ex talibus libris, qui in præcipuo fundamento morali Chriſto plane contradicunt, in quo tamen Chriſto omnium Chriſtianorum etiam Sectariorum ſpes eſſe repoſita debet. Chriſtus ante omnia jubet ſperni commoda hujus vitæ, & bona alterius vitæ inquiri: Iſti vero profitentur io ſua doctrina abſtrahendum eſſe à vita futura, imo etiam à DEO, & hujus tantum vitæ commoda doctrinæ ſuæ ſcopum eſſe. Chriſtus jubet non timere eos, qui poſſunt occidere corpus, timere autem eum, qui animam poſſit damnare: Hi vero omnem vocem Chriſti ex ſua doctrina procul eſſe jubentes, nihil præter metum principum, id eſt hominum, ſuadent. Chriſtus jubet odiſſe animam ſuam, & niſi id fiat, eam perituram denuntiat: Iſti vero viam cupiditatibus latiſſimam muniunt, dum in ſua diſciplina finem totius humanæ juſtitiæ ſtatuuot commoda hujus vitæ. Chriſtus dicit, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, jubetque eos, qui regni ſui participes eſſe volent, non tantum omnem ſpem in futurum differre, ſed etiam in hac vita amarum calicem ebibere: Aſt iſti præter ſpem hujus vitæ nihil inveniunt quod doceaot, nec aliam ex ſua doctrina beatitudinem promittunt, niſi paucorum annorum. Chriſtus ſuam doctrinam profeſſus eſt dominam totius generis humani, etiam regum; ejusque doctrinæ arbitrium nequaquam commiſit regibus ſed piſcatoribus: Hi vero Naturaliſtæ ne hiſcere quidem audent cum tota ſua doctrina adverſus aliquem regum; itaque videntur comparati aliqui, ut vel cuivis regio ſatelliti quantumvis abſona à Chriſto maodanti facile obtemperent: Quippe Chriſti doctrina ad ipſorum doctrinam nihil pertinet. Et tamen ipſi ejus doctrinam atque regnum ſubmittunt regibus terræ; cum tamen illius doctrinæ

maxime Chriſtianis omnia contraria edocentis.

à Chriſto.

trinæ nec auctores ſint nec domini. Talia innumera dici poſſent. Quibus omnibus perſpectis pro me ſpondeo, malle me conſcientiæ meæ curam permittere Platoni quam iſtis. Plato enim DEUM ex ſua doctrina non excluſit: Chriſti autem non unum veſtigium oſtendit, ambabus ulnis excepturus, Chriſtum totum ſi hæc ei felicitas contigiſſet.

Sed nec gentibus.

4. Gentilium conſcientiam quietam non reddi ex doctrina tali, qualis eſt Iſtorum, manifeſtum eſt iis, qui tum veterum Philoſophorum ſcripta perlegerint, tum variarum gentium hiſtorias. Nemo omnium pacem internam adeptus eſt per commoda hujus vitæ, adeo ut apud Indos, Japones &c. multi voluntariam mortem ceremoniis quibusdam procuratam neceſſariam ſibi ad conſcientiæ quietem judicent; adeo nihil ad hoc præſidii in commodis hujus vitæ agnoſcunt.

nec Judæis.

5. De Judæis conſtat, illos pacem conſcientiæ non in his terrenis quærere. Unde Paradiſum, Infernum, & Purgatorium admittunt. Vid. Picart Ceremonies Religieuſes de tous les Peuples. Tom. I. Diſſertation ſur les Juifs Par. V. cap. X. Turcarum Paradiſus famoſus eſt. Facileque ex omnium gentium hiſtoria oſtendero, nullam eſſe gentem, quæ conſcientiæ quietem requirat aut invenire ſe putet in tali doctrina, qualem Puffendorffius ejusque ſimiles tradunt, abſtrahentem à DEO animæque immortalitate.

Hi libri non proſunt foro civili,

Them. V. Nihil proſunt hi libri ad forum civile contentioſum, nempe advocatis, judicibus, aſſeſſoribus.

quod legibus & moribus regitur.

1. In foro enim pronuntiandum eſt ſecundum leges in foro *receptas*, quales in Germaniæ Provinciis ſunt jura Statutaria, & in earum ſubſidium Jus Romanum. Ac derediculo habetetur advocatus in cauſa civili allegans Puffendorffium, Grotium, Wolffium; vel Judex ſecundum illum pronuntians: æque ac videretur judex ſententiam ferens ex legibus Platonis, aut Ciceronis, aut Charondæ, Zoroaſtris, Zaleucci, Solonis aut Draconis.

Ipſimet excludunt leges.

2. Ipſimet hi auctores excluſerunt ſe à foro; cum ex ſua doctrina exeſſe juſſerunt leges Romanas & *omnes civiles*, ſtatueruntque ac juſſerunt, ex ſua mente deciſionem juſti *à ſola ratione* petendam eſſe. Id quod foro judiciario plane adverſum eſt, quod tum demum ratione ſola utitur, cum lex nulla ſupereſt, nulla conſuetudo, obſervantia, aut ſtylus curiæ, vel præjudicia, aut denique nullæ receptæ communes opiniones. Et ſicubi ad æquitatem recurrendum eſt, judicia iſta merito *Chriſtianam* æquitatem omnibus aliis præferunt; quam tamen Naturaliſtæ ſolam excludunt à ſua doctrina.

Forte valent in Judiciis Japonum?

3. Num in judiciis Sinenſium, Turcarum, aut Japonenſium doctrina Iſtorum aliquem uſum præſtare poſſit, ipſorum curæ relinquimus. Nobis noſtræ juventutis utilitas cordi præ ceteris eſt. Vid. Cap. IV. Them. XII. &c.

Hi libri non proſunt nobilitati ruri.

Them. VI. Libri iſti non præſtant uſum nobilitati ruri degenti ad ſua prædia, plebem, mancipia, aut affines etiam colendos.

Sola enim ratione ſi quilibet nobilis ſe ſuosque regere inſtituet, neglectis ſtatutis, legibus, obſervantia, & Evangelio, pulcram ſcilicet intra paucos annos habebimus provinciæ faciem. Alius Thomaſium ſequetur, alius Grotium; Puffendorffium hic, ille Heineccium; rurſus alius iſtorum neminem ſed ſe ſolum conſulet.

Nec regimini Principatuum,

Them. VII. Nihil juvant ad Regimen ſocietatum, Principatuumque.

1. Imo cum inter ſe pugnent, conflictus ex iis oriri debebit, etiamſi ante hac nullus fuiſſet. Conflictuum ergo cum jam ſit plusquam ſatis, præſtat novorum conflictuum ſatores procul abeſſe.

& rerum publicarum.

2. Res publicæ *moribus*, firmisque *legibus* regendæ ſunt. Iſti autem exceſſe juſſis legibus atque moribus ſolam rationem præſcribunt, gladium ancipitem. Quem ancipitem eſſe ipſi maxime experimentum præbent, cum contraria ſentiant & omnes tamen ſola ratione ſeſe niti proteſtentur, aliosque præ ſe ignorantes ac ratione carentes crepent.

Nec ad cauſas populorum decidendas.

Them. VIII. Præcepta *juris naturæ* ab iſtis tradita non ſunt neceſſaria, nec utilia ad cauſas publicas populorum inter ipſos diſcriminandas.

Id jam confirmavimus. Cap. IX. Them. IV. &c.

Jus gentium iſtorum modice utile.

Them. IX. *Jus Gentium* ab iſtis ſcriptum levem aliquem uſum præſtare poteſt.

Grotii quidem majorem, expunctis erroribus, *Heineccii* autem pertenuem, cum admodum gracile & jejunum ſit.

Puffendorffii plane nullum. Quippe qui nullum jus gentium ſcripſit.

Et ut verbo dicam, Jus Gentium res longe alia eſt, quam quæ tali modo, tali ætate, tali temporis ſpatio,

ex

ex talibus libris talibusque doctoribus condiſci poſſit. Vid. Cap. II. Them. XXX. Cap. IV. Them. XIX. &c. & *Jus Gentium* à nobis utcumque deſcriptum.

Them. X. Qualem demum quantamque talem iſtorum labores habeant, diſcere cupimus vel ex aliis vel ex ipſis.

Pro me fateor hanc utilitatem perſpicere me nondum potuiſſe. Docilem tamen animum facile præbebo, ſiquis veram aliquam & realem utilitatem aut modicam ſaltem neceſſitatem prodere dignabitur, talem, cui non ſatisfecerint veteriores jam ſcriptores, quantum quidem ſatisfieri per ullos ſcriptores poteſt.

* His ſcriptis finieram telam hanc de gloriatione falſa heterodoxorum, Jus naturæ ante ipſos ſepultum jacuiſſe. Impulit me, ut pauca in id argumentum adderem, impotens ſui Thomaſius.

Thomaſius ait, ante Lutherum incognitum Jus naturæ fuiſſe.

Them. XI. Chriſtianus Thomaſius ſcribit, ante Lutherum Jus naturæ aut non, aut peſſime traditum fuiſſe.

1. In Hiſtoria Juris naturæ Cap. IV. §. 17. poſt innumera alia in Sanctos Patres effuſa ſcribit de Theologis ſic:

ejus verba.

In his omnibus commentariis, tam ſuper ſententias Lombardi, quam ſuper Summam Thomæ fruſtra quæres doctrinas utiles, & à SANA RATIONE profectas; ſed omnia repleta ſunt auctoritatibus, ſubtilitatibus, inanitatibus.

2. Et §. 30. affirmat B. Alberti Magni & D. Thomæ doctrinam eo ſpectare, *ut homines USU RECTÆ RATIONIS & LIBERTATE SENTIENDI privarentur, & ſub jugum deſpoticum non ſolum quoad corpus, ſed & intuitu animæ & conſcientiæ mitterentur.*

3. Eidem concinit Franciſcus Budæus in Hiſtoria Juris naturæ, Puffendorffius in Præfat: Jur. Nat. & communiter alii Proteſtantes, Grotio excepto.

Sed miſere ſecum pugnat.

Them. XII. Thomaſius miſere ceſpitat, cum de initiis Juris naturæ tempore Lutheri cœptis ſcribit.

Fatetur J. N per Lutherum non eſſe reſtitutum:

1. Imprimis fatetur, per Lutheri Deformationem nondum fuiſſe Jus naturæ reſtitutum. Ait enim Hiſtor. Jur. Nat. Cap. V. *Jam porro inquirendum eſt, qui factum fuerit, ut per reformationes Lutheri, Zwinglii, & aliorum inſtrumentorum, quibus divina providentia in opere reformationis uſa fuit, præter alias EMENDATIONES antiquorum errorum, non etiam differentia & GENUINUS USUS LUMINIS NATURALIS ET SUPERNATURALIS tam in cathedris eccleſiaſticis, quam academicis fuerit reſtitutus?* Igitur fatetur ac ſupponit, eum uſum rectæ rationis per Lutherum ac Zwinglium non fuiſſe reſtitutum.

2. Deinde vero affirmat, cœptum tamen ab his eſſe negotium & *rectæ rationis* ſaltem igniculos emicuiſſe. Sic enim mox pergit: *Equidem in eorum ſcriptis CONTRA PAPATUM deprehenduntur MULTÆ BONÆ AD ISTUM SCOPUM PERTINENTES DOCTRINÆ, dum partim ineptas ARISTOTELICÆ communiter receptæ doctrinæ ſeries obſervationibus paſſim notarunt, partim vivis coloribus eam declinearunt.* Deinde ait: *Imprimis autem in controverſia de TRANSSUBSTANTIATIONE oſtenderunt, quod etiam in quæſtionibus Theologicis non plane ſeponi, aut verba ſacræ ſcripturæ contra regulas rectæ rationis exponi debeant.*

cœptum quidem recta ratione uſi in religione, & contra Papam:

3. Idem Cap. V. §. 2. ſcribit porro: *Infauſtum diſſidium inter duos reformatores eccleſiarum Evangelicarum, ſeu proteſtantium ſuper eodem articulo de ſacra cœna & ſuper EADEM QUÆSTIONE PRIMARIA DE USU LUMINIS NATURALIS IN INTERPRETATIONE SACRARUM LITTERARUM ortum, & poſtea HUCUSQUE MAGIS MAGISQUE AUCTUM, ſi non unica, certe ex præcipuis cauſa una fuit, cur DISQUISITIO MAXIME NECESSARIA IMPEDITA fuerit, & cur potius in utraque eccleſia duæ illæ claſſes ſcholaſticorum, orthodoxorum & myſticorum, quarum nempe utraque, ut hactenus monſtravimus, illi diſquiſitioni obfuit, iterum caput erexerint.*

de uſu autem hoc rationis diſſidium ortum inter Lutherum & Zwinglium.

& hucusque magis auctum:

4. Et §. 9. enumerat, quæ ex neglectu illius quæſtionis primariæ de *USU RATIONIS*, deinceqs etiam poſt reformationem invaluerint mala: *Itaque*, inquit, *initio ſeculi decimi ſeptimi doctrina de VIRTUTIBUS ET VITIIS, ſive de DIFFERENTIIS JUSTI ET INJUSTI, BONI ET MALI, DE JURE NATURÆ &c. tam apud Pontificios quam apud EVANGELICOS miſerrimo & pene INCURABILI morbo laborabat. Scholaſtici Pontificii in libris, qui titulis de Juſtitia & Jure, vel finibus ipſius inſigniebantur, talia dogmata inſinuabant animis diſcentium* quæ *ſolum* inſerviebant, incremento *PAPATUS & Clericatus, & ſupprimebant AUCTORITATEM Principum & ordinum politicorum & laicorum. Præterea diverſiſſimas res inter ſe miſcebant, Jura naturæ, gentium, Moſaica, Judaica,*

unde jus naturæ incurabile fuit,

Græca, Romana, imperialia, pontifi-
cia, colligendo videlicet ex iſtis, quid-
quid inde peti poterat ad ſcopum modo
memoratum. Hæc ille, ut plurima alia
omittamus.

quam iſta ſini pugnantia, oſtenditur.

5. Miſera vero hæc adeo ſunt, ut
ubi ſenſus Thomaſio fuerit, cum talia
ſcriberet, vix appareat. Nam is de
Jure naturæ vult ſcribere, abſtracto à
religione, & ſacris litteris. Et ſubito
inquirit in Lutherum & Zwinglium,
cur illi reformata, ut putat, religio-
ne, non etiam jus naturæ ſeu rectam
rationem renovaverint? Imprimis gran-
dis eſt temeritas Inſtrumenta DEI tam
pretioſa, Lutherum & Zwinglium,
qui à DEO miſſi ſunt ad religionem re-
formandam, quorum os DEI os eſt, in
jus vocare? Grandis deinde ſtoliditas,
ab iis exigere rationem ejus rei, ad quam
ipſi miſſi non fuerunt. Nimirum Tho-
maſius docet, Juri naturæ cum religio-
ne nihil eſſe commune, & per tot ſe-
cula peccatum turpiter fuiſſe, quod
utraque non ſeorſim tractata fuerint &
nunc *religionis* reformatores arguit,
quod *Jus naturæ* non emendaverint?
Illi miſſi ſunt ad religionem, nunc ar-
guuntur ob rem à religione plane ſepa-
ratam, nempe ob jus naturæ, ob re-
ctam rationem? Miſſi ob religionem,
quæ ratione omni humana Superior eſt,
fugillantur jam ob rationem, quæ ad
religionem non pertinet? Recte pretio-
ſa hæc DEI inſtrumenta reſpondebunt
ſcribæ Thomaſio; Tu accipe religio-
nem à nobis propoſitam, bonam, ſi
ſuperis placet, neque nos coge, ut
idem peccemus, quod aliis omnibus
& maxime Pontificiis tute exprobras,
ut de recta ratione ac Jure naturæ una
cum Religione agamus.

Laudat Lutherum ab eo, quod vituperabile ipſe dixerat.

6. Mox vero Euripi inſtar Chalcidici
in contraria verſus Thomaſius incipit
laudare eosdem pretioſos viros, Lu-
therum ac Zwinglium. Qua vero de
re putes eos laudatum iri? Certe, quod
Religionem à recta ratione ſeparave-
rint? Id vero multum abeſt; Laudat
illos ex eadem re, quam vituperio dig-
nam ſemper docuerat Thomaſius: nem-
pe laudat, quod Religionem & certam
rationem conjunxerint: laudat quod
peccaverint, laudat quod rem ſtultam
ac pernicioſam egerint DEI inſtrumen-
ta. Nimirum laudat, quod ii qui Re-
ligionem reformandam habuerunt, cu-
jus indoles à ratione ſejuncta eſt, fue-
rint ſolliciti de recta ratione, quod
Ariſtotelicam doctrinam, utpote rectæ
rationi, non religioni contrariam, exa-
gitaverint in ſuis ſcriptis religionis re-
formatoriis.

& quidem in re capitali

7. Quodque delirio propinquius eſt,
præcipue ac *imprimis* eos laudat, quod
oſtenderint hi pretioſi viri, *rationem ac*
religionem eſſe conjungendam, idque
oſtenderint præcipue in *Tranſſubſtantia-*
tione, ſeu Sacramento Euchariſtiæ. Eſt-
ne hoc ſinciput ſanum, oro? Tota ip-
ſius Hiſtoria propterea ſcripta eſt, ut
vituperet eos, qui Religionem ratio-
nemque conjunxerunt: & nunc *prima-*
riam laudem tribuit his DEI inſtrumen-
tis, quod oſtenderint, hæc duo *eſſe con-*
jungenda. Et ab his ſcriptoribus qui

A tam inſulſis ſcriptoribus diſcant catholici?

quid ore aut calamo profundant nec
per tria momenta retinent, ſed quovis
paſſu ſuimet obliviſcuntur, nos catho-
lici tantis antiquitatis ſubſidiis ſulti, &
in poſſeſſione ſanæ doctrinæ moralis
per tot ſecula exiſtentes, nunc incipia-
mus diſcere *uſum rectæ rationis*? diſ-
camus cantare à mutis? lyram pulſa-
re ab aſinis, ut proverbium habet?
Primum Thomaſius ipſe cum ſuis cere-
brum aliquot libris Ellebori repurget,
diſcat prima ratiocinandi principia, di-
ſcat quinque verſus abſque contradi-
ctione ſcribere, tum veniat, & circum-
ſpiciat, num ſit aliquis Logicæ noſtræ
tyronum, quem non dico erudire, ſed
cum quo ſeſe conferre ſaltem poſſit?

An Lutherus ac Zwinglius rectam rationem oſtenderint in articulo Euchariſtiæ?

8. Quid quod eſt falſiſſimum, Luthe-
rum ac Zwinglium in controverſia de
Euchariſtia oſtendiſſe, ut recta ratio ad-
hibenda ſit ad religionem & ſacram ſcri-
pturam. Qui docent, ut adhibenda
ſit recta ratio ad S. Scripturam, ii non
debent docere *contradictoria*, hæc enim
repugnant, nihil autem repugnans ſa-
tisfacit rectæ rationi: nam contradi-
ctoria non poſſunt ſimul eſſe vera;
quemadmodum primo Logices menſe
diſcunt noſtri tyrones. Jam hi duo re-

Labyrinthus Thomaſii.

formatores & inſtrumenta providentiæ
divinæ docent contradictoria: & alter
adhibendo uſum rectæ rationis invenit,
corpus Chriſti *eſſe* præſens: alter adhi-
bendo uſum rectæ rationis invenit, cor-
pus Chriſti *non eſſe* præſens. Uter eo-
rum docuit rectam rationem conjun-
gendam eſſe cum Scriptura? Hic loque-
re Thomaſi! Fare! Reſpondes, uter-
que docuit, conjungendam eſſe rectam
rationem: ſed non uterque id ipſum re-
cte exſecutus eſt. Eſto, & demus ti-
bi hanc reſponſionem: ſed duorum al-
terum conſequitur certe: Aut conjun-
xerunt rectam rationem cum Scriptura,
aut non conjunxerunt, quamvis vellent
conjungere. Si conjunxerunt, digna
vituperio ſunt hæc inſtrumenta divinæ
providentiæ; quia rem vituperabi-
lem & pernicioſam fecerunt, nempe
conjunctionem religionis & rationis.
Aut

Aut vero non conjunxerunt, quamvis conarentur conjungere? Et ſic rurſus digna ſunt vituperio inſtrumenta DEI, primo ob conatum rei vituperabilis, ſecundo ob inſignem defectum vel tantillæ rationis, quæ ipſos à contradictoriis ſaltem præſervare poſſet: inſignis enim temeritas eſt rebus tam altis ſe immiſcere, quin ſaltem tantillum habeas rationis, ne in contradictoria incurras, in iisque perſeveres. Ceterum injuriam virga ferrea dignam facit Thomaſius iſte Providentiæ DEI, qui non dubitet iſtos homines adeo ſtultos & contradictoria docentes laudare tanquam inſtrumenta providentiæ æternæ; quaſi Providentiæ divinæ opus eſſet, contradictoria docere. Aut igitur uterque, aut certe alteruter inſtrumentum DEI non eſt. Utrum eorum ſit, Dominos Proteſtantes inter ſe diſceptare, atque etiam decernere ſine invidia permittimus. Nos certe, ſi contingat ex Patribus noſtris alium docere alia inter ſe pugnantia, non dubitamus fateri, illum Patrem aut Doctorem, qui pugnantia docuerit, in his non fuiſſe inſtrumentum Providentiæ divinæ, neque à DEO miſſum. Eſſe tamen iſtos alio quodam modo inſtrumenta providentiæ DEI; ſicut ſunt omnes creaturæ, ſicut omnes boni & mali, omnes hæretici, tyranni, ipſique adeo cacodæmones, quis neget? omnia ſerviunt DEO ad finem ſuum, ipſa adeo peccata & blaſphemiæ maxime horribiles.

[margin: an Lutherus inſtrumen tum providentiæ divinæ.]

9. Neque adhuc dum ſatis Thomaſio turpitudinis: Numero 3tio ſupra fatetur, inter duos Reformatores, & inſtrumenta providentiæ DEI orta eſſe duo infauſta diſſidia: alterum de *Cœna Domini:* alterum de *QUÆSTIONE PRIMARIA*, nimirum utrum Religioni conjungenda ſit *recta ratio*, nec ne? Hic ego repono, quomodo potuit diſſidium oriri de coena Domini inter duos Reformatores? Ante illos quidem apud Pontificios potuere non diſſidia ſed etiam errores naſci, ac naſci etiam debuerunt, quia illi recta ratione omnes pariter deſtituti fuerunt. Verum duo infallibilia inſtrumenta DEI Lutherus ac Zwinglius à Providentia divina primi ſunt inſtructi recta ratione, ac primi oſtenderunt, idque *in hoc articulo de Cœna Domini* oſtenderunt, ut recta ratio in hoc articulo ſit jungenda ſcripturæ ac religioni: Quomodo igitur fieri potuit, ut in hoc articulo diſſidium eſſet in recta ratione? aut quomodo recta horum ratio eſſe potuit, quæ diſſidebat?

[margin: De Diſſidio Lutheri &c.]

10. Peſſimum vero id eſt, duo hæc inſtrumenta providentiæ non tantum in articulo de cæna diſſidium feciſſe, ſed vel maxime in ipſa *QUÆSTIONE PRIMARIA*, an recta ratio adhibenda eſſet ad ſcripturam & religionem? Sive ergo adhibuerint illi duo rectam rationem, ſive non adhibuerint, æque infelices & ipſi & eorum diſcipuli ſunt: nam ſi non adhibuerunt, forte fecerunt male, quia *primaria quæſtio*, num ratio ſit adhibenda, nondum eſt deciſa. Si adhibuerunt, forte perperam fecerunt; quia nondum eſt decretum, an ſit adhibenda; adhuc ſub judice lis eſt: quin imo adhuc nullus judex agnitus eſt.

[margin: & quidem in quæſtione primaria.]

11. Deinde ſi Lutherus ac Zwinglius oſtenderunt, ut adhibenda religioni ſit recta ratio, quomodo factum eſt, ut centum annis poſt, initio ſeculi decimi ſeptimi, quemadmodum ſupra ex Thomaſio deſcripſimus, *doctrina de virtutibus ac vitiis, juſto & injuſto, bono & malo, deque JURE NATURÆ ſeu* recta ratione adhuc *apud ipſos Evangelicos* Lutheri ac Zwinglii diſcipulos, eſſet in *miſerrimo ac pene INCURABILI ſtatu*? In tam turbidis Thomaſii & aliorum Proteſtantium criminationibus, cogor ſæpe dilemmate uti; quia neſcio, album an nigrum ex ipſorum turbulento ſermone eliciam. Itaque: Aut Reformatores docuerunt rectam rationem de virtute, juſto, bono, aut non docuerunt? *Si non docuerunt*, duo ſequuntur Thomaſio incommoda *Primum*, quod Reformatores nihil præ catholicis præcipuum habuerint; nam & hi, Thomaſio judice, non docuerant rectam rationem. *Alterum*, quod Thomaſius ipſos ob hoc etiam laudare debeat, quia fecerunt, quod Thomaſius neceſſarium judicat, nimirum rectam rationem à religione ſejunxerunt. Ex quo tamen conſequitur Thomaſio incommodum *Tertium*, nimirum, laudare ipſum debere etiam Catholicos, quos vituperat; quia ipſius confeſſione etiam hi rationem ſepararunt à religione, vel potius nullam habuerunt. Quin & *Quartum* hinc ſequitur incommodum Thomaſio; nempe ipſum falſo laudaſſe Lutherum ac Zwinglium, quod primi oſtenderint uſum rectæ rationis in religione: ſi enim rectam rationem non docuerunt, non potuerunt oſtendere uſum rationis in religione. Accedit his & *Quintum*, Thomaſium perperam incuſaſſe Theologos Catholicos, quod hi Jus naturæ & diſciplinam moralem ſibi vendicaverint, quæ non Theologos

[margin: Diſſidium Thomaſii ſecum ipſo.]

[margin: ex quo multa etiam deducenda ſunt.]

logos ſed Philoſophos decebat. Cap. IV. Hiſtor. Jur. Nat. §. 17.

Barbeyracus à Luthero Jus naturæ reſtauratum ait.

12. Quodſi vero juxta alterum dilemmatis membrum duo reformatores *docuerunt rectam rationem*, & tamen centum annis poſt illos recta ratio neque in eccleſia Proteſtantium neque in ſcholis viguit, ſequitur Proteſtantes reformationi aut nunquam adhæſiſſe aut valde ab ea deſciviſſe, atque adeo eos aut nullam eccleſiam eſſe, aut corruptam. Revera autem Barbeyracus in Præfatione ad Puſſendorffii Jus Naturæ §. 11. contendit, *Lutherum* & *Calvinum* non modo Religionem, ſed & *moralis doctrinæ Juriſque naturæ ſcientiam redintegraſſe.* Adeo incerti Reformationis ſuæ ſunt hi Proteſtantes, ut ipſi neſciant, tangatne ſua reformatio virtutem & juſtitiam, an illam potius negligat?

Cautela pro *noſtris catholicis.*

Et hi nobis objicere defectus, quodque plus eſt, hi nos docere volunt? Et noſtri aliqui ſcioli ac male curioſi homines, hos ſibi magiſtros conſtituunt?

Jus naturæ

Them. XIII. Nihilo ſanius ſentit Thomaſius de Jure naturæ *poſt Grotium.*

à Grotio miraculoſe inventum,

1. Is Cap. V. Hiſtoriæ Juris Naturæ §. 14. ſic ſcribit: *Igitur cum ſumma ignorantia & confuſio, ac ſuppreſſio luminis naturalis per ALIQUOT SECULORUM DECADES inter gentes Ethnicas & Chriſtianas, & noviſſime inter proteſtantes æque ac catholicos, tantas radices egiſſet; quis, quæſo, prævidere vel ominari potuiſſet, ISTAM CONFUSIONEM EMENDARI AC IN ORDINEM REDIGI UNQUAM POSSE? Tantum abeſt, ut ſperare potuiſſet, EAM EMENDATIONEM proxime exſpectandam eſſe. Sed divinæ providentiæ nihil eſt impoſſibile. Omnia agit ſuo, id eſt, debito tempore, & ubi ERROR SUMMUM ATTIGIT FASTIGIUM, adventus veritatis appropinquat. CONFUSIO VERI & FALSI per Doctores in cathedras eccleſiaſticas & academicas introducta erat &c. Suſcitabat igitur divina ſapientia virum &c. Talis erat vir incomparabilis & nunquam ſatis laudandus HUGO GROTIUS.*

jactat Thomaſius,

2. Jam triumphat Thomaſius, & in uno Grotio ceſſaſſe omnem veri falſique confuſionem, luminis naturalis ſuppreſſionem in ordinem redactam, ignorantiam boni & mali, juſti & injuſti abolitam, errorem toto orbe per plura annorum millia ad faſtigium productum ſub initium ſeculi decimi ſeptimi à radice penitus emendatum dulciter lætatur, nihil aliud cogitans nihil ſpectans; ut corvus invento cadavere. Verum o bone nunquid ſentis ulcus in imo adhuc corde ſæviens? Non ſentis, impos animi tui es præ inconſulto gaudio. Tangendum igitur eſt. Non meminit Thomaſius paſſione potius quam ratione ſcribens, paulo ante ſe longe ab his diverſa ſcripſiſſe, ejuſdem Capitis quinti §. 2. quæque nos ſupra Them. XII. num. 2. exſcripſimus: nimirum. *INFAUSTUM DISSIDIUM inter Lutherum ac Zwinglium ortum eſſe de ſacra cœna, & de QUÆSTIONE PRIMARIA DE USU LUMINIS NATURALIS IN INTEPRETATIONE SACRARUM LITERARUM, idque infauſtum diſſidium poſtea HUCUSQUE MAGIS MAGISQUE AUCTUM.* Si diſſidium de *quæſtione primaria* uſus rationis in religione *HUCUSQUE* id eſt *usque ad Thomaſium* non tantum duravit, ſed *magis magisque* auctum eſt, quid excidit Thomaſio, ut tam ambitioſo apparatu & providentia extraordinaria DEI ſublatam omnem confuſionem blatteraret à Grotio? Si illud diſſidium poſt Grotium adhuc Thomaſii tempore infeliciter tenuit, imo *auctus* fuit, *confuſio* illa *terribilis* omnium retro ſeculorum certe non fuit ſublata, ſed *major* & *terribilior* evaſit.

& tamen ſibi contradicit.

cum morbum hucusque auctum dicat.

3. Poſt Grotium in hunc diem altercantur Proteſtantes de cœna Domini. Poſt Grotium rationem rectam adhibere ſe alter ait, alter rationi hic loci nihil eſſe contendit. Quid igitur emendavit Providentia DEI per Grotium?

quem auxit ipſe Grotius

4. Confuſio omnium ſeculorum conſiſtebat in hoc, quod Theologi & Juriſconſulti Græca, latina, Gentilia, ſacra & profana adhiberent ad docendum demonſtrandumque Jus naturæ, ut Thomaſius queritur ſupra Them. XII. num. 4. exſcriptus. Nihil horum emendavit aut mutavit Grotius, qui pariter ſacras litteras, leges Romanas, Philoſophos Græcos & Latinos Theologos etiam ſcholaſticos hominum omnium ſi Thomaſio fides, ignorantiſſimos pro vaſta ſua eruditione in ſuo opere de Jure Belli & pacis combinavit, atque tam copioſe combinavit, quantum vix ullus ſcholaſticorum unquam fecit. Igitur Grotius non emendator ſed antiquiſſimi erroris patrator dici à Thomaſio debuit, ſi, quid loqueretur, Thomaſius ſciviſſet. Neque hoc ſolum, ſed errorem hunc ad faſtigium jam perductum Grotius plane in culmine poſuit, qui eruditione in medium prolata ceteros pleroſque ſuperaverit.

Grotius carpitur ab heterodoxis

1. Deinde refragatur Thomaſio Puſfendorffius, alter Juris naturæ ſtator, ſi ſu-

ſi ſuperis placet, qui in præfatione ſui Juris naturæ Grotium adeo miſerabilem invenit, ut ne ſanari quidem ullo modo poſſet, ſed ex integro abjiciendus fuerit, ut alibi oſtendimus. *Puffendorffius in Præfat. Jur. Nat.*

6. Puffendorffio, ſuffragantur Thomaſioque reſiſtunt multi alii Proteſtantes, nequid de catholicis hic dicamus, nam hi Bæotica ſunt pecora & in antiquo ignorantiæ errore adhuc volutantur. *Salmaſius* magni inter Proteſtantes nominis, Grotium ſic deſcribit:

tanquam ratiocinio infirmior

In Philoſophicis ſi diſputandi ſolertia ſpectetur, vix mediocribus par eſt: NEC UNQUAM VIDI, QUI MINORI CUM VI RATIOCINETUR: Librum ejus de jure belli & pacis refutandum ſuſcepit quidam Profeſſor almæ Juliæ, qui amicis aliquot, quos vidi, adfirmavit, ſe oſtenſurum eſſe, NULLAM PAGINAM VACARE INSIGNIBUS ERRATIS. Hic ergo Grotius Primariam illam quæſtionem de uſu rationis naturalis non potuit dirimere. Ad hoc enim opus eſſet homine rationis vi ſumma pollente, quippe ad rem quam multorum ſeculorum in toto orbe docti homines conficere non potuerunt, neque ipſa adeo magna duo orbis luminaria Lutherus ac Zwinglius. Quomodo ergo illud conficeret Grotius, *quo nemo minore cum vi ratiocinatur?*

etiam ab Heineccio

7. Quomodo porro nuperrime Heineccius Grotium, Puffendorffium, Thomaſium unaque omnes *ante ſe* alios laudet, quamque nihil confuſionis ab his ſublatum fuiſſe contendat, in ſuperioribus jamjam oſtendimus Vid. Cap. VII. Them. XIV. Quamquam etiam hæc putida ſit jactantia, nihil ſani, nihil cum fundamento ratiocinatum eſſe omnem reliquum mundum, donec Abecedarius Heineccii libellus obſtetricante hoc uno homine progigneretur. Vid. Cap. XIV. Them. IV. n. 10.

SS. Patrum contemptus

Them. XIV. Sancti Patres Eccleſiæ Chriſtianæ effronter traducuntur à Proteſtantibus tanquam Juris naturæ ignari & corruptores. Thomaſius lepidum animal.

per Barbeyracum,

1. Barbeyracus, qui ſemibarbare ſcriptum Puffendorffii Jus naturæ in Gallicum ſermonem tranſtulit, Præfationem ei prolixam præmiſit, in qua hoc fere ſolum eidem propoſitum eſt, Patrum illorum Ignorantiam generatim ſugillare, ſed, & maxime, quid in Jure naturæ peccaverint, ſingulis objicere.

quem caſtigat P. Cellier

2. Equidem hujus mendacem ſuperbiam caſtigavit R. P. D. *Cellier* monachus doctus Ordinis Benedictini edito Pariſiis An. 1718. libro pro Morali Doctrina SS. Patrum adverſus Barbeyracum. Cui tamen hic oppoſuit cavillatorium *Tractatum Theologiæ Moralis Eccleſiæ Patrum.* In quo quam mala fide ac dolo quantaque ignorantia ſit Barbeyracus, nuperrime R. P. *Concina* in Theologiæ Chriſtianæ Tomo VI. Diſſertatione prolegomena Cap. II. clare, docteque ac ſumma cum fide demonſtravit.

P. Concina.

3. Joannes Clericus famoſus Belgii Grammaticus critico dente D. Auguſtino præcipue minax fuit, ejus doctrinam contempſit, ob *Juris naturæ ignorantiam* ſuccenſuit, ex eo maxime, quod Auguſtinus probare contendat, hæreticos pœnis coërceri poſſe. Pro *Domo* enim *ſua* perorantem aut latrantem Clericum quis miretur? Verum hunc quoque D. Ludovicus Antonius *MURATORIUS* celeberrimus in orbe literato vir refutandum ſuſcepit in opere de *Ingeniorum moderatione &c.* contra *Phereponum*, nam hoc Phereponi nomen ſibi circumpoſuerat Clericus, naturali ſaltem adhuc pudore prohibitus ſub proprio nomine cauſam ſuam profligatam contra Auguſtinum tueri.

D. Muratorius.

Cur SS Patres vituperent heterodoxi?

4. Sed juvat animi ſaltem cauſa audire adhuc in hoc ſuggeſtu perorantem Chriſtianum *Thomaſium*, quippe lepidum præ ceteris animal. Ubi Hiſtoriam Juris naturæ texit, capite tertio dicacitatis ſuæ periculum etiam in Sanctos Patres facit; callide ſane ac prudenter pro filio tenebrarum. Quomodo enim non nigros facere Patres laboraret homo Lutheranus, ab his omnibus uno ore tanto ante damnatus? Huic ergo Thomaſio ſpes erat, quoniam ante Chriſtum ignorabatur Naturæ jus, ut ſaltem ab ortu Chriſti tanquam Juſtitiæ ſolis naturalis luminis uſus reviviſceret. At eveniſſe mox, ut errores priſtini & confuſio luminis naturalis ac ſupernaturalis etiam viventibus apoſtolis reviviſceret, illis vero extinctis omnium Chriſtianorum ſe animis penitus infunderet. Cauſam ejus rei perlepidam affert. Nimirum quamdiu Chriſti doctrina hæſit cordibus idiotarum, piſcatorum, tamdiu eam fuiſſe puram; ſimul ac ethnici eruditi nomen Chriſto dederint, diſputationes ortas, philoſophiam irrepſiſſe, diſſidia eſſe excitata.

Lepidus hic Thomaſius

5. Multis nominibus lepidum mihi animal Thomaſius eſt. Non enim advertit, ſe ſibi maxime nocere hæc ſcribentem. Vix enim erit quiſquam inter Chriſtianos, quales per DEI gratiam in Europa maxime ſumus, ita

obeſa nare, ut, cum ex ipſo Thomaſii calamo intelligit, Chriſti eccleſiam inde ab ipſis apoſtolis aliter de religione & naturæ jure ſenſiſſe, aliter uſu retinuiſſe quam nunc ſentiat uſuque teneat hic Thomaſius, non ſtatim ſecum ipſo ſtatuat: Ergo malim ego cum tota retro eccleſia atque apoſtolis ſentire, quam cum hoc Thomaſio. Apoſtolos novi, novi Patres, qui quantique ſint: Hic Thomaſius quis ſit, liceat mihi ignorare; heri natus, nec nomen habens apud avum meum.

& iterum lepidus. 6. Quam porro lepidum illud: Thomaſius inſtituit ſcribere juris naturæ Hiſtoriam: nunc vero enarrat, quomodo Doctrina Chriſti corrupta ſit: Eſtne Doctrina Chriſti tibi Thomaſi Jus naturæ? ſi eſt, cur eam ſemper jubes à naturæ Jure ſeparare? Si non eſt, quid illius Hiſtoriam texis pro Hiſtoria Juris Naturæ?

Iterumque. 7. Lepide ait Thomaſius, ſpem fuiſſe ut cum Chriſto naturale lumen oriretur. Quis illud ſperarat? Thomaſius? Thomaſius ſexdecim ſeculis poſt Chriſtum natus in ortu Chriſti ſperabat, aut timebat, aut flebat, aut quidquam faciebat? Equidem non omnia mentitus eſt Thomaſius, ſpes erat dudum ante Chriſtum, ut hoc naſcente lumen naturale ac Jus naturæ perficeretur. Ita enim optavit Plato & Socrates, ut de ultimo fine hominis melius edocerentur à quodam ex Divinitate orto. Quodque optabant, credo eos etiam ſperaſſe.

8. Verum ſerione agis Thomaſi? Tibi ſpes erat, cum Chriſti doctrina etiam lumen naturale meliori in luce poni poſſe ac debere? *IGITUR CHRISTI DOCTRINA AD JUS NATURÆ QUAM MAXIME PERTINET*, atque ſpes melior Juris naturæ in Chriſti doctrina repoſita etiam te ipſo judice eſt. Sic nempe tu judicabas, cum rationis qualicumque ſcintillæ in te obſecundabas: at ſimul atque paſſioni laxaſti frænum, contradicere tibimet haud te puduit, & contendere, *exeſſe Chriſti doctrinam à Jure naturæ debere*, per eam hoc corrumpi, perturbari, in miſerrimum ſtatum & inſanabilem redigi: Non igitur omni ratione vacuus & orbus Thomaſius eſt. Gaudet enimvero ratione, agnoſcit enim Chriſtum ad Jus naturæ aliquid valere: ſed hoc fere dolendum eſt, quod pro una ſcintilla rationis toti rogi perturbatarum paſſionum, & irrationabilium hoc cerebellum exuſſerint.

9. Lepidum denique hoc eſt, quod homo verſatilis, qui Lutherum & Zwinglium deprædicat, quod cœperint oſtendere, lumen naturale non prorſus eſſe excludendum à Religione, nunc Primos Chriſtianos & haud dubie etiam Paulum Apoſtolum carpat, quod naturali ratione ſeu Philoſophia uſi ſint in doctrina Chriſtiana. Deinde volebat Thomaſius oſtendere, ut Jus naturæ corruptum fuerit, illata in illud religione: cum vero calamum chartæ adhibet, ſcribit, ut religio Chriſtiana corrupta fuerit à Philoſophia, in eam illata. Adeo male imperat calamo ſuo homo ubique lepidus. Sed ego tandem horum finem facio, ne leporibus opprimam lectorem. Quamquam hi mihi lepores eliciant amaras lacrimas. Quod multi in talibus magiſtris Jus naturæ quærant, rem tam Sanctam.

CAPUT XVI.

D. Wolffii Principia J. Naturæ admodum lubrica ſunt in Part. I. Philoſophiæ practicæ.

De Wolffio multis agere videtur ad me non pertinere. *Them. I.* DE Illuſtris D. Chriſtiani Wolffii Juris Naturæ diſciplina multa differere, *ad inſtitutum meum præſens* non admodum ſpectaret.

quia ego de periculoſis [illegible] 1. Inſtitutum meum præſens fert, monere homines de multis periculis, quæ juventuti maxime nobili ſubnaſcuntur, ſi variorum authorum Heterodoxorum ſcripta de jure naturæ eiſdem præcipue pro ſchola prælegantur; ob varias rationes, quas in præfatione ac reliquo opere identidem ſignificavimus: maxime quia facilibus promiſſis ſeſe inſinuant, quamquam non præſtandis.

2. Dominus autem Wolffius ab hoc periculo creando eſt certe quadam ratione **Wolffius non videtur**

tione

multum periculi creare,

tione remotior. Nam *primo ipſe* fatetur in præfatione Philoſophiæ practicæ, ubi fundamenta Juris naturæ tradere profitetur (*hoc enim opere hic utemur cetera mole ſepoſita*) ſcribere ſe Doctis; juvenes autem, ad ſcholam Juris naturæ accedentes, ordinarie docti non ſunt; nec adeo ad juvenes & ſcholas ejus opus pertinet. Item fatetur: *Neque hæc vulgo imperito ſcribuntur, nec iis, qui in moralibus haud altius vulgo ſapiunt*; *SED HIS, QUORUM AUCTORITATE & vulgus, & qui eodem non altius ſapiunt, STARE TENentur.* Juvenes autem non ſunt hi, quorum auctoritate & vulgus & ceteri ſtare tenentur; Igitur ad juvenes Domini Wolffii labor non ſpectat.

2. Deinde in ipſius operis decurſu non ſemel idem D. Wolffius fere eadem ingeminat; nempe ſuam doctrinam non eſſe perviam niſi *acutis*, & in *Geometria*, in *methodo mathematica*, in *metaphyſica* valde exercitatis; & quidem in metaphyſica non alia, quam à D. Wolffio conſcripta, ait enim ipſe in præfatione Politicæ Germanicæ vom geſellſchafftlichen Leben; *In hunc diem in hac ſcientia meras tenebras fuiſſe: itaque per hujus tenebras non potuiſſe lumen accendi in ceteris ſcientiis.* Se vero easdem plane diſpuliſſe, apud eos certe, qui capacitatis ſatis habeant Tales autem rariſſimi ſunt iis, qui juvenes ſcholas accedunt, nobiles cum primis.

& diffuſiſſimos libros Wolffii velut memoriæ tenentibus,

3. Quia ipſa tractatio D. Wolffii, ſatis præſefert vera eſſe ea, quæ is faſſus fuerat nimirum valde doctos eum lectores requirere; idque ideo maxime (1. quia valde diffuſa eſt: at juvenes hodie eo maxime ſeducuntur, quod aliquot menſium auſcultatione Juris naturæ peritos ipſos fieri promittitur. (2. quia ut Scriptionem D. Wolffii intelligat juvenis, opus ei eſſet non tantum alias in toto Philoſophiæ ambitu eſſe multum exercitatum; ſed inſuper ut methodum ipſam Wolffianam apprime perſpectam habeat. Præterea ut omnia hujus Philoſophi opera lectitaverit, Logicam, Ontologiam, Pſychologiam, Theologiam naturalem &c. omnes eadem methodo ſcriptas. *Nullum autem videtur periculum*, ut juventus properans in tot volumina impendat quatuor aut ſex annos ad hoc, ut apta fiat ad Jus naturæ Wolffianum intelligendum. (3. Quia tractationes D. Wolffii tædium multum parere poſſunt, quo tædio alias plena eſſe ſolet juventus. Tædium autem parere poteſt *TUM* frequentiſſima demonſtratio rerum *certarum*, de quibus in moralibus maxime aliunde nemo dubitat: *TUM* per ſingulos paſſus iterata remiſſio non tantum ad multos paragraphos ejusdem libri, ſed etiam ad alios complurium aliorum librorum; in quibus paragraphis iterum ad alios; & in his rurſus ad tertios ac quartos redire juberis aliaque, quæ ob prolixitatem hic recenſeri non poſſunt, & ob nullam neceſſitatem non debent, ſed experientiæ relinquuntur, & in *Diatriba de methodo Wolffiana* à nobis expenduntur. *TUM* illud non parvum eſt tædium, quod poſt tam faſtidioſum laborem devoratum is, qui hæc didicit, denique advertit, ſe non *alia* didiciſſe, ſed tantum aliter & ambagibus majoribus, quæ alia methodo *facilius* poterat diſcere, aut fortaſſe jam ſciverat. Iterum hic provoco ad experientiam, ne in vaſtam ſolitudinem per ſentes abire cogar. Juvenis autem hominis non refert adeo, quomodo diſcat, ſed quid; præcipue in moralibus: imo illius refert ut modo faciliore diſcat, ne tempus actioni dandum vepreto implexarum ſpeculationum comburatur. *TUM* poſt hæc omnia tædium hoc manet capitale; quod ſecurus eſſe vix queas, num intellexeris ac penetraveris: ipſe enim Dominus Wolffius prodit, hæc intelligi poſſe tantum à jam doctis, acutis &c. Ceterum de implexa methodo Wolffiana *Diatribam* nos ſeorſim edidimus.

& quia ejus tractatio eſt plena tædii

Them. II. Ipſa incommoda, quæ Wolffianam Philoſophiam moralem comitantur, poſſunt non parum commodi habere tam apud juvenes, quam apud alios.

Quod tædium poteſt magnum commodum parere;

1. Nam poſito etiam, quod D. Wolffius in Jure naturæ admiſceat revera aliquas doctrinas non ſanas, aut proclives ad errorem, illæ tamen minus poſſunt ad certum aſſenſum trahere ſtudentem, & ob hoc ipſum minus illi periculum creant: commodum autem eſt, periculo carere, aut periculum minus habere. Sicut Avicennæ, Averrois &c. ſcripta minus periculum creant, quia minus intelliguntur id quod commodi loco habetur.

Quia male ſanis ejus doctrinis non eſt facile aſſentiri;

2. Ad intelligendum enim ſcripta, hæc Domini Wolffii opus eſt viris jam doctis, qui ceteros auctoritate ducant; acutis; verbo opus eſt viris Domini Wolffii ſimilibus. Qualis autem ſit D. Wolffius jam ab annis aliquot & 20. depictum ipſe dedit in libro Germanico de Jure naturæ,

Cum nemo certus ſit, an eas intelligat, niſi ſit infallibilis, qualem Wolffius dicit.

turæ, ſeu Philoſophia practica * in cujus proœmio §. 11. ſic habet. *Qui ſine præjudicio & cum capitate in ſcripta mea incidit, inveniet, VERITATEM ESSE, QUIDQUID HIC SCRIPSI. DIU EST (quæ DEI ſit laus) QUOD A DECEPTIONE MEI IPSIUS IN EJUSMODI JUDICIIS SIM IMMUNIS; eo quod rem ex ſuis internis principiis dijudicem, nihilque mihi ſit rei cum externis. Qui præſertim Logicam meam Latinam legerit ATQUE INTELLEXERIT, is videbit, callere me, quid facto opus ſit, ut verum EX FUNDAMENTO COMCOMPREHENDATUR, & quantum opus ſit perpendere rem, donec ſecurus eſſe poſſis, ejus te adeptum eſſe certitudinem nec ne &c.*

3. Niſi ergo quis ſentiat, ſe ſimile Domino Wolffio ingenium nactum eſſe & ſexaginta annos omni contentione ad Philoſophiam ſolam incubuerit ut D. Wolffius, atque ut jam decipi in judicandis doctrinis non valeat, is vix ullam doctrinam tot aliis libris implexam adeo certo aſſenſu recipiet, ut abſolute tanquam veram recipiat. Adeoque ſi etiam ponatur, in doctrina morali Wolffiana eſſe quædam non ſana, aut alia ad malum applicabilia, judicare Lector D. Wolffii debebit ſemper, ſe forte non recte intellexiſſe aut ad fundum non penetraſſe. Ex quo ſequitur, talem *STUDIOSUM HANC WOLFFII DOCTRINAM NUNQUAM PRO REGULA SUORUM MORUM STATUERE POSSE*, quod commodum non eſt exiguum: *PAUCISSIMOS* enim exiſtimo futuros, qui ſibi certo perſuadeant tanto ſe ingenio ſcientiaque eſſe præditos, quanto Illuſtris hic Philoſophus ſe credit excellere, ut decipi non poſſit.

Viris non nocebit Wolffius:

4. De *non juvenibus* eadem multo videntur eſſe planiora. Nam viri aut otioſi ſunt, aut negotiis occupati. Otioſis ſatis quidem eſt temporis; ſed ii plerumque laboris ſunt impatientes, qui tamen plurimus requiritur: & niſi ſufficiens labor adhibeatur, omnis certitudinis fiducia aufertur: nec poſſunt *incerta* pro regulis morum accipi etiam ab otioſo. Demus autem, virum otioſum vincere ſe, & ſatis ſtudii in Dominum Wolffium impendere, is, ſi etiam imbuatur aliqua doctrina non ſana, ſibi maxime ſoli nocebit: nec enim otioſi doctrinas laborioſas ſolent in alios propagare: quin ſi id facere tentarent, nemo eis adhiberet fidem; quia nemo neſcit doctorem aliorum debere eſſe laborioſum, non otioſum.

quia *otioſi* tantam difficultatem fugiunt:

Negotioſis vero tantum temporis non ſuppetit.

5. Si vero vir negotioſus eſt, ut ſunt aulici, milites, Doctores, alii; vix ei ſufficit tempus ad tam longinqua & anfractuoſa perveſtiganda tanquam indagine quadam. Apud hos enim axioma prudens receptum eſt: *Quod poteſt fieri paucis, non debet fieri multis.* Et ſi vel maxime ſatis temporis ceteris negotiis ſuffurati, illud ſtudio Wolffiano ſacrificaverint, ne tum quidem ſecuri erunt, niſi ad Domini Wolffii inſigne ingenium accedere ſeſe perſpexerint, & omnibus ejus doctrinis fuerint valde imbuti, præcipue Ontologia.

Wolffii regula actionum humanarum.

Them. III. D. Wolffius Regulam actionum humanarum facit *eſſentiam & naturam humanam ac determinationes tam harum, quam omnium rerum ad actionem humanam concurrentium.* Diſcurſus ſuper hoc, quomodo verum aut falſum id ſit?

Sic videtur colligi ex ambitioſo apparatu paragraphorum.

1. Hanc eſſe doctrinam D. Wolffii, videor mihi legere in plurimis paragraphis tomi primi Philoſophiæ practicæ. *VIDEOR*, inquam, non enim fortaſſe ſum certus, an funditus comprehenderim. Adducerem aliquos §§. niſi prælonga ſeries eſſet adducenda ad hoc, ut lector poſſet mentem ejus rite deprehendere. Igitur, paragraphos quidem ipſos in decurſu diſputationis ſuis locis referam; Nunc vero, nequid temere affingam viro Jlluſtri, ſtatuam *aliquot hypotheſes*, ex quibus aliqua ad ipſius mentem erit. Præmittam tamen brevem totius argumenti explicationem methodo noſtris uſitatiore & faciliore, ut nobis quidem videtur: quæ ſi & aliis videbitur talis, conducet forte, ut ipſum etiam Wolffium lecturi facilius mentem ejus venentur.

2. De-

* Vernünfftige Gedancken von der Menſchen thun und laſſen, Francof. 1733. edit. 4. in 8vo Wer ohne Vorurtheil und mit Fähigkeit über meine Schrifften kommet, der wird finden, daß alles Wahrheit ſeye, was ich hier geſchrieben. Ich bin GOttlob! längſt darüber weg, daß ich mich in dergleichen Urtheilen ſelbſt betrügen ſollte; indem ich die Sache aus ihren innern Gründen beurtheile, und mit auswärtigen nichts zu thun habe. Wer meine lateiniſche Logik inſonderheit geleſen und verſtanden, der wird ſehen, daß ich verſtehe, was zu gründlicher Erkänntnuß der Wahrheit erfordert wird, und was für Überlegung nöthig iſt, damit man verſichert ſeyn kan, ob man in der Sache Gewißheit hat oder nicht. Er wird aber auch &c.

Totius argumenti deſcriptio, noſtra methodo.

2. *Deſcriptio argumenti* hæc erit:

A. ESSENTIA dicitur à noſtris *principium quod* eſſendi: id eſt illa ratio aut vis, qua ipſa ſum.

***Eſſe* quid;?**

B. ESSE duplex eſt, Poſſibile & Actuale ſeu exiſtens. Hic de ſolo exiſtente erir ſermo; quia quæritur regula ſeu lex naturæ non poſſibilis ſed actualis.

***Natura* quid?**

C. NATURA dicitur principium operandi, ſeu ratio illa ac vis, qua ipsâ ultra nude exiſtendum potens ſum movere, exercere, producere.

* Num hæc in una re diſtincta ſint, an tantum modo noſtro concipiendi ſeparantur, huc jam minime ſpectat; utrum enim horum ſupponatur, Eſſentia ac natura ſunt regula Wolfiana. Ipſe certe Wolffius iſta nec re nec ratione diſtinguit, dicens in nota §. 136. *Nec eſſentia à Natura diſtinguitur ita, ut per naturam nec eſſentia ſola nec eſſentia unâ cum natura INTELLIGATUR.*

***Determinationes* quid?**

D. *DETERMINATIONES* à noſtris dicuntur *Limitationes* ſeu conſtrictiones ad certum rantum, non qualeincunque modum tam *eſſendi* quam *operandi*. Quæ limitationes ideo dicuntur neceſſariæ, conſtantes, ſeu perpetuæ, & immutabiles, quia certæ ſunt, quia eſſentia & natura illas nunquam poteſt egredi.

Objectum Finis.

E Inter determinationes maxime attenduntur *Objectu u* ac *Finis*, cuilibet naturæ fixus & immutabilis.

Oſtenduntur hæc exemplo.

Exemplum horum omnium oſtendo in Homine. Ejus *eſſentia* eſt ipſum ejus eſſe ac exiſtere corpore & anima. *Natura* eſt ejus vis ad operandum corpore & anima. *Determinationes* ſunt conſtrictiones ſeu limitationes neceſſariæ ad ſic non aliter eſſendum, ad ſic non aliter agendum. Præcipue adſtrictus eſt intra certos *fines* & certa *objecta*. Nam intellectus v. g. non poteſt aliud objectum formale habere, quam *Verum;* Voluntas non poteſt non habere pro objecto *bonum*; facultas locomotiva non poteſt aliud habere quam *lationem talem.* Et ſic porro de omnibus. Rurſus etiam ipſis *rebus aliis*, quæ ad actionem hominis concurrunt, tales ſunt determinationes variæ, qualitatis, quantitatis, modi, finis &c.

His ita breviter deſcriptis quæ permultis §§. à D. Wolffio dicuntur ac redicuntur, nec tamen clare exponuntur, ponamus hypotheſes de doctrina D. Wolffii.

***Hypotheſis I.* quæ poteſt Wolffius intelligi.**

3. *Hypotheſis prima.* Si D. Wolffius vellet, Eſſentiam & naturam hominis nudam, ſine ſuis determinationibus eſſe regulam primam ſeu legem naturalem hominis, haud dubie falleretur, & in hoc ſenſu ejus doctrina non poteſt accipi. Quod probatur ſic. Regula duplicis poteſt eſſe modi vel eſt regulans ſeu determinans tantum & non regulata: vel eſt regulans quidem, ſed regulata aliunde ac aliunde determinata: Sive quod idem eſt, *Regula* alia eſt vere *prima*, alia eſt *ſecunda*.

Regula alia *prima* alia *ſecunda*.

At vero Eſſentia humana nuda ſine limitationibus non eſt *regula PRIMA*, aliàs eſſet ens illimitatum, & conſequenter aut DEUS aut nihil determinatum: quæ utraque concipi non poſſunt: quod prolixiori probatione non eget. Præterea eſſentia humana abſque determinationibus non eſt *regula SECUNDA*; quia neque eſt regulata ſeu determinata, cum ſupponatur abſque determinationibus eſſe; neque eſt regulans ſeu determinans, cum in eſſentia tali nuda indeterminata non inſit *ſufficiens ratio* ad alia determinanda ſeu regulanda. Itaque eſſentia & natura ſic ſumpta potius exſpectant regulam, quam ut ipſa ſint regula.

***Hypotheſis II.* Determinationes eſſentiæ.**

4. *Hypotheſis 2da.* Si D. Wolffius vellet, ipſas has *limitationes* ſeu determinationes eſſe *primam* regulam *abſolute* nempe regulantem tantum non etiam regulatam, à quibus nempe determinaretur eſſentia, atque ab eſſentia ſic determinata ſeu regulata deinde regularentur actiones humanæ: in hoc ſenſu iterum falleretur, neque ergo in hoc ſenſu accipi poteſt, quia *ipſe ſcit ſe non falli*.

non ſunt à *ſeſe*.

Eum autem hoc ſenſu falli, probatur ſic: Aut enim limitationes illæ, determinationes, ac neceſſariæ conſtrictiones eſſentiæ ſunt *à ſeſe*: & ſic ſententia Wolffiana manifeſte eſſet Atheiſtica, quod abſit; quia tali modo id, quod eſſentias determinat, limitat &c. eſſet *primum omnium* determinans omnia & non determinatum, ur ſupponitur: & tamen non eſſet DEUS, ſive non eſſet primum omnium determinans tantum quin ſit determinatum ab alio.

Sed ab alio ſicque ſunt regula tantum *ſecunda*.

Aut vero limitationes illæ ſunt *ab alio* limitante: & ſic iſtæ limitationes jam non ſunt limitativum primum, neque adeo regula abſolute *prima*: ſed potius limitatum ab alio, & rurſus limitans alia, qui eſt conceptus *regulæ ſecundæ*. Igitur tali modo Determinationes Wolffianæ ſunt regula tantum ſecunda habentia priorem. Sicut v. g. ſi iſta conſtrictio naturæ humanæ neceſſaria ad modum, objectum, finem, prodiret à motu ſiderum, motus ſiderum

dici deberet lex & regula tam eſſentiæ, quam naturæ humanæ, quam determinationis rerum omnium ad actiones humanas concurrentium. In fundo ergo D. Wolffii determinationes eſſent regula prima, ut ipſe ſupponeret; & non eſſent prima, ut probatum eſt.

Hypotheſis III. bona eſt, ſi tam eſſentiæ, quam determinationibus præficitur ens ſuperius determinans:

5. *Hypotheſis 3tia.* Si D. Wolffius vult. Eſſentiam & naturam humanam, ad hoc ut ſit regula, non tantum ſumi debere tanquam conjunctam & combinatam cum illis determinationibus, quas patitur, ſed tanquam illis ſubjectam & ab illis regulatam; rurſus autem determinationes illas non eſſe aliquid aliud, quam leges & neceſſitates ab aliquo ente priore præſcriptas, præceptas, & conſtitutas; quidquid ſit illud ens prius: Tum vero recte ſentit D. Wolffius, & in hoc ſenſu tuto recipi debet ejus regula. Nempe ut tam *eſſentia*, quam *natura*, atque *determinationes* ſint regula ſecunda, regula autem prima ſit ens illud primum, determinationes iſtas neceſſarias imponens, ſeu hominis ac Eſſentiam ceterarum rerum conſtringens ad hæc tantum objecta non alia, hos fines non alios &c.

Quid autem ſit illud ens prius regulans, aut quo nomine appellandum, huc non pertinet, modo conſtet, illud, qualecunque ſit, eſſe regulam neceſſariam, quæ iſta determinando *ſubjicit ſibi eſſentiam &* naturam hominis, & actiones inde proficiſcentes: & quæ conſequenter ſit ens ſuperius ac dominum non humanæ duntaxat eſſentiæ, ſed omnium omnino rerum.

Quod probatur.

Veram autem eſſe hanc mentem, ſi D. Wolffius illam habet, ſic oſtenditur. Probavimus ſupra, Naturam nudam non eſſe primam regulam ceterorum, ſed regulari à priori, nempe à limitationibus illis. Probavimus, Limitationes iſtas non à ſeſe eſſe, ſed ab ente priore. Atqui quod probatur regulari ab alio priore, illud probatur eſſe regula ſecunda tantum. Ergo probavimus, Eſſentiam, naturam, ac determinationes ſeu limitationes illas, ſi ſunt regula, in tantum eſſe regulam, quia in quantum omnia iſta ſunt regulata, ordinata ac præcepta ab ente ſuperiore; ſive eſſe iſta omnia regulam *tantum ſecundam.*

An lex naturæ ſit independens à voluntate DEI.

Theor. IV. Lex naturæ eſt independens, ac anterior voluntate cujusque entis ſuperioris: Sive lex naturæ, & obligatio ad illam datur abſtrahendo à voluntate DEI. Quomodo hæc D. Wolffii doctrina poſſit recipi, aut debeat reſpici?

1. *Suppoſitio prima.* Si ſic ſumeretur ſententia D. Wolffii, ut Eſſentia, natura ac determinationes ſæpe dictæ ſint à ſe ipſis, & *nulli* præceptioni *ullius* entis ſuperioris ſubjectæ, falſa eſſet ſententia & vel Atheiſmum docens, vel ipſam eſſentiam *à ſeſe determinatam* conſtituens pro *ente ſummo.*

Suppoſitio I. ut eſſentia ſit à ſe,

2. Præterea eſſet abſurda ſententia. Quia iſtæ limitationes, ſi ſupponuntur eſſe aliquod *ens*, *diſtinctum* ab eſſentia humana, eſſent longe nobilius ac fortius ipſâ eſſentiâ; imo omnium fortiſſimum, cum per illud non tantum eſſentia humana determinaretur, ſed omnium rerum, quæ unquam poſſunt ad actionem humanam concurrere: cum tamen in ipſius eſſentiæ humanæ poteſtate neutiquam ſit rebus ullis limitationes præſcribere alias, quam quas aliunde habent: unde apparet, tales determinationes longe ipſa eſſentiâ humanâ fortiores futuras eſſe, ſi ita intelligeretur D. Wolffii ſententia.

abſurda eſt.

3. Si vero determinationes illæ non ſunt ens diſtinctum ab eſſentia, ſed ipſa eſſentia; ſequitur eſſentiam determinari à ſe ipſa, neceſſitari à ſe ipſa: itaque eſſet neceſſitans ſecundum eſſentiam, & ſecundum eandem eſſentiam non eſſet neceſſitans ſed neceſſitatum.

4. *Hypotheſis ſecunda.* Si D. Wolffius ſentiret, quod non ſentit, Eſſentiam illam determinatam, tanquam regulam, dependere à natura, fortuna, caſu, fato, neceſſitate; iſtam tamen naturam, fortunam &c. non eſſe ens ſuperius diſtinctum ab entibus omnibus, ſic incideret in naturaliſmum, Epicuriſmum, Stoiciſmum, & Atheiſmum. Si vero per naturam, caſum, fatum &c. intelligit aliquod ens diſtinctum determinativum omnium & à nullo determinabile, *hoc ipſo intelligitur DEUS, & ab illo non abſtrahitur*, ſed is vere pro regula naturæ prima ſtatuitur quam optime, ſicut debuit ſtatui.

Hypotheſis II ſi Wolffius per naturam intelligit ens indiſtinctum, aut diſtinctum.

Clara ſunt hæc, & multis argumentis fierent tantum obſcuriora.

5. *Suppoſitio tertia.* Si D. Wolffius admittit quidem Dependentiam eſſentiæ regulantis à voluntate *aliqua* DEI, & tantum quærit à qua DEI voluntate pendeat? Sic recte reſolvi debet, diſtinguendo duas voluntates ſeu præceptiones DEI. Una ac *PRIMA VOLUNTAS DEI* eſt præceptio DEI, qua eſſentiam humanam conſtituit, eique hos limites immutabiles proponit, ut voluntas bonum, intellectus verum, ceteræ facultates alia tantum poſſint ac debeant attingere; & ſic

Hypoth III. ſi Wolffius diſtinguit voluntatem Dei *primam*,

ſic etiam in determinatione aliarum rerum, quæ omnes ſubordinari debent enti primo, aliæ quidem tantum directe & abſolute ut cetera; aliæ etiam reflexe & cum intentione ut homo. Et tali modo regula ſeu *lex natura eſt eſſentialiter pendens à voluntate hac DEI prima tanquam à ſua ſuperiori regula, nec ab illa* abſtrahi poteſt; cum aliquid ſecundum quà ſubordinatum non poſſit concipi ſine ſubordinante. Subordinans enim ingreditur conceptum ſubordinati, vel habet in ſe rationem ſufficientem &c.

à voluntate ſecunda,

6. Altera ac *SECUNDA*, & quoad nos poſterior *VOLUNTAS DEI* eſt imperium aliquod DEI, quod fert in eſſentiam humanam, quæ per anteriorem ſuam voluntatem jam erat regulata. Ab hac voluntate lex naturæ *poteſt* abſtrahere; quia talis voluntas ſecunda non ingreditur conceptum eſſentiæ humanæ ut per primam voluntatem determinatæ: nec in natura humana ſimpliciter conſiderata per actum illum primum regulatâ continetur ratio ſufficiens, cur talis actus ſecundus *extet* aut extare *debeat*, bene tamen quod *poſſit* extare.

à voluntate 2da DEI lex naturæ poteſt abſtrahere.

7. Nam ab actu ad potentiam eſt bona argumentatio: In noſtra eſſentia ùt regulata per voluntatem primam DEI continetur ratio ſufficiens actus divini *extantis*. Ergo continetur ratio ſufficiens ad *poſſe extare* etiam aliorum actuum æque divinorum.

Voluntas 2da dicitur Lex *poſitiva*

8. Cum igitur *VOLUNTAS DEI SECUNDA* dicatur præceptio ſeu *LEX DIVINA POSITIVA: VOLUNTAS* autem *PRIMA* dicatur *LEX DIVINA NATURALIS*, tanquam prima formatrix naturæ ac rectrix; apparet ſufficiens ratio *CUR LEGE NATURÆ OBLIGATI SIMUS ETIAM AD LEGEM POSITIVAM DIVINAM SERVANDAM*, dummodò cognitam. Id quod nos in Jure naturæ noſtro uberius inculcavimus. Nam ille DEUS, qui prima voluntate ſua conſtituit eſſentiam noſtram *ſervam* ſui imperii primi, non potuit nos ab imperio ſecundo immunes reddere, niſi eſſentiam priorem adimeret, & novam diverſam daret, ita ut non eſſemus *iidem*. Hoc autem repugnat enti primo, ut recte de his D. Wolfius allegat Theologiam naturalem. Quæ tamen non tantum tractanda erant in Theologia naturali, utpote mere ſpeculativâ: ſed omnino in jure naturæ, quod debet docere praxin hominis erga DEUM.

voluntas 1ma lex naturalis.

Cur lex poſitiva obſervanda?

R. P. Deſing Pars I.

9. *Suppoſitio quarta.* Si D. Wolfius contenderet, eſſentiam humanam *ſolam* debere dici *legem naturalem*, voluntatem autem primam DEI *ſolam* debere dici *Legem divinam*: ita ut eſſentia humana ſit *regula prima in ordine naturali*, voluntas autem prima divina eſſet tantum *regula prima in ordine SUPERNATURALI*: contentio iſta explicatione vocum dirimi poteſt, & debet reduci ad modos loquendi eſt antiquo jam uſitatos.. Cum nomina bona recepta mutari non conveniat, ob rationes paſſim notas, & ob periculum erroris, quod periculum etiam hic ineſſe ſtatim oſtendam.

Hypotheſis IV. Lex naturalis an ſit ſupernaturalis?

10. Nam *NATURALE* hactenus diximus omne illud, quod fluit ſecundum ordinem creaturarum *prima* creatrice DEI *voluntate* conſtitutum: à quo Ordine DEUS non excluditur neque excludi vel abſtrahi hic ordo à DEO poteſt; quia DEUS eſt hujus ordinis principium eſſentiale. Principiatum autem tale à principio tali non poteſt abſtrahi, quia primum continetur in conceptu ſecundi qua ſecundi. Tali modo Voluntas prima DEI determinatrix ordinis hujus eſt *VERE NATURALIS LEX DIVINA ABSOLUTE PRIMA.* Contrà eſſentia humana eſt *VERE NATULALIS LEX SECUNDA:* poteſt tamen *reſpective* dici etiam prima, ſed *prima creata*, aut *participata*, uti nos in noſtro jure naturæ fecimus, ſecuti Patres noſtros cum S. Thoma.

Quid dicatur *Naturale*?

Voluntas DEI prima eſt lex naturalis.

11. *SUPERNATURALE* autem ſolemus dicere id, quod in illo ordine primitus per DEUM conſtituto non continetur, ſed *ſecundo* DEI decreto imperatur & fit extra ordinem, ad ſecundum imperium manifeſtandum aut exſequendum utatur ordine creato primo tanquam inſtrumento, medio &c. Sic peccatum grave ſeu averſio totalis voluntatis humanæ à DEO ut ſummo bono, non poteſt per ſolum ordinem naturalem primo decreto ſtabilitum reſtitui aut aboleri; quia in toto ordine naturæ quem DEUS imperando conſtituit, non invenitur peccatum, alias DEUS peccatum imperaſſet, conſtituiſſet: ergo neque in eodem ordine invenitur peccati remiſſio &c. Quamvis DEUS imperio ſecundo adeoque ſupernaturali volens remittere peccatum, utatur creatis progreſſibus tum ad remiſſionem illam manifeſtandam, tum ad conferendam. Sic uſus eſt humanitate Chriſti, in ordine naturali quoad ſubſtantiam jam contenta: Sic utitur aquâ ad baptiſmum, motibus

Quid dicatur *ſupernaturale*?

X 2

tibus voluntatis ad pœnitentiam &c. De his quoque nos plura in Jure noſtro naturæ, ubi de fide ſupernaturalium, de ſpe, de pœnitentia egimus.

Duo ſcopuli in Juris naturæ diſciplina.

12. Ceterum monere hoc loco homines convenit, præſertim illos, qui jura naturæ docere alios volunt aut debent, duos eſſe ſcopulos in hac doctrina æque evitandos, quemadmodum Scyllam & Charybdin, aut quemadmodum Symplegades Poëtarum. Nam Juris naturæ doctor oſtendere debet. Hominem obligari *NATURALITER*. Debet etiam, niſi Atheus ſit, oſtendere, obligari ipſum à *DEO*. Jam ſi multum laborat ad oſtendendam obligationem *NATURALEM*, corrupta diſcipulorum indoles pronior fit ad ſentiendum, omnes obligationes eſſe *mere naturales*. Experimento enim conſtat, animam libenter eſſe præcipitem ad univerſalia concludenda ex quibusdam particularibus. Hinc habuimus homines, qui ſemel iſto ſenſu abrepti magnos conatus adhibuerunt, ut oſtenderent, omnia quæ divinitus revelata credimus, mere naturalia fuiſſe: & hi proprie Naturaliſtæ vocantur. Hi iterum in duas claſſes pro ſua libidine abierunt, quarum altera DEUM inſuper habet, & dicuntur Athei: altera DEUM ad ordinem naturalem qualem-cumque imperfectum refert & hi Deiſtæ ſunt. D. Wolffium inter iſtos non refero: is tamen valde timet, ne, ſi legem naturalem *divinam* eſſe admittat, ipſa ſit *ſupernaturalis*. Vide notam ejusdem in §. 123.

Qui valde urget NATURAM, poteſt inducere in *Naturaliſmum*:

Qui valde urget DEum

Contrà ſi Doctor paulo ſollicitiorem ſe oſtendit in *DEO* adſtruendo & obligatione erga illum; tum proni ad exorbitandum diſcipuli induere incipiunt hunc ſenſum, quaſi obligationes, erga DEUM maxime, eſſent ordinis *ſupernaturalis*. Quia enim DEUS ſupra naturam iſtam creatam eſt, hinc volunt ſibi perſuadere, quidquid ad DEUM refertur, ſupernaturale eſſe.

Hoc autem utrumque facit in ipſis conſuetudo quædam à voluntate contracta, quam contraxit ſæpe obtemperando ſenſui & carnalibus appetitibus. Nam animus ſenſualitatis captivus præceps fit ad omnia ſenſualiter conſideranda, æſtimanda, ac ſequenda. Hinc ſi audit, obligationes noſtras eſſe *naturales*, concludit, *omnes tantum eſſe naturales*. Cur hoc? quia ſibi blanditur, ſe cum natura, quidquid ea ſit, facile compoſiturum; cùm natura aut ipſemet ſit, aut ſaltem nihil ſupra ipſum. Unde exuit timorem, exuit pudorem, & pecudis more vivit.

Poteſt dare anſam, ut præcepta *impoſſibilia* videantur, tanquam *ſupernaturalia*.

Quodſi contrà homo ſenſualis audit, obligationes oriri à DEO, referri ad DEUM *incomprehenſibilem &c.* id rurſum pro ſe arripit, & concludit, ſe his obligationibus ſatisfacere non poſſe: divinas enim eas eſſe, adeoque *ſupra naturam, & viribus naturæ non implendas*. Se autem tunc confitebitur hominem infirmiſſimum, longe imparem ad recipienda, ſperanda, implendaque ſupernaturalia; ideoque ſibi nihil poſſe imputari. Hinc nota eſt doctrina hæretica: hominem non poſſe mandata DEI ſervare.

Ex quibus patet, quam cautus eſſe debeat Juris doctor, & quam neceſſario nos inter talis doctoris dotes numeraverimus, ut ſit *Vir Bonus*. Vid. *Jus naturæ* Cap. 1.

Doctrinæ Wolffii nude ſumptæ periculoſæ:

Them. V. Doctrina D. Wolffii, quod *Bonitas* actionis conſiſtat in ipſa eſſentia ac natura hominis ac determinationibus, independenter à voluntate DEI. Item quod Obligatio ad Bonum etiam erga DEUM ſit ex ipſa eſſentia hominis independenter à voluntate DEI §. 250. Et id genus aliæ ejus doctrinæ nude ſumptæ periculoſæ ſunt infirmis; in certa hypotheſi ac noſtra explicatione ſunt bonæ. Sed neceſſe erat addi explicationem talem, quæ videtetur non magis tribuere eſſentiæ humanæ à DEO abſtractæ, quam Voluntati DEI.

in certo ſenſu ſunt bonæ.

Periculum ex bonitate independente à DEO.

1. Si enim ita nude accipitur, bonitatem intrinſecam & immutabilem æternamque conſiſtere in ipſa eſſentia humana etiam ſine reſpectu ad DEI voluntatem, periculum eſt valde propinquum, ut mox antea dixi, ne homo ſenſualis ex hoc præſidium ſibi ſumat ad naturaliſmum: Si enim eſſentia mea, (argutabitur ille ſecum) eſt ratio intrinſeca boni eaque immutabilis, ego quidem ſemper ero bonus; quia nunquam ego aut actio mea erunt ſine eſſentia ſua. Si libere eligam quod libet, bene eligam, quia libertas mea eſt de mea eſſentia, & cetera id genus. Reclamabit quidem in aliis paragraphis D. Wolffius; ſed homo ſenſualis dicet; hanc priorem doctrinam eſſe naturalem & intelligibilem, poſteriorem autem eſſe inintelligibilem, aut metaphyſicam, aut plane ſupernaturalem.

Nec reclamatio Wolffii periculo cavebit. Cur?

Quomodo ſane accipi poſſit Wolffius?

2. In certa hypotheſi autem ſumptæ hæ doctrinæ, & ſobrie explicatæ, ut ſuprà cœpimus, bonæ ſunt. Nempe Bonitas actionum intrinſeca ſita eſt in eſſentia ac determinationibus rerum *indepen-*

dependenter quidem à voluntate SECUNDA & extraordinaria DEI, ſive independenter à lege *POSITIVA*. Quo ſenſu idem affirmârunt dudum noſtri Theologi. Attamen bonitas intrinſeca non eſt ſita in eſſentia rerum independenter à voluntate DEI prima & ordinem naturæ ſeu determinationem eſſentiarum conſtituente. Omne enim Bonum participatum ſeu quod non eſt *à ſe*, non conſiſtit *in ſemet* independenter à primo ac ſummo bono; quod non eſt aliud, quam voluntas DEI ſive DEUS ut auctor omnium bonorum, aut Bonum ipſum comunicabile ac noncommunicatum aliunde.

Malum per ſe non eſt à DEO. Cur? 3. Hoc equidem indubitatum eſt, *Malum* per ſe aut *intrinſecum* non eſſe à DEO; quia nec in ordine conſtituto per primam DEI voluntatem continetur, nec continetur in ordine conſtituto per ſecundam ac poſitivam DEI voluntatem; niſi per oppoſitionem ac negationem. i. e. DEUS utraque hac voluntate conſtituit meras res & facultates bonas, & inter has facultates poſuit etiam liberam voluntatem, capacem ad agenda bona à DEO inſtituta, capacem etiam ad deficiendum ab eis, & ad convertendum ſe tentative extra hunc ordinem rerum poſitivarum bonarum ad *nihil*, ad *non-bona*, ad ſublationem boni &c. hoc eſt ad ordinem negligendum aut pervertendum. Si voluntas ſe continet in ordine illo utroque, non poteſt niſi bene facere, quia facit ſicut conſtituit Dominus ordinis qui dominus jubet tantum, juberi autem non poteſt ipſi à quoquam. Si voluntas ordini utrivis ſe opponit aut eum inſuper habet, & alium ſibimet conſtituit, qui *non-eſt*, quia ab ente primo conſtitutus non eſt; tum vero nihil boni ſed malum tantum eſt. Homo enim, ſi deſignando conſtituendoque aliquid extra ordinem quem DEUS inſtituit, poſſet *bonum* facere ac conſtituere, ſequeretur, ipſum eſſe auctorem alicujus boni à DEO non pendentis, atque adeo homo eſſet creator novi boni non aliunde habentis reale eſſe, quam ab ipſa hominis voluntate. Quod longe abeſſe debet etiam à ſuperbiſſimo. Nihil igitur *boni* cum poſſit per hanc averſionem facere homo, ſequitur eum tali modo *non niſi malum* facere; quod autem *non niſi malum eſt*, revera eſt *per ſe* & *intrinſece malum*.

4. Verum ſi D. Wolffius ſic intelligit indepentiam legis naturalis à lege *poſitiva tantum*, fruſtra tantum apparatum metaphyſicum adhibuit, quaſi rem novam demonſtraturus & mortalibus incognitam. Nemo hactenus neſcivit, legem poſitivam eſſe naturali poſteriorem, atque adeo *illam* ab *hac* trahi non poſſe. Potuiſſet, ac, ut fidelem doctorem ageret, debuiſſet clare ac ſæpe edicere, non ſimpliciter independenter ad voluntatem DEI legem conſiſtere in Eſſentia humana: hoc enim lubricum eſt: ſed, legem DEI conſiſtere in eſſentia humana ut independente ab lege *poſitiva* DEI.

Them. VI. Iſtæ locutiones: Lex naturæ eſt voluntati divinæ conveniens: & ſiquæ ſunt id genus aliæ, in hypotheſi ſunt accipiendæ aut rejiciendæ. **Lex naturæ conveniens voluntati divinæ.**

non omnino bene dicitur. 1. Si intelligitur voluntas DEI *prima*, & tamen dicitur, legem naturæ eſſe *mere* ac *nude conformem* eidem voluntati ſine *dependentia* ab eadem, falſa eſt hypotheſis. Lex enim naturæ increata eſt ipſa DEI voluntas prima: Lex naturæ creata eſt eſſentialiter pendens à voluntate eadem, hoc eſt lex naturæ creata totam eſſentiam, ac formam unice accepit à ſola eadem voluntate, independenter à qua nec eſſet nec regularet. Sic autem convenire cum Voluntate DEI, non eſt nude *congruere*, ſed unice *dependere*; Sicut lex principis non eſt nude conveniens voluntati ejusdem, ſed ab ipſa procedit, pendetque unice.

& dat conceptum peccati philoſophici. 2. Deinde hæc expreſſio *nudæ* convenientiæ cum voluntate DEI *ſine dependentia* à DEO poſſet eſſe occaſio exiſtimandi, eum qui peccat contra legem naturæ, non tamen peccare contra DEUM: ex nuda enim convenientia leges cum voluntate DEI ſine pendentia, non videtur poſſe probari *neceſſitas parendi* DEO: ubi nulla probatur neceſſitas parendi DEO ibi nullum datur fundamentum judicandi, DEUM fuiſſe offenſum; quia offenditur ſolum per *inobedientiam* ac violationem debiti. Conſequenter daretur peccatum contra legem naturæ & tamen non contra DEUM. Id quod eſt proſcriptum ab Alexandro VIII. 24. Aug. an. 1690. ut poſt videbimus. Exemplum rem faciet claram. Lex Statutaria Saxoniæ vetat aliquem contractum: Eundem contractum vetat etiam lex Perſarum. Qui jam in Saxonia obſervat hanc legem, is agit conformiter voluntati Ducis Saxoniæ, & ſimul conformiter voluntati Regis Perſarum. At regem Perſarum non offendit, offendit autem regem vel Ducem Saxonum is, qui eam transgreditur. Quamvis enim lex Sa-

X 3 xonum

xonum ſit conformis voluntati regis Perſarum, tamen ab ea non pendet.

Reducitur ad contradictoria.

3. Quodſi dicatur, ex nuda illa convenientia ſine dependentia poſſe demonſtrari neceſſitatem parendi DEO; debebit in nuda convenientia ſine dependentia ineſſe *ſufficiens ratio* neceſſitatis parendi DEO. Si convenientiæ huic independenti ineſt ſufficiens ratio parendi DEO, ineſt eidem ſufficiens ratio dependentiæ à DEO quia parere eſt dependere. Ergo ineſt tali convenientiæ dependentia à DEO & non ineſt dependentia à DEO.

Sententia damnata de peccato philoſophico.

4. Sententia damnata hæc eſt: „ Peccatum Philoſophicum ſeu morale „ eſt actus humanus *diſconveniens na-* „ *turæ rationali* & rationi. Theolo- „ gicum vero mortale eſt transgreſſio „ libera *divinæ legis*. Philoſophicum „ quantumvis grave in illo, qui DEum „ vel ignorat, vel de eo actu non co- „ gitat, eſt grave peccatum, ſed non „ eſt offenſa DEI, neque peccatum „ mortale diſſolvens amicitiam DEI, „ neque æterna pœna dignum.“ Hic patet *convenientiam* legis naturæ cum voluntate DEI non excludi: *dependentiam* tamen ab eadem excludi, cum poſſit violari lex naturæ, quin violatur voluntas DEI; ut fundamentum peccati philoſophici ſit *Independentia* legis naturæ à voluntate DEI. Quodſi igitur his in terminis verſatur D. Wolfius, ſtruxit fundamenta peccati philoſophici. Si non verſatur in his terminis, debet reduci ad illos terminos, quos poſuerunt patres noſtri: ex quo viſibile fit, male tuta eſſe jura naturæ novorum & Clariſſimi etiam Domini Wolffii, quando profitentur ſe ab ignorantia Patrum longe recedere.

Quod peccatum deterius ſequitur ex hypotheſi hac Wolffii.

5. Quin imo ſi D. Wolffii ſententia verſatur in his terminis, longe deteriora ſequuntur: nempe peccatum philoſophicum dari non tantum in ignorante DEUM, ſed in ſciente & actualiter cogitante. Nam in Caſu Alexandrino, ut mihi videtur, peccatum Philoſophicum conſtituitur in deordinatione ſimplici à natura rationali, nihil cogitando de convenientia hujus legis naturalis cum voluntate DEI: quia talis pſeudophiloſophus fortaſſe neſcit iſtam convenientiam & ipſum DEUM. At in Caſu D. Wolffii (ſuppoſitis terminis prædictis) philoſophus apprime intelligeret demonſtratamque haberet convenientiam legis naturæ cum voluntate DEI: ergo indirecte demonſtratum haberet DEUM ipſum ejusque voluntatem. Et nihilominus iſte philoſophus non peccaret contra DEUM etiam cognitum, quia neſcit dependentiam à voluntate DEI, aut potius pro demonſtrato accepit à Wolffio, bonas & malas actiones eſſe ex ipſa natura humana hoc eſt ex ipſa lege naturæ *independenter* à voluntate DEI. Firmiter ergo ſibi perſuadebit, ſe legem quidem naturæ offendere, non tamen voluntatem DEI: niſi forte per indecentiam & incivilitatem; quia egerit aliquid contra *convenientiam nudam* ſimplicem, non autem contra neceſſitatem & obligationem ſuam ac *dependentiam*.

Num Pontifiis ſit in philoſophia morali aliquid vetare?

6. Non credo ita inhumanum fore D. Wolffium, ut dicat: quid ad rem facit Alexandri Papæ declaratio aut proſcriptio in materia philoſophica? Demonſtrare debuiſſet Alexander, & methodo ſcientifica uti, & mathematicum eum fuiſſe oportebat. Nam facilis ad ea pateret reſponſio alia: ſed nos ex D. Wolffii ſententia reſpondebimus. Is, ut initio diximus, admittit, in jure naturæ agnoſcendo ac diſcernendo fundamentum eſſe *auctoritatem, quam ſequi TENEANTUR* & vulgus & vulgo nihil altius in doctrina morali ſapientes. Igitur Alexander Papa nihil fecit aliud, quam quod D. Wolffius poſtea Pontificibus tanquam viris auctoritatem habentibus præſcripſit. Ut autem Pontifex pro doctis aliquam demonſtrationem ederet, nec patitur ejus auctoritas ſine *tali* demonſtratione vigens; nec rerum ac hominum conditio. Nam ubi eſt ille vir doctus, qui, niſi humilis & auctoritati obediens ſit, demonſtratione ſe patiatur ſuperari? DEUS ipſa certitudo & eſſentiarum eſſentia ex nihilo fecit omnia bona idque fecit ſua voluntate ut agnoſcit Wolffius, ab eadem voluntate factum totum id quod eſt. Dominus Wolffius quin ſit doctus, ego neutiquam dubito, ſicut nec ipſe dubitat, ſecurus utique dudum, ſe falli in his rebus non poſſe; id quod ſupra Them. II. num. 2. retulimus. Jam vero D. Wolffius ita ſecurus ſuæ doctrinæ, operoſas ſeris argumentationes, quibus videtur confutare alios etiam doctos viros, qui bonitatem intrinſecam actionum humanarum etiam ipſius D. Wolffii oſtendunt dependere à voluntate DEI. Atque ipſe contra hos doctos viros omnem Geometriam, atque Metaphyſicam ſuam jungit & intendit ad probandum, Bonitatem actionum humanarum non dependere à voluntate Dei:

Wolffius id negare non poteſt.

Docti non demonſtratione ſed auctoritate ſuperantur, cum certant.

quam-

quamvis illam dependentiam alii, etiam docti, demonſtraſſe ſibi viſi ſint. Sicut ergo docti viri ſuis demonſtrationibus nihil profecere contra Wolffium, nec Wolffius contra ipſos; ita nihil profeciſſet Pontifex contra doctos, etiamſi methodo ſcientifica ipſius Wolffii uſus fuiſſet.

Cur de Wolffio hypotheſes fecerim?

7. Non ego D. Wolffii demonſtrationes ita dictas trahere cupio in hanc ſolam partem, ut *OMNEM voluntatem* DEI excludat. Ne enim hoc facerem, uſus ſum hypotheſibus, & diſcriminationibus & ſpatium libenter ei permitterem, ut in partem commodiorem ſe ipſe interpretetur, modo ſanam & offendiculo non ita patentem. Sed hoc tamen inde colligitur, doctum virum demonſtrare ſic, ut ad bonam applicationem harum demonſtrationum diſcernendam ab applicatione mala, opus ſit homine æque docto aut ſorte doctiore: quia, niſi doctior ſit Domino Wolffio, & *ſecurior* ab errore, facile iterum producet tales alias demonſtrationes, quæ ancipites ſint.

Nulla definitio moralis poteſt fieri ex ſola ratione.

8. Igitur videtur pronuntiandum, nullam unquam fieri poſſe definitionem de re morali difficili & recondita, ſi definitio ſumenda eſt à doctrina Philoſophica nuda; minime vero ſi definitio ſumenda eſt à doctrina tali, quæ dependentiam à voluntate & auctoritate Dei, conſequenter etiam ab omni alia, ambiguam proponit. Contrà vero poſſibile eſt & neceſſarium, ut definitio talium fiat ab *aliqua* auctoritate. Quippe Docti ſemper inter ſe certant rationibus & imaginariis demonſtrationibus; &, ſi ſummam divinam auctoritatem reſpuant vel ambiguam faciant, ſemper certabunt, nunquam definient; quia eorum principia nunquam poterunt ad unum determinativum *neceſſarium* reduci. Si autem deciſio facienda eſſe diceretur ex magnitudine doctrinæ, in æternum anceps manebit, uter doctus

Sed ex auctoritate.

ſit altero doctior ac certior. Contrà utra auctoritas altera auctoritate ſit potior, non adeo perpetuo in ancipiti eſt poſitum. Nam noſtri v. g. Catholici, cum inter Pontificem & D. Wolffium comparatio auctoritatis inſtituenda eſt & doctrinæ, facile ſe expedient. Nam quantum ad doctrinam attinet, dicent, ſe rem in medio relicturos: Dominum quidem Wolffium ediriſſe libros multos, à Papa nullum eſſe editum: ſed hoc, inquient, nihil probat: cum etiam doctiſſimi nihil ſcripſerint, ut Socrates; & cum ipſe Dominus Wolffius præſeferat ſe doctum fuiſſe ante quam ſcriberet. Quod autem ſpectaret ad Auctoritatem, haud dubie longe præſtare auctoritatem Pontificis. Nam Domino Wolffio etiam longe his minora publice mandanti nemo vel cerdo etiam ex ſuo cœtu crediderit obediendum, cum Pontifici tot ſapientiſſimi viri & ipſimet in magna auctoritate conſtituti libenter & ex animo obediant; cum etiam accedat ingens præſumptio, Pontificem *cum ſuis* non minus eſſe doctum quam Wolffium *ſolum*, tametſi nec Geometra eſſet, nec Analyſi infinitorum inſtructus, nec Ontologiæ aut Logicæ Wolffianæ unquam ſtudium adhibuiſſet. Sicut ante centum annos fuere doctiſſimi quidam viri, tametſi Libros Wolffianos non habuerint.

quæ major eſt Pontifi i, quam Wolffio.

Them. VII. D. Wolffius videtur promiſſum de Juventute in altum tollenda, non omnino impleviſſe.

Wolffius promittit,

1. In præfatione ominatur, futuros quoſdam, qui juventutem à ſubtilitatibus Wolffianis abſtracturi ſint propterea, ut placeant eidem juventuti, *humi repere, quam altius ſe à terra tollere malenti.* Perſuadet ergo ſibi ſubtilitates ſuas ad hoc valituras, ut humi repens hactenus juventus altius attollatur.

ſe juventutem ſublimis docturum ob ſubtilitates:

2. Equidem noſtri doctores adeo non ſunt ſubtilitatis & acuminis expertes, ut avidiſſima etiam juventus non explere ſitim uberrime valeat. Quid quod heterodoxi, & ex noſtris etiam non pauci accuſent ſcholarum in his ſuperfluitatem.

quæ cum in noſtris abundent doctoribus,

3. Subtilitates non ideo utiles ſunt, quia ſubtilitates: imo non raro utiles aliàs doctrinæ per hoc ipſum redduntur inutiles, quod acuantur ſubtilius. Triſtis id loquitur multorum experientia, qui ſubtilitate nimia cœperunt hebeſcere & à ſana mente deflectere. Veteres quoque Philoſophi, quod S. Auguſtinus in Joannem dudum notavit, de virtutibus, de Summo Bono multa ſubtiliſſime diviſerunt ac diſcurſus acutiſſimos nexuerunt. Pauci tamen illorum altius extulere mentem, aut ſubtilitatibus ſuis ad cœlum evecti ſunt.

non tamen ob ipſam ſubtilitatem proſunt, ſed ſæpe obſunt. Experientia.

4. Atque ut ad rem veniam, mihi videtur D. Wolffii promiſſa altitudo in præcipitium & Icarium volatum facile abire poſſe apud multos juvenes, ſi ejus doctrinâ iſti utantur, maxime circa hanc *independentiam* legis naturæ ſive naturæ humanæ à voluntate DEI. Neque poterunt à vertigine liberare ſeſe, niſi ſe receperint ad noſtrorum ab antiquo doctorum ſententias, & ſecundum has rectificaverint doctrinam Domini Wolffii.

Subtilitas Wolffii poteſt fieri præcipitium.

5. Vo-

5. Vertiginem illam colligere eſt ex ſuprà dictis Themate IV. & V. & infra ex Themate de Atheo Cap. XVII. Them. VIII. n. 7. &c. ubi per hæc Principia concedi debet Atheo, non dari legem naturæ, utque adeo nullum omnino peccatum ne Philoſophicum quidem committi ab homine Wolfiano poſſe. Quæ luxurioſæ juventuti & avaræ ſenectuti valde commoda ſententia foret.

Wolfius non detexit multa in Jure Nat.

Them. VIII. D. Wolfius non eſt inventor multorum novorum in doctrina Juris naturæ.

ut ipſe gloriatur,

1. Præſertim in præfatione Juris naturæ ſeu Morali, Germanica lingua exarati, multa enumerat, quæ ipſe primus hic præſtiterit; Inter alia, *ſe internam indolem liberarum actionum, hactenus obſcure cognitam, in omni clara luce poſuiſſe: demonſtraſſe ſe id, cujus demonſtratio antea impoſſibilis habebatur, nempe, inimici dilectionem eſſe convenientem rationi, odium vero eidem contrarium: Reperiſſe ſe novum uſum ſyllogiſmi, nempe quomodo paſſiones & affectus reprimi debeant, refutando præmiſſas ſyllogismi ad malum inclinantis: inveniſſe ſe ſe certas regulas decori hactenus ignoratas: Neminem ſe clarius oſtendiſſe diſcrimen inter opera gratiæ & naturæ: Neminem fuiſſe, qui libertatem voluntatis magis ipſo in uſum reduxerit; clariusque demonſtraverit, quomodo ex libero arbitrio virtus ſuam pulcritudinem, & vitium mutuetur ſuam turpitudinem &c.*

quæ tamen à noſtris dudum pertractata ſunt.

2. Non hic in ſingulorum iſtorum inventorum diſcuſſionem intraverim: quorſum enim abducerer? Sed appello eos omnes, qui in Doctorum Catholicorum libris ſaltem mediocriter verſati ſunt, num hæc aliaque à Domino Wolfio inventa in iiſdem libris deſiderentur? Quodſi enim tot doctrinæ morales hactenus deſideratæ fuiſſent, quam miſerum ante Wolfii libros genus humanum tam felix futurum erat poſt illos libros à multis jam ejus diſcipulis lectos, & ut exiſtimant, amplius etiam demonſtratos. Quam felicitatem cum experientia in hunc diem nondum confirmaverit, poſteris noſtris experiendam libenter permittimus, ſi ea eſt poſſibilis.

Convenientia actionis cum natura humana.

Them. IX. Convenientia actionis cum natura humana in *quadam hypotheſi* eſt Principium diſcretivum juris naturæ.

eſt Principium eſt diſcretivum legis naturæ,

1. Principium diſcretivum dicimus rationem aliquam, ex qua perpenſa & rite applicata, diſcernimus obligari nos ad hoc vel illud ex jure naturæ & non ex alio. Adeoque iſtud principium non eſt ipſa lex naturæ, non eſt ipſa obligatio, ſed eſt indicium ſeu argumentum obligationis non cujuscunque, ſed obligationis naturalis. De quo nos in Jure naturæ uberius.

non in quolibet ſenſu,

2. Ut ergo de Convenientia rite ſtatuamus; certum eſt non *quamcunque Convenientiam* haberi poſſe pro genuino diſcretivo; niſi velimus quidlibet ex quolibet inferri, idque in re tanta, *ex qua*, omnium confeſſione, *ſummum hominis bonum pendet*.

3. Deinde non poteſt admitti convenientia actionis cum natura humana *quomodocunque* ſpectata. Quia hoc quoque licentiæ & defectioni à Summo bono portam apperiret: cum talis convenientia ſit etiam in maximis peccatis, quæ certe conveniunt naturæ creatæ *quomodocunque* ſpectatæ, nimirum ut defectibili &c.

cum non in quolibet importet obligationem;

4. Convenientia ergo *nuda*, ceremonialis quaſi, & quæ non habeat in ſe *rationem ſufficientem imponendæ NECESSITATIS ad OBSEQUENDUM*; talis non eſt illud Principium diſcretivum genuinum. Nam ſi cui repræſentetur: Ecce debes abſtinere à mendacio: quærit utique cur *debeo* abſtinere? Ais ipſi quia non *convenit* naturæ humanæ. Dicet ille: Cur non? Tu rurſus ipſum urgebis ſic: Quia natura humana imprimis ex ſe apta eſt ad veritatem agnoſcendam: deinde quia voces per ſe inſtitutæ ſunt ad ſignificandos mentis conceptus. Rurſus quia omnes homines volunt ſibi dici veritatem: quia denique tua quoque naturæ ita eſt comparata, ut nolis ab aliis decipi. Quilibet in his agnoſcit *convenientiam ALIQUAM*: ſed aliquis forte non majorem deprehendet, quam qualem inter ſe ſervarent duo aulici mutuis ceremoniis certantes. Nam dicet forte aliquis: Intellectus humanus *aptus* eſt quidem ad verum, ſed etiam ad falſum inveniendum id quod multis contingit per accidens; multi etiam id ex inſtitutuo fecerunt. Vocum deinde inſtitutio facta eſt ab hominibus mei ſimilibus & antiquis, quibus nullum, ne dicam naturale, in me jus fuit. Imo etiam ſancti homines utuntur interdum vocibus ad mentem ſuam *celandam*. Homines quidem & ego ipſe nolo decipi; ſed per hoc tamen ego non poſſum ipſum naturaliter *obligare* ne me decipiat; ſicut nec ipſe me naturaliter poteſt obligare ne eum ego decipiam: riſerim enim ipſum obligare me volentem. Hoc ergo peto, ut mihi probes *Convenientia iſta me*

OB-

OBSTRINGI, & cur & unde, & quouſque?

5. Præterea actio debet convenire cum natura humana non ut nuda, ſed *ut determinata*, nec quomodocunque determinata, ſed ut *determinata ab ente potentiore ab ſuperiore ad ſerviendum;* ſeu debet conſiderari *ut pendens* ab imperio. Sic enim convenientia continebit in ſe *rationem ſufficientem OBLIGATIONIS;* quæ utique obligatio conſiſtit in poteſtate trahendi ad obſequium ex una parte, & ex altera parte in debito ſeu neceſſitate obſequendi. In tota vero natura nulla exiſtit *poteſtas naturalis* trahendi nos ad obſequium omnium noſtrarum actionum, niſi DEUS, vel quocumque nomine dicatur *ens Dominum omnium rerum*, ſtatuatur pro *ultimo & univerſali* omnium hominum impellente, & imo compellente; ſalvo libero arbitrio: libero, inquam, ſed non Domino rerum.

Poteſtas obligandi eſt in ſolo à EO

6. Nam quænam eſt illa poteſtas univerſaliter ſtringens ad obſequium omnes, in omnibus actionibus, & exempli cauſa in veritate dicenda? An Natura humana? id eſt ego ipſe me conſtringo ad veritatem dicendam? Hoc autem eſt in quæſtione, ut ajunt. Ut cœteris enumerandis ſed ſuper eam, ajo, id eſſe inſtitutionem aliquam omnibus naturis ac eſſentiis creatis potentiorem. Nam imprimis ſi coëant omnes reges, omnes exercitus, omnes ſapientes, omnes homines, omnes denique creaturæ, in iſtorum omnium poteſtate nunquam fuit nunquam erit ut veritatem ullam ipſi efficiant; ſive ut id, quod verum eſt, faciant eſſe non verum, aut quod eſt falſum faciant eſſe verum, aut aliqua alia circa veritatem reipſâ immutent, eamque ſibi ſubjiciant: ſed quod eſt verum, etiam repugnantibus omnibus hominibus & creaturis eſt verum; & quod eſt falſum omnibus creaturis repugnantibus eſt falſum. Ex quibus luce meridiana clarius omnes homines docentur, ſi modo attendant, veritatis determinationem factam eſſe ab ente ipſis omnibus potentiore ac Domino, cujus ſervi ſint homines, quorum adeo non eſt, veritatem jam proferre jam ſupprimere.

7. Et quamvis exiſtimem, iſta eſſe clariora omnibus mathematicis demonſtrationibus, tamen juvat, ad deprimendam fiduciam humanæ argutationis exemplo palpabili rem explicare. Terra iſta, quam pedibus calcamus eſt omnium maxime crudum elementum, & videtur non attentis eſſe plane in poteſtate noſtra: eam coloni tractant velut ſuam. Eant autem coëantque homines omnes, & vectes omnes, omneſque machinas Philoſophiæ experimentalis & technicæ adhibeant per omnia ſecula, & toto hoc labore auferant mihi dimidiam partem terræ. Nec peto ut ita auferant, ut nullibi amplius extet, ſed tantum ut non amplius extet in hoc globo; aut faciant de novo ſaltem unicum arenæ granum: multaque alia quæ de hoc ſolo dici poſſunt. In his ad populum & ad ſeſe explicandis, utilius, (credo equidem) deſudarent ingenia Doctorum hominum, quam in ſerendis ſubtilitatibus, quibus probent, humanam naturam eſſe ſuammet regulam independenter à DEO.

8. Quodſi aliquis veniens dicat, talia ideo non poſſe ab hominibus mutari, quia hæc eſt *eſſentia* iſtarum rerum. Si eſſentiam ſumas tanquamEns à ſe, id eſt determinans omnia cum ſit indeterminabilis ipſa, habemus Atheiſtam aut Naturaliſtam, aut Epicureum: contra quos jam non vacat plura diſputare. Si Eſſentiam ſumis tanquam ens determinatum, limitatum, hoc eſt ens ab alio; jam habemus illud ens aliud determinativum, univerſale; quod quocunque nomine appelles licet. Objectio.

9. Dices: Hæc neceſſitas eſt Phyſica tantum: ergo non eſt criterium obligationis moralis. Reſpondeo. Eſt phyſica tantum, quamdiu non intenditur pro fine actionis deliberatæ; concedo: Eſt Phyſica tantum, cum à voluntate intenditur pro eo; nego. Lapis neceſſario agit ſecundum neceſſitatem à prima cauſa ſibi impoſitam, ejus actio ſicut ipſa neceſſitas eſt Phyſica tantum. Quodſi lapis poſſet agnita neceſſitate impoſita eidem ſe libere conformaſe ita ut pro fine haberet & appeteret libere parere Domino hanc neceſſitatem imponenti, tum ſtatim actio lapidis eſſet moralis, & naturaliter *juſta*: quia voluntarie ſatisfaciens juri ac Dominio naturalis Domini. Objectio.

Them. X. Inconſequens eſt D. Wolffii doctrina, §. 250. 254. dum aſſerit, Hominem lege naturali *obligari* ad *repræſentandam* gloriam DEI: ſi ille ſtatuit independentiam ejuſdem legis à voluntate DEI. Repræſentatio Gloriæ DEI.

1. Unde enim orietur iſta obligatio aut cujus DEI gloriam deberet repræſentare? an DEI *volentis*, *imperantis*, *determinantis*? Sed DEI volentis nulla ſufficiens ratio reperitur in lege naturæ aut in eſſentia humana, ſi eſſentia eſt independens à DEO volente, & ſi alterum non eſt de conceptu alterius. Inconſequenter imponitur à Wolffio.

Diſcurſus Wolfii

2. Unde coactus eſt D. Wolffius rationem ſufficientem repræſentandi gloriam DEI in alio medio quærere: nempe in obligatione ad perfectionem ſuam, ad quam homo ex eſſentia ſua tenetur. Eccur hoc? quia homo per ipſam eſſentiam ſuam obligatur ad committendas actiones intrinſece bonas §. 228. Actiones autem intrinſecæ bonæ quæ ſunt? reſpondet, eas eſſe intrinſece bonas, quæ per ſe ad perfectionem noſtram tendunt §. 103. vel aliter, eas eſſe intrinſece bonas, quæ per ipſam notionem actionis bonæ ſunt; & illud ipſum explicat, §. 57. ſic: *poſitis iis, ſine quibus actio concipi nequit, ponitur ejus bonitas intrinſeca.* Poteſt autem actio concipi ſine voluntate DEI, aut ſine DEO volente, & ipſe Wolffius revera ita concipit actionem illam, quæ per ſe ad perfectionem hominis tendit, quia in nota paragraphi 103. ubi de actione ad perfectionem hominis per ſe tendente loquitur, expreſſe tanquam neceſſariam cautelam addit, & cavet, ne quem ſubeat cogitatio de voluntate divina: ſic enim ait: *Nemo non videt, nos hic philoſophari de actionibus, quatenus ſpectantur tanquam actiones liberæ hominis citra reſpectum ad ſuperiorem, cujus poteſtati ſubjectus eſt homo. -- Probe autem hæc notanda*, inquit, *veniunt, ne circa bonitatem intrinſecam actionum hæreat, qui præjudiciis occupatum tenet animum, & ut intrinſecæ bonitatis demonſtrandæ principia ſuppetant.*

facit actionem bonam quia eſt actio.

3. Ex hac diſſertandi ratione apparet, ultimam rationem, cur actio ſit intrinſece bona, eſſe hanc, *quia eſt actio*, ſeu quia habet notionem actionis; hoc tamen ſollicite excluſo ne in hanc notionem ingrediatur reſpectus ad Superiorem. Niſi enim hic reſpectus excludatur, jam non poterit ſuppetere Principium demonſtrandæ bonitatis intrinſecæ, juxta Wolffium. At bonitatem intrinſecam habens actio eſt ipſa actio perficiens hominem, ut eodem §. 103. ſtatuitur; Igitur ab actione perficiente hominem debet ſollicite excludi reſpectus ad Superiorem cui eſt ſubjectus homo, id eſt ad DEum volentem aut imperantem. Adeoque in actione hominis, in eſſentia ejus, in lege naturæ, in bonitate intrinſeca, in perfectione hominis nulla includitur ratio ſufficiens ad repræſentandam gloriam DEI vel aliquid DEI: imo potius ineſt in actione, & in perfectione hominis ratio ſufficiens excludendi omnem reſpectum ad DEum cum enim hunc ſollicite jubeat excludere Dominus Wolffius, crediderim, hoc tantum philoſophum non ſine ſufficiente ratione feciſſe: ipſe enim ſecurus eſt ſe in his decipi non poſſe.

4. Dato etiam, DEum non excludi per Wolffium, parum tamen apte videtur aſſerere obligationem repræſentandi gloriam DEI. Equidem hoc poteſt probare, hominem eſſe *aptum* ut ex illius natura *appareat* majeſtas DEI: *obligationem tamen moralem* ei ad hoc ineſſe, non probat, quia neminem oſtendit, qui hominem ad id *liget*, adigat. Nam & culex, & pulvillus quilibet eſt aptus ad manifeſtandam gloriam DEI, quod microſcopia vel ſola nos docere poſſunt: nunquid ergo culex ob id eſt obligatus ad hanc repræſentationem? Horologium ex eſſentia ſua eſt aptum ad repræſentandam ſcientiam artificis ſui: obligatum autem ad hoc non eſt: maxime ſi Horologium in perfectione ſua debet excludere omnem reſpectum ad artificem; ſicut Wolffius ab actionibus perficientibus hominem excluſit omnem reſpectum ad DEum.

5. Ceterum gratis dedimus illud ſuppoſitum. Non enim hoc uno loco citato, ſed ſæpe alias excludit Wolffius reſpectum ad DEum in probandis obligationibus legis naturalis. Certe §. 250. monet: „Probe autem notandum eſt, „obligationem ad manifeſtationem „gloriæ Divinæ hic ex ipſa hominis „eſſentia atque natura fuiſſe deductam, *INDEPENDENTER à VOLUNTATE NUMINIS.* Adeoque in ipſa eſſentia humana *excluſo reſpectu ad DEum Superiorem* debuit eſſe ſufficiens ratio obligationum ac dependentia.

Them. XI. Quæ D. Wolffius in ſuo jure naturæ de DEO & de obligationibus erga ipſum loquitur, loquitur inconſequenter, & more Puffendorffii extra rem cogitur repetere, tanquam impertinentia ad Jus naturæ. — De DEO loquitur inconſequenter

1. De Puffendorffio, quomodo is DEum non ex ſuis Principiis ſed aliunde repetere debeat, alibi nos in Larva detracta Cap. XIII. Them. XII. Item jam de Wolffio, in hac tamen hypotheſi, ſi is independentiam legis naturæ à voluntate DEI *OMNI* intelligit, ut ſupra aliquoties monuimus, & ut §. 103. paulo ante excuſſo ſollicite videtur jubere. — ut Puffendorffius.

2. Ait quidem §. 274. *DEUS legem naturæ hominibus tulit.* Probationem ejus petit ex Theologiæ naturalis §. 989. Part. I. quæ Theologia eſt juris naturæ *extranea* ſecundum ipſum. Deinde probat hoc ex obligatione committendi actiones, quæ per ſe tendunt ad perfectionem — DEum eſſe ejus auctorem

ctionem noſtram. De his autem mox vidimus, quomodo D. Wolffius ab earum natura exeſſe jubeat DEum. Quomodo ergo ex illo, quod DEum excludit, poteſt probari & inferri DEus tanquam auctor ipſius & præceptor?

Ex alia ſimilis valoris. 3. Rurſus ad DEum legis naturæ auctorem probandum utitur hoc medio: Quia lex naturæ nos obligat ad manifeſtationem gloriæ DEI. Sed de hac propoſitione oſtendimus, etiam ipſam eſſe inconſequentem & impertinentem ad legem naturæ Wolffianam. Prætterquam quod ſic in circulum eatur.

Syllogiſmus Wolffii 4. Iterum quidem §. 275. ſtatuit: *Obligationis naturalis auctor DEus eſt.* Id autem probat per hoc, quod in ſyllogiſmum reduco: Obligatio naturalis eſt ipſa eſſentia hominis ac rerum: atqui eſſentia rerum & hominis oritur ab auctore DEO: Ergo obligatio naturalis oritur ab auctore DEO.

major 5. In hoc argumento propoſitio major vel ſumitur in ſenſu Wolffii vel in alio? Si in alio ſenſu ſumitur, nibil probat ad intentionem Wolffii. Si in ſenſu Wolffii ſumitur propoſitio, ſic ea ſonat: Obligatio naturalis eſt ipſa eſſentia hominis ac rerum *excluſo DEO & excluſa dependentia ab illo tanquam Superiore.* Id quod ſupra mox oſtendimus.

minor conſtat terminis implicantibus. 6. Si jam pergas ad propoſitionem minorem, ea rite ſic ſonare debet ex Wolffii mente alibi ab ipſo explicata §. 103. nempe: Atqui eſſentia rerum ac hominis *tanquam excludens DEum & independens ab ipſo tanquam Superiore* oritur ab auctore DEO. Hæc quidem propoſitio conſtat terminis implicantibus: aliquid non dependens ab hoc quoad eſſentiam dependet ab eodem quoad eſſentiam. Ut ſi dicerem horologium independenter ab arte artificis monſtrat horas æquales, & tamen ab arte artificis oritur ejus neceſſitas monſtrandi horas æquales.

concluſio repugnans. 7. Concluſio, quæ ex duabus præmiſſis legitime deduci poteſt, hæc ſolum eſt: Ergo obligatio naturalis non Wolffiana ſeu juris naturæ Wolffiani non propria eidemque non conveniens, ſed alia longe, oritur ex voluntate DEI, ſeu ab auctore DEO. Alias enim eſſet illa implicatoria conſequentia: Ergo obligatio independens à DEO eſt dependens à DEO.

Wolffius ſenſit difficultatem 8. Subolfecit D. Wolffius hanc difficultatem, ſed eam ex Principiis ſui juris naturæ ſolvere non potuit. Hinc in nota ad §. 274. ſubjungit hæc: *Atque adeo patet, DEO NON ADIMI POTESTATEM legiſlatoris, utut lex naturæ à natura & eſſentia humana rerumque DERIVETUR. Hoc enim non obſtante AGNOSCERE DEBEMUS, DEum nobis tuliſſe eam legem, quam naturalem appellamus.* Advertit ſane acutus Philoſophus idemque Mathematicus, ex ſuis Principiis independentiæ à DEO non poſſe deduci dependentiam à DEO. Unde angorem animi ſui denique lenire quæſivit hoc cataplaſmate impoſito, nempe *NON ADIMI* propterea poteſtatem DEO, quod lex naturæ derivetur ab eſſentia hominis. Et quare non *adimitur*? Quia, inquit, non obſtante hoc (nempe non obſtante, quod lex naturæ ſit ipſa eſſentia hominis *ut independens* à poteſtate Superiore) *DEBEMUS* agnoſcere DEum legiſlatorem. Et quare *DEBEMUS*? Hic altum ſilet Wolffius. Sumit ſibi tantum hoc, quia aliud effugium non patet, & ne petit quidem probare. At ego ex Principiis Wolffii haudquaquam nos *debere*, imo *ne poſſe* quidem hoc nos agnoſcere docebo. *Debemus*, inquit, id eſt, *obligamur*. Hæc obligatio eſtne naturalis? haud dubie. Et omnes obligationes naturales continentur in ipſa eſſentia hominis *ut independente* à poteſtate ſuperiori: igitur ex ipſa eſſentia tali independente, in qua conſiſtit Jus naturæ Wolffianum *non debemus nec poſſumus* agnoſcere poteſtatem Superiorem: ergo lex naturæ Wolffiana & ejus poſitio in ipſa eſſentia hominis, *obſtat*, quo minus agnoſcamus, voluntatem DEI nobis præcipere, & nos ab illa ut Superiore pendere.

quam verbis fruſtra lenit · **nec probat.** · **probatur contrarium.**

Non ſufficit, DEO *non adimi* poteſtatem legiſlatoriam. 9. Deinde frigidum hoc eſt, per legem naturæ Wolffianam DEO *non adimi poteſtatem* legiſlatoriam. Si enim D. Wolffius vult, homines per legem naturæ obligari ad DEum, quod pluribus §§. prodit, non ſufficit dicere: in jure naturæ ſeu eſſentia humana nulla eſt ratio ſufficiens, cur DEO adimatur à nobis poteſtas legiſlatoria: ſed oportet probare, in jure naturæ eſſe ſufficientem rationem legiſlatoriæ poteſtatis DEI, ſeu quod eſt idem, dependentiæ noſtræ à voluntate DEI. Nam ubi non eſt ratio ſufficiens obligationis, non poteſt adſtrui obligatio. **Exemplum de Rege.** Sicut, ſi docerem ego, legem Franciæ eſſe codicem Ludovicianum independenter à voluntate regis Franciæ: deinde vero dicerem, Gallos lege Franciæ teneri ad parendum regi Franciæ: & ſi Galli mihi reponerent, tu conſtituiſti legem Franciæ in codice independente à rege, quomodo ergo nunc vis nos dependere à rege eique obedire; Rectene his ego

reſponderem: per hoc quod ego *derivem* legem Franciæ à Codice Ludoviciano independenter à voluntate regis, ego *NON ADIMO* poteſtatem legiſlatoriam Franciæ regi; quia hoc non obſtante agnoſcere *debetis*, regem Ludovicum hanc legem vobis tuliſſe, quem codicem Ludovicianum dicimus?

Aliud lenimentum Wolfii.

10. Sed uno hoc lenimento, *non adempta* DEO per paragraphos ſuos poteſtatis, non contentus Doctor Wolfius & adhuc animi æger, mitigare dolorem verbis quærit. Hactenus enim ſemper ſtatuerat conceptiſſimis formulis, legem naturæ *ESSE ipſam eſſentiam humanam ac rerum, eaque poſita PONI ipſam legem, & ipſam obligationem legis, EXCLUSO RESPECTU* ad ullum ens Superius, ad ullum Superiorem: nunc remittit ex hoc alto tono, & dicit, *legem naturæ DERIVARI ex eſſentia humana:* quaſi vero lex naturæ Wolfiana minus feriretur objectionibus ſi tantum *derivatur* ab eſſentia, quam ſi eſt ipſa eſſentia. Sive enim ipſa eſſentia eſt ipſa lex naturæ, ſive ab ipſa eſſentia tantum derivetur lex naturæ, ſemper verum eſt, in eſſentia debere inveniri ſufficientem rationem dependentiæ à DEO, ſi ſtatuitur, obligationem colendi DEum eſſe obligationem legis naturæ.

Rurſus aliud lenimentum.

11. Rurſus aliud lenitivum efficaciæ nihilo majoris hoc eſt, quod addit: debemus agnoſcere, DEum nobis tuliſſe eam legem, quam *naturalem APPELLAMUS.* Quare modo eſſentia *APPELLATUR* tantum lex naturæ, quare non *eſt* ipſa lex naturæ? Fortaſſe ratio ſufficiens dependendi à poteſtate DEI, quæ in ipſa *Subſtantia* legis naturæ non eſt (utpote hinc excluſa per D. Wolfium) reperietur denique in *vocabulo & appellatione* legis naturæ?

Quid ſit legem naturæ eſſe *etiam* divinam?

12. Nec plagam iſtam ſanant §§. ſequentes, præſertim 277. ubi ſtatuit: *Lex naturæ eſt ETIAM divina.* Rationem reddit hanc: *Quia à DEO obligamur ad ſervandam legem naturæ, conſequenter ad id, ad quod lege naturali obligamur. Enimvero ſi voluntate DEI obligamur ad id, ad quod lege naturali obligamur, lex naturæ SIMUL eſt lex divina. Patet itaque legem naturæ eſſe ETIAM legem Divinam.* Hæc D. Wolfius.

male ſonat

13. Ex his conjicio interim, Wolfium *duas virtutes legiſlativas inter ſe diſtinctas & ab invicem independentes* ſtatuere: identitatem autem admittere non inter ipſas, ſed tantum inter earum legum materiam & objectum vel ſubjectum. Nam inquit, legem naturalem eſſe *ſimul* divinam, eſſe *etiam* divinam. Non ait, *legem naturalem ipſam* eſſe divinam, ſicut alibi dixerat, *eſſentiam humanam ipſam* eſſe legem naturalem. Quo dicto omnimodam identitatem aſſeruit inter Eſſentiam humanam & inter legem naturæ, ita ut una de altera prædicaretur & altera cum ea converteretur, dicendo: Ipſa eſſentia humana eſt lex naturæ; & lex naturæ eſt ipſa eſſentia humana. Si enim tum dixiſſet, *eſſentia naturæ humanæ eſt ETIAM vel eſt SIMUL lex naturæ,* nemo non ex eo argueret, Wolfium dicere, Eſſentiam humanam & legem naturæ poſſe quidem eſſe *SIMUL*, aut duas leges eſſe *ſimul* obligantes: non inde argui poterat, legem naturæ & eſſentiam humanam *eſſe idem.*

Wolfius duas poteſtates independentes admittit.

14. Hanc autem *ſimultatem*, non vero *identitatem* legis naturalis ac divinæ ex Wolfii doctrina ſequi, jam oſtendo. Aſpiciamus primum propoſitionem ejus majorem: *à DEO*, ait hæc, *obligamur ad ſervandam legem naturæ.* In ſe uſu Wolfiano hæc non aliud ſignificat, quam hoc; à DEO obligamur *NOS* ſive *à DEO obligatur ESSENTIA ET NATURA NOSTRA ad obſervandam * eſſentiam ac naturam noſtram:* cum lex naturalis Wolfiana nihil ſit niſi ipſa eſſentia noſtra. Hanc autem propoſitionem negare debet ipſe Wolfius. Quia in eſſentia noſtra nulla eſt ſufficiens ratio, cur hæc obligatio à DEO oriatur: cum eſſentia noſtra *ut obligatoria* excludat DEI voluntatem. Ut oſtendimus hactenus ex ipſomet.

15. Omiſſa autem ſequela, quam præmiſſæ majori adnectit, conſideremus jam ejuſdem minorem, nempe hanc: *Enimvero ſi voluntate DEI obligamur ad id, ad quod lege naturali obligamur, lex naturæ SIMUL eſt divina.* Hanc minorem ei interim negemus, ut res magis in apricum veniat. At ille probationem jam dudum paraverat, §. 150. quæ nos cogit reſponſionem magis diffundere & poſtulare lectorem patientem. Sic autem ait §. 150. *Si voluntate DEI obligamur ad id, ad quod lege naturali obligamur: lex naturæ ABIT* in

* Obſervare enim & ſervare hic idem eſſe docet §. 138.

Digitized by Google

in divinam, ſeu SIMUL EST lex divina. Et, ſi voluntate hominis obligamur ad id, ad quod lege naturali obligamur, lex naturæ ABIT in humanam, ſeu SIMUL eſt humana. Hæc quoque ſi ei negamus, adducit probationem ſequentem, quæ deinde examinanda erit. Sic autem ait diſcurſu in formam reducto: Lex naturæ nos obligat ad ea, ad quæ per ipſam hominis eſſentiam obligamur: Sed poſſibile eſt ut DEus vel homo velit nos obligare ad eadem: Ergo poſſibilis eſt obligatio profecta à voluntate DEI vel hominis ad idem, ad quod obligatio proficiſcebatur ex lege naturæ. Subſumit: At vero lex à voluntate DEI aut hominis profecta eſt lex divina aut humana: ergo Lex divina vel humana ſimul erit lex naturæ,

Ratiocinium Wolffii

16. In hoc ratiocinio Dialectices periti plura deſiderabunt. Nos propoſitiones ſingulas examinemus: *Major propoſitio* eſt (1. tautologica. Lex naturæ nos obligat ad ea, ad quæ per eſſentiam humanam obligamur. Nam in ſenſu Wolffiano lex naturæ & eſſentia humana ſunt convertibiles, & propoſitio conſequenter ita ſonat: *Eſſentia humana ad ea nos obligat, ad quæ per ipſam eſſentiam humanam obligamur.* (2. Eadem propoſitio major recipit plures hypotheſes, nec ergo ſine exceptione concedenda eſt: nam ſumitne Wolffius hic eſſentiam humanam ut pendentem à DEO? Si ſic, fruſtra conglomerat probationes in contrarium: ſufficiebat dicere: Lex naturalis obligat nos ad ea, ad quæ per eſſentiam *dependentem* à DEO obligamur, ſeu ad quæ obligamur obligatione orta ex voluntate DEI &c. Quodſi D. Wolffius intelligit, lege naturali nos obligari ad ea, ad quæ per eſſentiam *independentem* à DEO obligamur; tunc videat D. Wolffius, quomodo probet *minorem ſuam* quæ ſic ſonat: Atqui poſſibile eſt, DEum vel hominem obligare ad id, ad quod obligamur lege naturæ, id eſt in ſenſu Wolffiano *ipſa eſſentia humana INDEPENDENTE à Superiore ullo.* Ipſe D. Wolffius ſuamet vineta cedere, & hanc ſuam minorem negare debet. Nihil enim eſt poſſibile apud Wolffium, niſi cujus ratio ſufficiens continetur in eo de quo agitur: at vero in lege naturæ, id eſt in eſſentia humana *ut independente ab omni ſuperiore*, non datur ratio ſufficiens dependentiæ à ſuperiore, conſequenter nec obligationis ab eodem imponendæ. Ergo in lege naturæ ſeu in eſſentia humana non eſt poſſibilis obligatio à DEO vel homine deducenda.

Major eſt Identica

& amphibologica

reducitur ad contradictoria.

17. Nec juverit argutari, poſſibilitatem hanc non deduci ex eſſentia humana utpote independente, ſed ex eſſentia divina, in qua ſufficiens ratio contineatur hominem dependentem faciendi, contra enim ℞. Si in eſſentia divina debet eſſe ſufficiens ratio ad hoc ut poſſit DEus imponere activam obligationem; debet etiam in eſſentia humana eſſe ſufficiens ratio ad hoc ut eſſentia humana recipiat vel habeat paſſivam obligationem ſeu dependentiam à DEO. Si ineſt in homine talis ratio dependentiæ ſequitur, eſſentiam humanam eſſe independentem, & corruit tota Machina Wolffiana.

Effugium inutile.

18. Cetera ad hunc ſyllogismum pertinentia eadem diſtinctione admittenda vel recipienda ſunt; Hoc ſemper firmo manente, quod, ſi lex naturæ conſiſtit in eſſentia *ut independente* à DEO, in tota lege naturæ nulla ratio ſufficiens inveniatur cur homo ſit ullo modo naturaliter obligatus ad DEum. Et hoc modo verum quoque manet Dominum Wolffium nec demonſtraſſe nec in ſuo jure naturæ demonſtrare poſſe ullum officium erga DEum; ejusque doctrinam æque ac Puffendorffianam Atheo oportunam eſſe poſſe. Quod mox amplius probandum.

19. Interea ancipites locutiones ſunt: lex naturæ *abit* in Divinam: & eſt *ſimul* divina, nam prima poſſet ſignificare *mutationem* legis naturalis in divinam. Altera ſignificat, *duas* revera eſſe leges ab invicem non pendentes, ſed tantum, ut ita dicam, juxta poſitos. Ipſeque ita explicare deprehenditur §. 150. Et certe ſi obligatio per DEI legem impoſita non eſt diſtincta ab obligatione per Eſſentiam ſeu legem naturæ impoſita, neque erit diſtincta ipſa vis obligationem imponens. Atqui vis hæc utraque eſt diſtincta cum altera conſiſtat juxta Wolffium in eſſentia humana & altera in actu voluntatis divinæ, qui certe eſt indiſtinctus ab eſſentia divina.

Them. XII. Ipſum D. Wolffii ratiocinium ad demonſtrandam obligationem legis naturæ denique ab ipſomet reſolvitur ultimato in DEI intentionem ſeu præordinationem, quæ niſi fallor eſt DEI imperium quoddam. Non ergo ſtetit promiſſo, Atheis demonſtrandi legem naturæ independenter à DEO. 1) Rem ex ipſomet probabimus, per Soriten relegendo Wolffii veſtigia ab ultimo usque ad primum.

Wolffius denique cogitur recurrere ad voluntatem DEI.

Sorites ad hoc ex ipſo Wolffio

Homo obligatur ad actiones legi naturæ conformes per *motiva*. §. 118. &c.

Motiva ſunt *Bonitas intrinſeca* actionum §. 127.

Bonitas intrinſeca conſiſtit in *tendentia* ad perfectionem hominis §. 103. 128.

Tendentia illa datur, ſi actio libera per *easdem rationes finales* determinatur, per quas determinatur etiam actio naturalis ſeu non libera. §. 49.

Actio libera determinatur per easdem rationes finales tunc, cum ideo agitur, ut actu conſequatur cum *uſum facultatum animæ ac corporis, quem poſſunt habere*. §. 47.

Uſus autem, quem poſſunt habere facultates, ſunt *FINES à DEO INTENTI* §. 46.

Ergo homo obligatur ad actiones legi naturæ conformes *PER FINES à DEO INTENTOS.*

Wolffius Atheis promiſſa non implevit

Ergo D. Wolffius obligationes legis naturæ demonſtrat per *intentionem DEI:* Ergo non independenter à DEO: Ergo contra promiſſa Atheis facta.

Effugium Wolffii

2. Sed poſſet D. Wolffius reponere, ſe iſtas voculas *intenti à DEO* fines, tantum addiſſe alicujus explicationis cauſa; potuiſſe ſe eas omittere. Sive, ſenſum illius paragraphi eſſe hunc: *Uſus facultatum ſunt fines ſimpliciter* abſtrahendo à DEO; & ſic qua ſimpliciter fines jam ſufficiunt ad movendam voluntatem; non autem *quia à DEO intenti*, reduplicative.

eſt inutile

3. Reſpondeo ad hæc primo: ſi ita juvari cauſa D. Wolffii potuiſſet, is haud appoſuiſſet *intentionem DEI* in illo maxime Paragrapho, qui ſtatuit quaſi fontem moralitatis, ſeu juris ac legis nempe *Finem*. Philoſophus qui longa Diſputatione tam ſollicite ac ſæpius cavet, ceteroſque etiam cavere jubet, ne ad DEI aliquod ſtatutum ac voluntatem recurrant aut ejus meminiſſent, is certe hoc maxime Ipſe cavere debuerat in ipſo quaſi Principio diſputationis ſuæ, à quo cetera pendere debere vi methodi ſcientificæ probe agnovit.

contra ipſumet pugnat

4. Reſpondeo 2do ex explicatione eidem paragrapho ſubjuncta à Wolffio fit clarum, illam *DEI intentionem* non temere fuiſſe adjectam. In ea enim explicatione *probandum* ſumpſit, non quod uſus facultatum ſit finis; ſed *quod DEus intenderit uſum* illum tanquam finem. Sive quod *DEI intentio* dederit uſui illi *rationem finis*: Intellexit ergo D. Wolffius, uſum ipſum facultatem non habere rationem finis in ſemet, ſed *rationem finis* eſſe in inteotione DEI. *Intentio* autem eſt volitio §. 616. 633. ergo per D. Wolffium ratio ſufficiens finis totius naturæ & uſus humani eſt unice in *voluntate DEI.*

& effugium ſibimet præcludit

5. Reſpondeo 3. Ipſe D. Wolffius §. 48. ſibimet præcludit omne effugium per diſtinctionem *finis qua* ſeu reduplicativi. Nam §. 48. docet, *uſum* de ſe nullo modo eſſe finem, ſed eſſe *medium* tantum ad aliud, quod revera finis eſt. Ait: Organa vitalia ſimul ſumpta hunc habent *uſum*, ut *per eorum functiones vita* corporis conſervetur; conſequenter cum *conſervatio vitæ* corporis ſit *finis à DEO intentus*, (§. 46.) functiones organorum vitalium - - - - per conſervationem vitæ corporis tanquam *rationem finalem* determinantur (§. 113. Ontol.) Unde patet, apud ipſum D. Wolffium uſum facultatum non eſſe finem neque *qui* neque *qua*, ſed tantum medium ad finem. Ita per eundem etiam conſervatio vitæ corporis per ſe non eſt finis, ſed rationem finis habet in voluntate DEI.

& in contradictoria impellitur.

6. Ex quibus omnibus ſic denique arguo: D. Wolffius rationem ſufficientem bonitatis actionum ultimato poſuit in *fine* ſeu ratione finali: At is ipſe non potuit ratiooem finalem alibi reperire quam in voluntate DEI. Igitur per ipſum ratio ultima Bonitatis *eſt voluntas DEI*, ex his §§. Et tamen per ipſum eadem ratio bonitatis *non eſt voluntas DEI*, per ceteros §§.

Etiam abolito paragrapho ſuo 46. & 48.

Quodſi tamen D. Wolffius aboleret ſuum §. 46. & 48. alioſque ſuper his ædificatos, & deceroeret, aut *ipſum uſum facultatum*, aut obtinendam per hunc uſum *conſervationem vitæ* eſſe in ſe ac *per ſe finem, excluſa intentione DEI*, per accidens forte, aut nullo modo concurrente ad rationem finis; ne ſic quidem D. Wolffius evadet notam perverſæ doctrinæ, aut contradictoriæ.

Perverſa manet doctrina.

7. Peverſa doctrina ſtatim videtur ſenſui communi hæc: Uſus facultatum animæ ac corporis ſunt regula rectitudinis actionum humanarum omnium: atqui uſus facultatum iſtarum adeſt in actionibus etiam iis, quæ ſenſu communi peſſimæ habentur: ergo uſus facultatum eſt regula rectitudinis, qua applicata prodit etiam curvum; unde facile quiſque ſine multa matheſi ac metaphyſica inferet contradictionem hanc, nempe: Uſum iſtum eſſe regulam recti & non eſſe regulam recti.

& criminibus favens

8. Minor ſeu ſecunda propoſitio ex præmiſſis patet ex hoc; quia uſus facultatum adeſt in multis criminibus,

& fa-

& ſæpe exquiſitior ac intenſior in iſtis, quam in bonis. Ut qui fraudes, mendacia, hæreſes, atheiſmum &c. adornant, quanta non utuntur contentione ingenii, adeo, ut *fortis ſpiritus* à multis dicantur? Corporis quoque viribus & organis non magis pii ac probi utuntur quam improbi. Si ergo uſus facultatum eſt regula bonitatis, actio mala erit bona: ſeu diſcrimen boni malique nullum erit: ſeu uſus erit regula boni, & non erit regula boni; erit regula & non erit regula.

9. Fruſtra diſtinguet. D. Wolffius: uſum facultatum non quemlibet eſſe regulam, ſed uſum bonum, legitimum, id eſt fini congruentem. Nam hæc diſtinctio contradictoria eſt: Uſus enim facultatum eſt regula prima boni, ex illa ſuppoſita doctrina Wolffii: & idem uſus non eſt regula prima, quia indiget alia priore ſeu ulteriore.

10. Si autem uſus facultatum regulandus eſt per *conſervationem vitæ corporis*, ſequitur intrinſece bonum eſſe mendacium factum ob conſervandam vitam corporis. Item ſequitur, nullo caſu vel cauſa bonum eſſe, vitam corporis exponere vel etiam amittere; quia quod eſt ex natura ſua contra primam regulam bonitatis, eſt intrinſece malum: amittere autem vitam ex natura ſua eſt contra primam regulam conſervationis; igitur amittere vitam eſſet intrinſece malum.

11. Si D. Wolffius facit exceptionem, vitæ corporis conſervationem eſſe finem cum exceptione, oſtendit, exceptionem eſſe fortiorem regulâ: quod in naturalibus indubie prodit regulam ulteriorem. Si non facit exceptionem, incidit in abſurda prædicta & in contradictiones. Et oſtendit præterea, ipſius jus naturæ ſimillimum eſſe Puffendorffiano, pro corpore tantum ſollicito, animæ vero negligentiori.

Wolffius Atheo non poteſt probare legem naturæ.

Them. XIII. D. Wolffius §. 245. Atheo ſic argumentanti: *Non datur DEUS: Ergo non datur lex naturæ, ſeu obligatio naturalis:* Concedit antecedens, negat conſequentiam, ſive potius ait, etiam conceſſo antecedente tamen inde non ſequi conſequens. Id Dominum Wolffium ſecundum ſua propria principia facere non poſſe, & debere ipſum conſequentiam Atheo concedere, oſtendendum jam eſt accuratius.

Bælius in Atheiſmo multum expertus adducitur in teſtem.

1. Ante vero notandum eſt aliquid de Atheo, idque ex Bælio, qui in hac materia de Atheiſmo aliquid ſcire præſumendus eſt, eo quod ab aliis accuſatus Atheiſmi, ab aliis Atheorum paranymphus dictus, aliquot ſcriptis ſe defendit eo maxime argumento, quod accuſatores male perceperint naturam Atheiſmi: Hic igitur Bælius melius quam alii intelligere debet naturam Atheiſmi, quia alios de hac differentes corrigit & docet. Is itaque Bælius affirmat, vix eſſe ita Atheum quemquam, ut neget, aut ignoret *an ſit DEUS:* id potius ignorari, *quid ſit DEUS.* Jam impoſſibile eſt ſcire, *DEUM eſſe,* quin *aliquid* ſaltem de eo ſciatur, etſi pleraque lateant; hinc etiam aliquid ſaltem de DEO debet eſſe cognitum iis, qui de eo argumentari volent, quemadmodum Atheus cum Wolffio facit. Non enim voce ſola *materiali* poteſt uti is, qui negat dari DEUM: ſic enim negaret dari hoc *vocabulum DEUS.*

qui dicit Atheo non negari *an ſit* DEUS? ſed *quid ſit*?

2. Rurſus id, quod per hoc vocabulum *DEUS* ſignificatur non eſt *quidlibet*, neque DEUM negans quidlibet negat, ſed aliquid determinatum ſeu notione aliqua à ceteris diverſa prædictum. Ut enim qui DEUM admittit, non utique admittit Jovem Græcorum, aut Frayam Germanorum, aut vitulum Ægyptiorum; Ita qui negaret DEUM, hoc negando non utique negaret præciſe Jovem, Frayam, vitulum Ægyptiorum: alias nos omnes Europæi eſſemus DEI negatores & Athei.

Quid per DEUM intelligatur?

3. Quam obrem cum Atheus Deum negat, negat dari id, quod in communi omnium doctorum ac rudium acceptione per hoc vocabulum intelligitur, etiamſi cetera pleraque lateant. Intelligitur autem per vocabulum, *DEUS,* ab omnibus *ens aliquod determinans omnium rerum eſſentias.* Quamvis de eo quid præterea ſit, ſeu quas habeat proprietates æque docti ac rudes ignorent plurima, & in altiores diſcuſſiones ingrediendo, ipſa rei univerſalitate, immenſitate, ſublimitate velut viſum perdant, & aliquando vertigine corripiantur, ita ut alii caſum, alii fatum, fortunam alii, rurſusque noctem, aut harmoniam præſtabilitam, aut ſyſtema cauſarum occaſionalium excogitaverint ad liberandum ſe ab anguſtiis, quas in concipiendo hoc infinito patiebantur.

Diſputatio Athei cum Wolffio.

His ergo ſuppoſitis faciamus ab Atheo ſuum argumentum proponi in legitima forma; quia agendum eſt cum Illuſtri philoſopho, qui ſe agnoſcit etiam doctos docuiſſe novam ac certiorem infallibilium demonſtrationum artem ac methodum ſcientificam: quod illi ſine omni invidia concedimus, eo lubentius, quod ejus ars ac principia in iis, in quibus ſunt vera ac bona, non differant à pr-

priſtinis. Sic ergo progrediatur hæc diſputatio:

A. Non datur ens determinans rerum eſſentias.

5. *Atheus:* DEUS eſt ens determinans rerum omnium eſſentiam. Enimvero ens determinans omnium rerum eſſentiam non datur: Ergo non datur DEUS.

W. Conced.

6. C. *Wolffius* Concedo tibi totum, hac tamen conditione ſòla, ut mihi ex hac conceſſione aliquid demonſtres contra legem naturæ à me ſtabilitam.

A. Non datur ratio cur lex Naturæ detur potius quam non.

7. *Atheus.* Ex principio tuo præclaro, clariſſime Wolffi, omne illud non poteſt concedi, cujus non datur *ratio ſufficiens*, cur potius ſit quam non ſit. Enimvero ex modo conceſſis, Wolffi clariſſime, non datur ratio ſufficiens, cur lex naturæ potius detur, quam non detur. Igitur ex conceſſis non poteſt concedi lex naturæ.

W. Neg.

8. C. *Wolffius.* Nego minorem.

A. Legis N. non datur cauſa

9. *Atheus.* Cujus non datur neque cauſa neque effectus, illius non datur ratio ſufficiens &c. Enimvero legis naturæ non datur cauſa neque effectus. Itaque legis naturæ non datur ratio ſufficiens.

10. C. *Wolffus.* Nego minorem.

11. *Atheus.* Probatur 1mo de *cauſa.* Cauſa determinationis rerum eſt ens aliquod determinans eſſentias, ſeu determinatione hac eſſentias limitans &c. Enimvero ex conceſſis non datur ens determinans rerum eſſentias. Ergo *ex conceſſis* non datur *cauſa* quæſita. Ergo ex concedendis non datur lex naturæ.

ex conceſſis

neque effectus

12. Probatur 2do de *Effectu.* Effectus determinationis rerum eſſet lex naturæ, vel obligatio naturalis. Sed lex naturæ non datur, aut hic ſaltem eſt in quæſtione, & per Dominum Wolffium erit probanda aliis mediis, ne idem probetur per idem. Igitur non datur effectus legis naturæ. Igitur neque cauſa neque effectu, hoc eſt nulla ratione ſufficiente, exiſtente, non poteſt per D. Wolffium concedi jus naturæ, conceſſo ſemel non dari DEUM.

ergo nulla ratio ſufficiens.

Argumentum Athei breve.

13. Idem argumentum poſſet Atheus ſic brevius intendere: Lex naturæ eſt ipſa eſſentia rerum ut determinata, ſeu cum determinationibus ſuis. Atqui conceſſo, quod non detur ens determinans eſſentias rerum, non datur ratio ſufficiens determinatatum eſſentiarum; & ratione ſufficiente non data non poteſt concedi determinatio eſſentiatum. Ergo Conceſſo quod non detur DEUS non poteſt concedi quod detur lex naturæ.

Atheo neganti, dari veritatem,

Them. XIV. D. Wolffius retorquet Atheo argumentum ſic: *Non datur DEUS: ergo nulla datur veritas?* in nota ejusdem §. 245. Sed ne hanc quidem conſequentiam poteſt ipſe negare, in ſuis principiis.

debet Wolffius concedere.

1. Quod Atheus ſic oſtenderet. Veritas; ſi daretur, rationem ſufficientem haberet in aliqua cauſa determinatrice, cur potius ſit veritas quam non ſit. Sed cauſa determinatrix (nempe Deus) ex conceſſis Wolffii non datur: Ergo ex Wolffii conceſſis & concedendis non datur veritas.

2. Non reſpondebit, opinor, D. Wolffius, Veritas rationem ſufficientem cur potius ſit quam non ſit, habet in ſemet ipſa. Nam hoc de nulla veritate poteſt eſſe verum, niſi de veritate prima, & incommunicata, id eſt de DEO. Atque hoc modo Wolffii retorſio haberet hunc ſenſum: *Non datur DEUS: ergo non datur DEUS.*

Conceſſo, *non dari DEUM*, nullum abſurdum poteſt negari.

Them. XV. D. Wolffius neque Atheo neque cuiquam alteri poteſt negare ullam conſequentiam abſurdam & improbam, conceſſo, non dari DEUM.

1. Non datur DEUS, dicat e. g. aliquis: Ergo non datur juſtitia, non præmium boni, non pœna mali, non anima, non liberum arbitrium. Quia hæc omnia aut habent rationem ſufficientem, cur potius ſint quam non ſint, in ſe ipſis, aut in aliqua cauſa omnium determinatrice? Si in ſe ipſis habent, ſive ſibi ipſis ſunt ratio ſufficiens eſſendi & exiſtendi, ſunt ipſa entia divina; quod eſt contra Wolffii conceſſa, non dari DEUM. Si autem iſta rationem ſufficientem habent in alio ea determinante, & Wolffius negat hoc determinans dari, hoc ipſo negat rationem eorum ſufficientem: negata ratione ſufficiente juſtitiæ, animæ, liberi arbitrii ac ceterarum, non poteſt negare conſequentias prædictas: non dari juſtitiam &c.

Deducitur ad contradictoria.

2. Reſpondebit aliquis pro D. Wolffio: Juſtitia, liberum arbitrium, anima, pœnæ &c. rationem ſufficientem non habent in ſe, ſed in alio, non tamen in DEO, ſed in eſſentia humana ac rerum, independenter à DEO. Sed hoc modo reſponderetur id quod eſt in quæſtione; & reditur in circulum, tali fere ratiocinio: Datur Juſtitia etiam independenter à DEO, quia datur juſtitia independenter à DEO.

Effugium redit in circulum.

3. Deinde ſi urgetur: an ratio ſufficiens juſtitiæ ſit in ipſa eſſentia humana tanquam ſui ipſius determinativa & imparticipatè, redeunt difficultates ſupra expoſitæ hoc Capite XVI. Them. III. num. 4. & eſſentia humana ſit aut

divina,

divina, aut contradictionem involvens, qua ſit determinativa ſui & non determinativa ſui.

4. Si reſponderet, rationem ſufficientem juſtitiæ eſſe in eſſentia humana non nude ſpectata, ſed unà cum determinationibus eſſentiarum reliquarum; ſeu rationem ſufficientem juſtitiæ eſſe in eſſentia humana prout illa ſubſtat curſui & ordinationi hujus mundi: etiam ſic nihil boni ſequitur pro D. Wolffio: ſequitur enim negatio DEI non modo tanquam per ſuppoſitionem impoſſibilem, ſed tanquam realis & actu neceſſaria. Nam in hac reſponſione ratio ſufficiens juſtitiæ ac omnium ceterorum contineretur in ordine rerum independenter à DEO, hoc eſt ita ut ordo rerum rationem ſui ſufficientem non haberet in DEO ſed in ſemet: & *conſequenter* in ordine rerum non eſſet ſufficiens ratio cur DEUS potius ſit quam non ſit. Enimvero omne illud debet negari, cujus ratio ſufficiens non datur. Ergo vi prædictæ reſponſionis *debet negari exiſtentia DEI.*

Wolffius debet negare DEUM.

5. Majoris propoſitionis ſequela probari à nobis debet, nempe hoc ipſo quod ratio ſufficiens juſtitiæ contineatur in ordine rerum *independente à DEO*, ſequi, quod etiam ratio ſufficiens DEI non contineatur in ordine rerum. Nam ſi ordo rerum eſt independens à DEO, ſequitur, ordinem rerum cum DEO non connecti. Enimvero ea connectuntur, quorum unum cootinet in ſe rationem alterius; & ea non connectuntur, quorum unum non continet in ſe rationem alterius. DEUS vero cum ordine rerum non connectitur: Igitur in ordine rerum non continetur ratio DEI, ſi ordo rerum eſt independens à DEO. V. §. 259.

6. Auctor libri *Eſſai ſur l'Ame des Bêtes* in Tractatu prævio de Certitudine morali Cap. VIII. Themate XIX. proponit hanc Quæſtionem: *An Atheus ſit certus, exiſtere corpora?* Et reſpondet: Exceptis Veritatibus mathematicis ſeu idealibus, & irrealibus, Atheum *nullius rei* poſſe habere certitudinem, quin Atheiſmum ejuret. Videatur ipſe, ſi lubet.

Wolffius præ anguſtiis mutat ſententiam

Them. XVI. D. Wolffius acutus philoſophus, probe in ſe advertit vim eorum, quæ ſuis principiis adverſantur: itaque anguſtias animi ſolaturus in dicto capitali paragrapho 245. ſubjungit eſſentiam hominis à nobis tantum *non cognoſci* dependenter à DEO. Ex quo fortaſſe reſponſionem ſibi facit ad ſupra allata argumenta, quaſi diceret: Ego non hoc pono pro principio, legem naturæ *exiſtere* ſine dependentia à DEO: ſed tantum ajo, eandem legem naturæ in noſtra cognitione verſari, etſi DEUS etiam ab eadem cognitione abſit vel excludatur. Hæc vero nihil juvant D. Wolffium.

& independentiam à DEO jam conſtituit non in *eſſendo* ſed in *cognoſcendo.*

1. Verba D. Wolffii §. 245. ſunt hæc: *Lex naturæ PONITUR POSITA hominis rerumque* natura atque eſſentia *(§. 136.) & ejus obligatio rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura habet (§. 143.) Quamobrem etſi Atheus neget dari DEUM, non tamen ideo negare poteſt, hanc eſſe hominis eſſentiam, quam INDEPENDENTER à COGNITIONE DEI cognoſcimus. Admittere igitur tenetur legem naturæ, ſtante hypotheſi impia, conſequenter lex naturæ SUBSISTIT etiam in hypotheſi impoſſibili Athei.*

Male facta argumentatio

2. In præmiſſis hujus argumentationis loquitur D. Wolffius ſemper de *exiſtentia* legis naturæ, non de *cognitione*: In priore conſequente loquitur de cognitione non de exiſtentia: Et rurſus in poſteriore conſequente loquitur de exiſtentia, non de cognitione: Ipſa vero theſis hujus paragraphi ſonabat tantum de *exiſtentia*, his verbis: *Lex naturæ SUBSISTIT etiam in hypotheſi Athei. Hoc eſt, ex eo, quod Atheus ponit non DARI DEUM, minime ſequitur, non DARI legem naturæ.* Argumentum ergo ejus in forma videtur eſſe tale: Lex naturæ *exiſtit* in eſſentia ipſa hominis ac rerum. Atqui eſſentiam hominum *cognoſcimus* independenter à DEO. Ergo lex naturæ *exiſtit* independenter à DEO.

& Sophiſtica.

3. Si hoc eſt argumentum D. Wolffii, cootinet fallaciam adjacentis, cum ab eſſe *cognito*, quod rebus adjacet & accidit, argumentetur ad eſſe *reale*: ſic: cognoſco hominem ſine DEO: ergo homo *eſt* ſine DEO. Et poteſt argumentum Wolffio inverti ſic: Poſſumus cognoſcere hominem cum DEO: ergo homo eſt cum DEO, ſeu habet connexionem cum eo. Vel ſic: poſſumus cognoſcere legem naturalem cum DEO & ex DEO: ergo lex naturalis eſt dependens à DEO. Hæc eſſet ratio argumentandi, novo cuidam auctori heterodoxo uſitata: *Cogito me eſſe juſtum: ergo ſum juſtus.* Vide finem *INVITATIONIS*, quam *Juri Naturæ* præfixi.

Invertitur argumentum contra Wolffium.

4. Aut vero D. Wolffii argumentum ſic format. In mente Athei poteſt eſſe repræſentatio eſſentiæ huma-

Nihil evincit Wolffius contra Atheum,

næ ac rerum ſine repræſentatione DEI tanquam entis eſſentias rerum determinantis: Atqui repræſentatio eſſentiæ humanæ absque repræſentatione entis limitantis eſt repræſentatio legis naturalis: Ergo in mente Athei poteſt dari repræſentatio legis naturalis ſine repræſentatione entis limitantis. Si ſic ſonat argumentum Wolffii, Atheus negabit minorem & dicet, repræſentationem eſſentiæ humanæ ſine limitationis repræſentatione eſſe potius repræſentationem *libertatis* quam *legis*. Et ulterius inferet: Mihi vivendum eſt ſecundum repræſentationes à Wolffio etiam bonas ſeu moraliter poſſibiles agnitas: igitur mihi vivendum eſt *libere* non ſub lege aut limitatione, quæ nulla mihi repræſentata fuit, niſi phyſica forſan.

qui ſe per eſſentiam *liberum* dicet,

non obligatione vinctum.

5. Si volet inſtare Atheo Wolffius: Eſſentia humana ac rerum utique in ſe ipſa eſt limitata, determinata & conſtricta, quod docet experientia; cogitur D. Wolffius negaنti hoc Atheo probare, quod aliquid ſit *determinatum* ac *paſſive* ſe habens ſine *determinante active* ſe habente: aut quod poſſit aliquid concipi tanquam determinatum quin concipiatur determinans etiam confuſe ſaltem. Si nullum *determinans* poteſt probare Wolffius, Atheus negabit ipſi *determinationes*, atque adeo negabit *leges*, & principiis Wolffii ad hoc negandum utetur, ut *libertatem* ſolam pro lege ſua agnoſcat, donec ei demonſtretur quidpiam, quod eum moraliter conſtringat.

Nullum paſſive determinatum detur ſine active determinante.

6. Nihil proficit D. Wolffius ſi forte dicat: Limitationes eſſentiæ humanæ ac rerum evidenter apparere ex hoc, quod homo cum omni libertate arbitrii non poſſit aliam eſſentiam ſibi facere, neque rebus ceteris. Quid enim ex hoc infert Wolffius? Inſértne hoc: Eſſentiam humanam eſſe limitatam in ſe ipſa, *ſine alio limitante?* Si hoc infert, Atheus utraque manu illud amplectetur, ac dicet: Ego ex Wolffii principiis ſum limitativus ac determinativus mei ipſius: Determinatio mei ipſius à me ipſo eſt mihi lex: Ergo determinabo me quocumque voluero, & legem meammet implebo.

An eſſentia ſit limitativa ſui ipſius?

7. Si rurſus hortetur Atheum Wolffius: Non te debes ipſe determinare quo voles, ſed jam es determinatus à tua eſſentia. Atheus dicet, Wolffium præ nimiis litteris inſanire. Quæret enim Atheus: Eſſentia mea eſtne aliquid aliud quam ego? Si eſſentia mea ego ſum, aut oſtendatur mihi is, qui me ligat & lege circumſcribit: aut ego liberum me putabo.

8. Deinde perget Atheus: Limitationes illæ, quas mihi, clariſſime Wolffi, dixiſti, ſunt phyſicæ tantum. Id eſt: mihi eſt phyſice impoſſibile, ut aliam mihi eſſentiam dem, ſicut idem eſt impoſſibile lapidi. Quemadmodum igitur lapis non eſt *moraliter* lege naturali obligatus ad caſum erga centrum tanquam perfectionem ſuam; ita nec ego ero moraliter obligatus ad uſum facultatum mearum tanquam perfectionem meam; ſed tantum phyſice, ac cæco quodam modo.

Determinationes Wolffianæ tantum phyſicæ.

9. Si D. Wolffius limitationem illam refundet non in eſſentiam ipſam ſolam humanam, ſed ulterius in eſſentiam ceterarum mundi rerum, ad actiones humanas concurrentium; per ſe patet, Ipſum rationem ſufficientem determinationis, obligationis, ac legis jam non in ipſa eſſentia humana reperire poſſe, ſed aliunde eam repetere debere. Jam vero ſi rationem ſufficientem limitationis & conſequenter obligationis non invenit niſi in iis, quæ extra hominem ſunt, debebit illam reperire cum Aſtrologis in aſtris, aut cum Epicuro in caſu; aut cum Stoicis in fato; aut cum Leucippo, Empedocle ac eodem Epicuro in declinatione atomorum; aut cum Pythagora in numeris; aut cum Heſiudo in nocte &c. Quidquid autem horum pro limitativo rerum aſſignaverit Wolfius, duas maximi in Jure naturæ momenti quæſtiones reſolvere debebit Atheo: *primam*: quæ ſint illa tam potentia aſtra, qui caſus, quod fatum? namque *nominibus* iſtis utique non ſuccumbere volet Atheus, aut ullus homo. *Alteram* quæſtionem, quæ ſit aſtrorum, aut caſus, aut fati actio & obligatio *MORALIS* juſtum faciens, in eſſentiam aut voluntatem humanam? Niſi enim *moralis* obſtrictio oſtendatur Atheo, phyſicâ quidem concedet ſe teneri, ſed invitum: dicetque non aſſignari ſibi hactenus cauſam, cur *libenter* obediat. Hoc enim, cum obedio, quia mihi impoſſibile eſt aliter facere, nemo habebit pro obedientia morali, ſed pro neceſſitate phyſica, ſicut caſus lapidis verſus centrum nihil eſt morale lapidi, ſed phyſicum.

Si Wolffius rationem determinationum quærit extra hominem,

debet recurrere ad fatum,

aut caſum,

aut atomos &c.

ex quo quæſtio redibit

1. quid ſit fatum? &c.

2do unde ex hoc obligatio *moralis*?

Them. XVII. Lex naturæ Wolffiana nulla eſt ac nullam parit obligationem moralem ſed mere phyſicam: adeoque non eſt regula juſti.

Lex naturæ Wolffiana non parit obligationem moralem.

1. Apparet hoc ex iis, quæ ſtatim antea diſſeruimus.

2. Probo

Probatur ex Wolffio.

2. Probo idem ex Wolffio in hunc modum. *Obligatio paſſiva legis naturæ eſt NECESSITAS MORALIS agendi vel non agendi.* §. 118.

Neceſſitas moralis eſt ex aliquo ſuppoſito.

Atqui *neceſſitas moralis eſt tantum hypothetica, ſive SUPPOSITO quod actio DEBEAT eſſe recta.* §. 116.

Igitur obligatio paſſiva legis naturæ eſt tantum hypothetica, ſeu ex *ſuppoſito*, actionem *debere* eſſe rectam.

Suppoſita non ſumuntur ex ipſa natura rei, ſed debent probari

3. Suppoſita autem poſſunt negari, & is, qui ea ſupponit debet probare; cum non ſumantur ex ipſa rei natura, ſed aliunde ſumantur, & naturæ ſupponantur. Igitur *conditio*, quod actio humana *DEBEAT* eſſe recta, non ſumitur ex ipſa natura actionis humanæ, ſed aliunde ſupponitur.

Et poteſt Wolffio negari, actionem *debere* eſſe rectam; quod non poteſt probare.

4. Quodſi igitur, ut quilibet poteſt, D. Wolffio neget aliquis *ſuppoſitum* hoc, actionem *DEBERE* eſſe rectam, quid faciet? Ex ipſa eſſentia humana ac rerum non poteſt illud probare; cum aliunde ſupponat. Et ſi ex eſſentia illud *debitum* rectitudinis probare vellet, probaret neceſſitatem non hypotheticam ſeu moralem, ſed phyſicam ac metaphyſicam. Neceſſitas enim eſſe di in humana eſſentia eſt metaphyſica, & neceſſitas exiſtendi agendique ſic & non aliter in natura humana eſt phyſica. Unde ergo & ubi illud *debitum rectitudinis ſuppoſitum, aut hypotheticum?*

Declaratur amplius exemplo.

5. Sicut ergo non poſſum dicere, in lapide eſſe moralem neceſſitatem cadendi ad centrum, ſive ex ſuppoſito, quod *debeat* cadere ad centrum; quia hæc eſt lapidis natura: Sic in actione humana non poſſum dicere, eſſe neceſſitatem moralem agendi convenienter eſſentiæ & naturæ humanæ ac rerum, ex ſuppoſito quod debeat agere convenienter eſſentiæ ac naturæ; quia hæc eſt natura hominis. Ratio primi de *lapide*, eſt; quia debitum cadendi ad centrum non eſt ſuppoſitum aut hypotheticum vel conditionatum lapidi, ſed naturale ac phyſicum. Ratio ſecundi de *actione humana* eſt plane eadem; quia ut actio conveniat eſſentiæ ac naturæ hominis, non eſt debitum conditionatum ſed naturale ac phyſicum. Eodem modo quo calefactio ignis non eſt debita igni ex ſuppoſito, ſed ex natura.

Wolffius deducitur ad contradictoria.

6. Hoc tantum ſubjungo, iſta D. Wolffii principia iterum eſſe contradictoria, & Athei concluſioni faventia, quam D. Wolffius ei negare non poteſt. Lex naturæ eſt moralis, quia eſt regula morum: & non eſt moralis, quia non nititur conditionata rectitudine, cum rectitudo per legem naturæ intenta ſufficientem rationem habeat in ipſa eſſentia phyſica §. 135. & 259.

Iterum.

7. Rurſus vero ſtatim aliud ſequitur contradictorium, aut, ſi non contradictorium, certe tautologicum, idem per idem probans. Nam. §. 135. ait: *Leges ſunt regulæ, juxta quas actiones noſtras determinare obligamur. Quamobrem, cum regula ſit propoſitio enuntians determinationem rationi conformem (ſ. 475. Ontolog) Leges ſunt propoſitiones, quæ enuntiant, quomodo actiones liberæ RATIONI CUIDAM conformiter determinari debeant. Leges itaque ſuas habere debent rationes.*

Atqui lex naturæ & eſſentia ac natura humana & rerum eſt idem. Adeoque eſſentia humana eſt propoſitio enuntians determinationem *rationi cuidam* conformem. Igitur eſſentia humana debet habere *rationem quandam* cui conformet determinationem. Igitur lex naturæ ſeu eſſentia humana nititur conditione aliqua ſuppoſita, quod alicui rationi debeat conformari actus. Quæ conditio & ratio, niſi Atheo probatur eſſe DEUS, negabit debitum & obligationem legis naturæ.

Ipſa eſſentia non eſt illa ſuppoſita ratio.

8. Nihil autem valet, ſi dicas: *ratio* illa ineſt in eſſentia humana intranſitive, ita ut ipſa eſſentia ſit illa ratio: Nam hoc enim eſt reditus in circulum. Eſſentia humana ac rerum debet habere rationem cui conformentur determinationes; ratio illa eſt ipſa eſſentia humana ac rerum: Ergo eſſentia humana ac rerum debet habere eſſentiam humanam ac rerum.

Vacillatio Wolffii.

D. Wolffius vacillans jam operoſe contendit, eſſentiam humanam eſſe ipſam rationem cur actio debeat eidem eſſentiæ conformari; jam iterum ponit; eſſentiam humanam debere habere aliquam rationem cui conformiter fiant determinationes: vel cui conformiter regulet regula.

Tautologia Wolffii.

Them. XVIII. Tautologia eſt etiam in hoc D. Wolffii enuntiato: *Homo ratione valens ac utens ſibimet ipſi lex eſt.* §. 268.

Homo eſt ſibimet lex; non eſt aliud, quam homo eſt ſibi homo.

1. Nam homo ratione valens & utens eſt ipſa eſſentia & natura humana ac rerum ad actionem liberam concurrentium. Lex naturæ eſt iterum eadem ipſa eſſentia ac natura humana ac rerum. Igitur citatus §. habet hanc expoſitionem: Ipſa *Eſſentia & natura humana ac rerum, eſt ipſi eſſentiæ humanæ ac rerum, ipſa eſſentia humana ac rerum.* Nempe ipſe homo eſt ipſi homini ipſa lex ſeu homo.

Anſam præbet Atheiſmo.

2. Quodſi ſuper hæc omnia accedant ſollicitæ juſſiones D. Wolffii, vetantis omnino, ne ratio illa debiti referatur ad ullum ens ſuperius homine, aut ad DEUM, utpote legi naturæ plane extraneum; nemo non videt quanta poſſit naſci ad libertinismum & ipſum Atheismum proclivitas. Qualis nata eſt apud Stoicos ſemet ſibi pro lege ponentes; & apud Epicuræos omnia mundana ferri abſque DEI voluntate dicentes.

Liberum arbitrium impeditur Wolffii doctrinâ.

Them. XIX. Ex D. Wolffii principiis liberum arbitrium non habet ſufficientem rationem ad hoc potius quam aliud eligendum, & ſemper debet manere ſuſpenſum ac perplexum.

Voluntas pendet ab intellectu;

1. D. Wolffius §. 88. docet, determinationem voluntatis pendere ab intellectu diſtincte repræſentante bonum: & ſic rationem ſufficientem voluntatis potius quam noluntatis eſſe in intellectu.

2. Suppono hic Wolffium loqui de bono *morali,* non mere phyſico. Aliàs enim traderet regulam pro ſimpliciter tantum volendo non pro volendo moraliter, uti illud in philoſophia morali conſiderandum eſt à Philoſopho.

Sed intellectus non poteſt repræſentare bonum morale:

3. Jam vero in principiis D. Wolffii intellectus non poteſt diſtincte repræſentare bonum morale. Ergo in principiis D. Wolffii non datur ſufficiens ratio determinandi voluntatem potius, quam noluntatem.

ex Wolffii doctrina

4. Minorem probo ex ipſo Wolffio ſic: *Bonum morale eſt, quod legi conforme eſt* §. 244. Legi conforme eſt, quod ex obligatione legis deſcendit. Ex obligatione legis deſcendit, quod eſt moraliter neceſſarium §. 118. Moraliter neceſſarium eſt, quod neceſſarium eſt ſuppoſita conditione quòd actio debeat eſſe bona. §. 116. In principiis Wolffii non poteſt intellectui apparere ſuppoſitæ conditionis purificatio, ut ſupra. Themate XVII. oſtendimus. Quod intellectui non apparet, illud non poteſt repræſentare voluntati. Igitur bonum morale non poteſt in principiis Wolffii ab intellectu repræſentari voluntati. Igitur in his principiis non eſt ſufficiens ratio magis voluntatis quam noluntatis.

ſed tantum phyſicum.

5. Nempe neceſſitas agendi hoc potius quam aliud, in doctrina Wolffii hæc ſola eſt; quia natura humana, & rerum ceterarum ita comparata eſt, ut ſic poſſim agere & non aliter. At hæc neceſſitas non fundatur in *conditione* aliqua debiti naturæ *ſuperaddita*, ſed in ipſa tantum phyſica ac metaphyſica agentium indole: ſicut neceſſitas cadendi ad centrum non fundatur in conditione aliqua indoli lapidis appoſita, ſed intranſitive in ipſa lapidis natura. Quemadmodum ergo neceſſitas hæc in lapide eſt tantum phyſica & non moralis, ita & in voluntate ac intellectu humano tantum phyſica eſt neceſſitas illa, quæ me ſtringit, ut agam non aliter quam agere homo poteſt; id eſt, ut agam ſicut humanæ eſſentiæ ac naturæ convenit agere.

6. Si D. Wolffius vellet his ſuperaddere *rationes finales in DEI INTENTIONEM referendas* ex §. ſuo 46. recte omnia haberent: Sed tunc corruit ipſius aliàs inſuſtentabile ædificium Puffendorffiano æmulum, nempe legem naturæ haberi independenter à *voluntate DEI.* Vid. ſuprà Them. XII.

Non datur Virtus Moralis Wolffiana.

Them. XX. In Wolffii principiis nulla datur virtus moralis.

Probatur ex Wolffio.

1. Sequitur hoc ex prioribus. Virtus philoſophica ſeu naturalis à Wolffio dicitur *habitus conformandi actiones legi naturali ob intrinſecam earumdem bonitatem ac malitiam* §. 338. Ideoque ratio ſufficiens virtutis eſt in intrinſeca bonitate actionum. Atqui intrinſeca bonitas conſiſtit in ipſa eſſentia atque natura humana ac rerum quod perpetuo inculcat Wolffius. Eſſentia autem ac natura humana ac rerum eſt tantum aliquid phyſicum, niſi conditio alia ſupponatur §. 116. Ergo ratio ſufficiens virtutis eſt tantum in aliquo phyſico. Ergo & ipſa virtus Wolffiana eſt tantum phyſica. Sicut habitus canis cibum mendicantis non eſt virtus moralis, tametſi ſit conformis legi naturæ, i. e. eſſentiæ atque naturæ caninæ ac rerum: id eſt, fami, deſiderio cibi, metui fuſtis inolito &c.

quis tantum eſſet phyſica.

Reflexio ſupra actionem per ſe non facit moralem.

2. Dicet D. Wolffius, eſſe inter hæc diſcrimen; quod canis agat ſine reflexione & ratione, homo autem ex reflexione & ratione. Verba tantum hæc ſunt, rem non mutantia. Nam reflexio ſupra actionem ſuam utrum cani deſit, diſceptatur à philoſophis. Deinde ſi non adſit cani facultas reflexiva in ejusmodi actionibus, ſequitur, eum *conformiter ſua natura* adeoque *moraliter bene* agere, etiam reflexione omiſſa, quæ utique reflexio in ejus natura non eſt.

An Ratio faciat moralem?

3. Quod de *ratione* dictum eſt, ad idem recidit. Nam ſi per rationem intelligitur facultas ratiocinandi, hæc qui-

quidem adeſt in homine, in cane non adeſt: ſed in homine ejus præſentia ſola eſt tantum phyſica, & in cane ejus abſentia eſt tantum Phyſica. Igitur ſi canis agat ſine tali ratione, & homo agit ex tali ratione, uterque agit tantum Phyſice: homo ex Principio Phyſico ſibi innato; canis ſine Principio Phyſico, ſibl non innato. Quocirca ſicut canis non agit moraliter male, quod careat ratione; ita homo non agit moraliter bene, quod gaudeat ratione.

alius ſenſus 4. Si vero per rationem intelligitur cauſa, Principium ſeu ratio ſufficiens, imponens neceſſitatem ſic agendi non qualemcumque ſed ex *conditione* ac ſuppoſitione naturæ phyſicæ ſuperaddita, id eſt neceſſitatem moralem; dico, hominem non magis moraliter agere in Principiis Wolffii, quam canem. Quia eſſentia hominis ac rerum ſine dependentia ab alio non habet illam *ſuppoſitionem ſuperadditam* in ſe: conſequenter non habet in ſe rationem ſufficientem moralitatis.

alius. 5. Si per rationem intelligitur cauſa vel Principium imponens neceſſitatem ſic agendi indiſtinctam ab ipſo agente, & non aliunde ſuppoſitam; dico canem in his Principiis æque moraliter agere ac hominem. Canis enim agit ex ratione, ac Principio naturæ ſuæ intrinſece aptæ ad tales actiones, non ſupponendo aliunde quam ex natura ſua debitum ita agendi: Si igitur ita agere ſecundum naturam humanam eſt moraliter agere, & moralem virtutem Philoſophicam habere; etiam in cane ita agere erit agere moraliter, & erit habere virtutem moralem Philoſophicam.

Wolffius expreſſe admittit DEum *Thm. XXI.* Fruſtra mihi oggeritur, me nodum in Scirpo quærere, & calumniam ſtruere Domino Wolffio; cum is utique multis verbis & Paragraphis adſtruere conetur, legem naturæ pendere à voluntate DEI, DEum eſſe illius auctorem, dari obligationes hominis erga DEum, dari liberum arbitrium, dari virtutem moralem: Quid ergo illi objicitur?

ſicut Puffendorffius 1. ℟. Id quod Puffendorffio objectum fuit, cadit etiam in D. Wolffium. Ille Principia poſuit, nullo modo ad DEum relata, mox tamen, quod metueret pro atheo & impio agnoſci, protulit ſubito velut ex machina DEum: non quod illi neceſſarius videretur ad conſtituendum jus, ſed quod ſibi neceſſaria eſſet ejus mentio ad vitandam impietatis infamiam. Unde quidquid Puffendordorffius de officiis erga DEum, de religione, &c. præcipit, videntur ea non niſi ad ſpeciem allata, cum ad Jus naturæ Puffendorffianum hæc minime pertineant. Nam ad Jus Puffendorffianum pertinent tantum ea, quæ in principiis ejus continentur. At in ejus principiis nihil continetur divinum: ergo ex iis etiam nihil tale deducitur.

2. Eadem fere ad D. Wolffium ſpectant. Statuit ille Principia legis naturæ, atque ipſam legem naturæ, vultque ac jubet ſollicite, ne vel cogitetur quaſi illa dependerent aut connexionem haberent cum DEO. Atque ex ſic ſtatutis principiis derivat omnes omnino obligationes humanas naturales. Tum denique tota lege naturæ ex integro conſtituta, ſuperadducit aliunde DEum aliquem legiſlatorem illius legis quæ ab ipſo non pendeat. Ne ii, qui Atheiſmi ipſum accuſaverant, vel favoris Atheiſmo præſtiti, videantur vera dixiſſe. Si tantum ingenii acumen ac tantum verborum adhibuiſſet ad demonſtrandum id, quo athei indigent, nempe ad dependentiam eorum à DEO agnoſcendam; quantum adhibuit ad id quo athei non indigent, nempe ad agnoſcendum ſe homines eſſe; vel ad id etiam quod eis plurimum nocet, nempe ad oſtendendum, ipſos poſſe intrinſece bonos ac virtuoſos eſſe; quin dependentiam admittant, profecto potuiſſet Wolffius hæc agens rem pulcram præſtare, cum contraria omnia faciens periculo videatur exponere impios periculo novo minime indigentes ad interitum. Sed ex Principiis ejus nullus eſt.

Thm. XXII. D. Wolffius non niſi per contradictionem poteſt admittere obligationem paſſivam moralem legis naturæ. Contradictio in admittenda obligatione morali oſtenditur ex Wolff.

1. *Obligatio paſſiva eſt Neceſſitas moralis agendi vel non agendi* §. 118.

Atqui in D. Wolffii Principiis non datur neceſſitas moralis legis naturæ.

Igitur in illius Principiis non datur obligatio &c.

2. Aſſumptum probo. Neceſſitas moralis à D. Wolffio §. 115. ſic explicatur: *Moraliter neceſſarium eſt cujus oppoſitum moraliter eſt impoſſibile.*

Moraliter autem *impoſſibile eſt id, quod ſalva rectitudine actionis fieri nequit.* §. 157. Salva vero rectitudine fieri nequit illa actio, quæ in determinationibus eſſentialibus hominis non habet ſufficientem rationem cur talis potius ſit quam non ſit, & eſſe *debeat* §. 65.

Igitur Moraliter neceſſaria erit actio illa, quæ in determinationibus eſſen-

 tialibus

Digitized by Google

tialibus hominis ſufficientem rationem habet cur talis ſit & eſſe *debeat.*

Tautologia.

3. Antequam ad ulteriorem probationem progrediar, obſervet velim lector uſitatam D. Wolffio tautologiam. *Neceſſarium moraliter* eſt id, quod in eſſentia rationem habet cur *eſſe debeat*: Eſſe autem debere, & neceſſarium eſſe, niſi fallor, idem ſunt. Ad hoc ergo recidit machina Wolffiana ut dicat: *Moraliter neceſſarium eſt quod eſt neceſſarium*; vel *quod habet rationem, cur ſit neceſſarium.*

4. Sed ego, his miſſis, non video, quomodo hinc ſequatur *neceſſitas moralis potius quam phyſica*: & conſequentur, quomodo detur obligatio legis naturæ, quæ certe moralis eſt? Nam quæ ideo neceſſaria ſunt, quia *debent eſſe*, id eſt quia non poſſunt non eſſe convenientia *eſſentialibus* determinationibus humanis, illa non ſunt magis moraliter quam phyſice neceſſaria. Igitur ex hac debita convenientia nondum poteſt moralis neceſſitas inferri.

Conformitas cum eſſentialibus nondum eſt *moraliter* neceſſaria.

5. Probo autem, illa quæ *debent* eſſe conformia determinationibus eſſentialibus, per ſe nondum eſſe *moraliter* neceſſaria. Quippe homo per eſſentialem determinationem non poteſt non agere finite: An igitur finite agere erit *moraliter* neceſſarium? Imo erit neceſſarium *phyſice* ac *metaphyſice*; ſicut phyſice neceſſarium eſt homini debili non portare libras centum. §. 115.

Effugium Wolffii

6. Inquiet D. Wolffius, moralem neceſſitatem non ſumi ex debita convenientia cum una tantum determinatione eſſentiali, ſed cum *omnibus ſimul ſumptis*. §. 65.

præcluditur.

7. Reſpondeo primo, ne ſic quidem eſſe neceſſitatem motalem, ſed nude Phyſicam. Etenim omnes determinationes eſſentiales ſive ſeorſim ſive ſimul ſumptæ ſunt & manent determinationes *eſſentiales*· eſſentialia autem homini ac rebus ſunt phyſice aut metaphyſice immutabilia. Unde recte S. Thomas agnoſcit, appetitum boni ut ſic & ſimpliciter non eſſe moraliter voluntati neceſſarium ſed phyſice; quia eſt phyſice innatus voluntati, ſeu potius eſt ipſa natura voluntatis. Dicitur ergo ille appetitus *naturalis*, & ſimpliciter neceſſarius, non moraliter. Conſenſerat hiſce D. Wolffius ſtatim in 12mo §. ſuæ Philoſophiæ practicæ, dicens: *Actiones tam animæ quam corporis dicuntur NATURALES VEL NECESSARIÆ, quæ per eſſentiam & naturam animæ & corporis determinantur. LIBERÆ autem appellantur, quæ per eſſentiam & naturam animæ ac corporis non determinantur, ſed à libertate animæ pendent.* Et recte adjecit in nota, *hoc diſcrimen actionum neceſſariarum ſeu naturalium atque actionum liberarum probe eſſe attendendum, tanquam FUNDAMENTUM MORALITATIS, ET UNDE PENDEAT TOTUM JUS NATURÆ.* Nihilominus cum ad moralitatem & ad obligationem deinde explicandam accedit, relicto hoc fundamento moralem neceſſitatem ſeu obligationem ponit in determinationibus eſſentialibus, ſeu in neceſſitate, quæ *per eſſentiam & naturam animæ & corporis*, hoc eſt hominis, *determinatur*, ſeu tantum ſunt naturales & non liberæ; id eſt *tantum phyſica* & *non morales.*

ex ipſo Wolffio, qui ſua principia reliquit.

8. Reſpondeo ſecundo. Talis convenientia actionis cum determinationibus hominis eſſentialibus non habet ex ipſius Wolffii doctrina rationem ſufficientem debiti moralis ſed tantum naturalis & phyſici. *Nam moraliter neceſſarium non niſi hypothetice neceſſarium eſt, ſeu SUPPOSITO, QUOD ACTIO DEBEAT ESSE RECTA*; id eſt ſuppoſita neceſſitate rectitudinis, ait D. Wolffius §. 116. Suppoſita autem non inſunt naturæ, nec ſunt inter determinationes eſſentiales, ſed aliunde repetuntut. Igitur determinationes eſſentiales actionum non ſecum ferunt nec faciunt *neceſſitatem moralem*, ſed phyſicam tantum: moralis autem fit per conditionem *debiti aliunde ſuppoſiti.*

Reducitur ad contradictoria.

9. Ex his jam viſibile redditur, neceſſitatem moralem ſeu obligationem Juris Naturæ Wolffiani eſſe moralem & non eſſe moralem. *Eſt moralis*, ut vult & jubet, Wolffius §. 118. Non eſt mnralis quia conſiſtit in determinationibus eſſentialibus, ſeu *quia per ipſam eſſentiam & naturam animæ & corporis determinantur* actiones ex tali neceſſitate faciendæ, & conſequenter ſunt *meræ naturales contradiſtinctæ actionibus liberis ſeu moralibus* ex §. 12. Et quia demum, ut neceſſitas iſta Wolffiana moralis vere fiat moralis & hypothetica, *DEBITÆ* rectitudinis rationem aliunde repetere debet, non in ſe ipſa continet. quod ni fiat, manebit ſemper neceſſitas *tantummodo* Phyſica, utpote non niſi per ipſam eſſentiam & naturam hominis determinata. Itaque erit moralis & non erit moralis.

Neceſſitas Wolffiana eſt & non eſt moralis.

10. Rurſus dico: D. Wolffius. Si quis ei neget *ſuppoſitum*, quod actiones humanæ *debeant eſſe rectæ*, nequaquam poteſt illud in ſuis principiis probare. Si dicet Wolffius, Naturam, hominis eſſentialiter *exigere*, ut actiones

Probat idem per idem

nes ſint rectæ: igitur *debere* eſſe rectas: probat idem per idem: *debent* eſſe rectæ, quia *exigitur* ut ſint; debere autem & exigi idem ni fallor ſunt. In quæſtione autem jam eſt, an *debeant:* igitur etiam eſt in quæſtione, an *exigatur?*

& redit in circulum.

11. Si dicet Wolffius, obligationem ſeu debitum rectitudinis poni poſita ipſa hominis ac rerum eſſentia & natura: id quod ſæpe dicit: in eundem iterum circulum abit: Redit enim quæſtio, an obligatio illa ſit ipſa natura hominum? an aliquid á natura hominis, ac rerum diſtinctum? Si illa obligatio ſeu illud debitum eſt aliquid diſtinctum ab eſſentia & natura hominis ac rerum, falſæ ſunt Wolffii propoſitiones, dicentes obligationem poni poſita ipſa illa eſſentia: nam poſita ſolum eſſentia certe non ponitur aliquid ab eſſentia diſtinctum.

aliter.

12. Si illa obligatio eſt indiſtincta & eſt adeo ipſa eſſentia hominis, argumentum denuo in circulum regyratur, hoc modo. Homo debet, ſeu habet obligationem ſeu neceſſitatem moralem ad actiones rectitudinem habentes eliciendas: At neceſſitas moralis ſeu obligatio eſt hypothetica ſeu obligat ſuppoſito, quod actio debeat eſſe recta, ſeu ſuppoſito, quod homo habeat obligationem ad *rectas* actiones ponendas: Igitur homo habet obligationem ad actiones rectas ponendas, ſuppoſito quod habeat obligationem ad actiones rectas ponendas. Suppoſitum autem, nempe quod habeat talem obligationem, probare D. Wolffius non aliter poteſt, quam ſic: obligatio eſt ipſa eſſentia hominis: homo habet eſſentiam: ergo homo habet obligationem. Hæc autem argumentatio ſuppoſitum illud minime probat, ſed ad ſuppoſitum, nempe ad *obligationem* rectitudinis probandam, affert ipſam obligationem minime hypotheticam ſed abſolutam & phyſicam, nempe eſſentiam humanam. Id quod eſt probare obligationem per eandem ipſam obligationem, idem per idem.

Sterilis tautologia.

13. Quin ſi verba Wolffiana in proprio ipſius ſenſu exponantur longe deterior efficitur tautologia. In ipſius enim ſenſu: *Homo agens, Eſſentia & natura humana ac rerum: Neceſſitas moralis ſeu conditionata, ipſa illa conditio ſeu obligatio ad rectitudinem, Lex naturæ, rectitudo ac bonitas ipſa actionum;* hæc omnia ſunt una eademque res. Ex quo tale conſurgit demonſtrationis verbalis ſeu logodædaliæ artificium. *Eſſentia & natura humana ac rerum* (homo agens) *habet Eſſentiam humanam ac rerum* (ſeu obligationem) *ſuppoſita obligatione* (ſeu ſuppoſita eſſentia humana ac rerum) *ad actiones rectas ſeu bonas* (id eſt ad actiones convenientes eſſentiæ humanæ ac rerum:) Quæ, ut cetera Wolffii multa, adeo ſunt ſterilia & egelida, ut in nullius Scriptoris naturæ jure quidpiam ita frigidum me legere meminerim: excepto forte Pagenſtechero.

Verboſus inanis apparatus

14. Ejusdem corii ſunt, etiam hæc ſequentia: §. 134. ait: *RATIO legum moralis eſt, quæ deſumitur à rectitudine actionis* §. 135. *LEX NATURALIS eſt, quæ RATIONEM ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia ac natura habet.* §. 136. *Poſita hominis rerumque natura atque eſſentia ponitur lex naturæ, conſequenter ipſa eſſentia & natura hominis rerumque lex naturæ conſtituta.* Nam deberet Philoſophus indicare, an hæc ultima propoſitio intelligenda ſit tranſitive, an intranſitive? nempe an eſſentia humana ſit medium vel cauſa ad conſtituendam extra ſe legem? an vero ipſa humana eſſentia ſit ipſa lex conſtituens & conſtituta? Wolffius videtur ſemper intranſitive intelligi velle.

Jam vero addantur mox citatis §§. alii etiam, & apparebit inanis verbiſeminii conatus. §. 143. ait: *Obligatio legis naturalis rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura habet.* §. 146. *Obligatio naturalis & LEX NATURÆ DEPENDENT ab ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura.* §. 129. *Poſita hominis rerum eſſentia atque natura ponitur etiam naturalis obligatio.*

reducitur ad contradictoria

15. Hæc pauca citata qui inter ſe contulerit Dædalo aut Oedipo opus habebit. Lex naturæ *EST* ipſa eſſentia hominis ac rerum. Obligatio naturalis *EST* ipſa eſſentia hominis ac rerum. Obligatio naturalis *DEPENDET* ab eſſentia hominis ac rerum. Obligatio ſive eſſentia hominis ac rerum *DEPENDET* ab eſſentia hominis ac rerum. Lex naturæ ſive eſſentia hominis ac rerum ſufficientem *RATIONEM HABET in ipſa* eſſentia hominis ac rerum. Item quæ aliis præterea locis dicit; Lex naturæ *PRÆCIPIT, VULT. PRÆCIPIT:* id eſt eſſentia humana præcipit, *VULT*, præſcribit &c. Hæc fateor, tam clara ſunt & tanta luce (ſi Superis placet) ſunt prædita, ut in metaphyſica noſtra, quæ *meris tenebris* hactenus conſtabat, nullibi reperiantur: nec miror adeo, ſi ea capere nec ego poſſim, nec quiſquam alius

præter

præter Ontologos Wolffianos. Æque clara, ac ſi dicerem: Lex Romana *eſt ipſa* respublicaRomana, deinde dicerem: Lex Romana *dependet à* republica Romana, & rurſus: Lex Romana *ſufficientem rationem* habet in republica Romana. Quæ enim rationem in alio habent, *non ſunt* illud aliud, ſed cum eo tantum *connectuntur*, in Principiis Wolffii. Igitur Lex naturæ eſt eſſentia humana & non eſt eſſentia humana. *Eſt* ex effato Wolffii. *Non eſt*, quia lex naturæ tantum rationem habet in eſſentia humana, atque adeo tantum connectitur eidem. Si vero eſſentia ipſa humana ac rerum non eſt ipſa lex naturæ, quid ergo tandem eſt lex naturæ? An ea eſt actus voluntatis eſſentiæ humanæ? an præceptum aut præſcriptum ab eſſentia humana ac rerum editum?

Wolffius agnoſcit ſuam legem naturæ eſſe tantum medium ad legem agnoſcendam. & nullam ponit legem N. oſtenditur ex Wolffio

Them. XXIII. D. Wolffius eam legem naturæ, quam ipſe ſtatuerat, agnoſcit non eſſe legem naturæ, ſed tantum medium ad legem naturæ cognoſcendam ſeu demonſtrandam. Ac per hoc denique nullam ponit legem naturæ.

1. Wolffius §. 137, concludit: *Quoniam lex naturæ rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura agnoſcit: Per rationem autem ſufficientem intelligitur, cur quid ſit potius quam non ſit: Et lex in genere præſcribit modum determinandi actiones liberas: PER EA, quæ ad eſſentiam atque naturam hominis rerumque pertinent, ſeu quæ homini rebusque per eſſentiam atque naturam inſunt, INTELLIGITUR, cur actiones liberæ hoc modo ſint determinandæ, QUEMADMODUM VULT LEX NATURÆ.* Subjungit: *Ecce tibi fontem, UNDE DERIVATUR lex naturæ: ad quem recurrendum, ſi certam ejus cognitionem haurire velis.*

Argumentum Wolffii

2. In his verbis & in hac inverſa argumentatione hoc continetur argumentum directum: Lex in genere eſt aliquod ens, vel actus alicujus entis *præſcribens* modum determinandi actiones liberas: Sed lex naturæ eſt Lex: Ergo Lex naturæ eſt ens vel actus alicujus entis præſcribens modum determinandi actiones liberas. Et hæc eſt prima pars generalis argumenti: Sequitur jam altera aſſumpta:

Lex naturæ cognoſcitur per rationem ſufficientem, quam habet in alio

Quidquid cognoſcitur, cognoſcitur per rationem ſufficientem, quam habet *in alio*: Atqui lex naturæ cognoſcitur: Ergo lex naturæ cognoſcitur per rationem ſufficientem, quam ipſa lex naturæ *in alio* habet. Jam ſequitur pars tertia argumenti, & eſt hæc: Atqui lex naturæ ſufficientem rationem agnoſcit (habet) in ipſa hominis rerumque eſſentia ac natura: Igitur lex naturæ cognoſcitur ex hominis rerumque eſſentia ac natura. Ac per conſequens modus determinandi actiones liberas, quem lex præſcribit, cognoſcitur ex ipſa eſſentia hominis ac rerum.

ſed habet rationem in ipſa eſſentia humana. Ergo cognoſcitur lex ea eſſentia humana.

Atque adeo Wolffius tantum probat medium cognoſcendi legem, non ipſam legem.

3. Qui aliud quid ex Wolffiano illo Paragrapho exculpſerit ſecundum veram Logicam, ab eo doceri perlibenter velim. Aliud autem cum in hoc ejus argumento nihil contineatur, ſequitur in iſto paragranho nihil ſtatui, nihil probari de eſſentia aut exiſtentia aut quidditate legis naturæ, aut de ejus conſtitutivo; ſed tantum de medio, per quod veniatur in cognitionem earum rerum, aut illiusmodi rerum, quæ per legem naturæ præſcriptæ ſunt, ſive earum rerum, quæ ſunt objecta illius entis, quod præſcribit modum determinandi actiones liberas.

& præterit quæſtionem principalem,

4. Nunc autem, ubi de conſtitutivo legis naturæ quæritur, non eſt quæſtio de materia, quæ per legem naturæ præcipitur, aut quæ obverſabatur animo illius, qui legem naturæ tulit; ſed quæritur, quodnam ens, aut cujusnam entis actio *velit* hoc aut illud naturæ humanæ imponere? ſive quæritur quid ſit illud potens præſcribere? non quid ſit ab illo potente præſcriptum?

nempe unde ſit obligatio?

5. Nam in valde multis materiis legis naturæ omnes homines conſentiunt ſine dubitatione; nempe non eſſe furandum; mœchandum; mentiendum &c. Hoc autem quæritur, quæ ſit anima legum iſtarum? quæ *ſit* vis? quæ *ſit* ratio, *cur debeamus* non furari, non mentiri? Hac enim ratione non detecta, nihil in eſſentiam & animam noſtram virium habet effatum illud, non furaberis, non mœchaberis.

qua non probata nil la probatur lex naturæ

In illa autem argumentatione Wolffiana nihil oſtenditur de illa vi moraliter nos ligante, *cur* non furemur aut mentiamur; ſed tantum, unde agnoſcamus *quod* non ſit mentiendum. Id quod ſuperiora conſideranti patet.

Peccata contra Logicam.

6. Præterea multis aliis modis peccat Wolffiana argumentatio contra ſanam Logicam. Primo enim in concluſione infert ea, quæ in præmiſſis non fuerant. Concluſio dicit: per eſſentiam hominis intelligi, *CUR* actiones liberæ determinandæ ſint hoc modo, quemadmodum vult lex naturæ. In præmiſſis autem ne gry quidem continetur de iſta ratione, *cur* actiones ſic *ſint* determinandæ; ſed ad ſummum in præmiſſis continetur hoc, unde ſeu per

In concluſione ſunt, quæ in præmiſſis non fuerant.

quod

Digitized by Google

quod medium intelligi poſſit, quod lex naturæ aliquid præſcribat.

recurrit ad voluntatem eſſentiæ humanæ, qui divinam excluſerat:

7. Deinde in ipſa concluſione D. Wolffius, qui ſemper pugnat ad excludendam *voluntatem* DEI, quem creatorem legis agnoſcit, inepte recurrit ad *VOLUNTATEM eſſentiæ humanæ ac rerum*, dicens: intelligitur per naturam, cur actiones liberæ hoc modo determinandæ ſint, quemadmodum *VULT* lex naturæ, ſeu eſſentia humana ac rerum. Quid hoc eſt: Eſſentia humana & eſſentia rerum materialium *vult*, hoc modo fieri actiones hominis? An ſol & luna & cibus corporis noſtri & lux oculis obverſans & cetera denique *volunt* nos hoc & non alio modo agere? Hoc certe ex Ontologia non ſumitur.

Eſſentia humana habet rationem ſufficientem in eſſentia humana.

8. Concatenata D. Wolffii tautologia etiam in his rurſus exſeritur. Nam in ſenſu Wolffiano hæc duo eadem ſunt, ſeu dicas: *Lex naturæ ſufficientem rationem in ipſa hominis ac rerum eſſentia habet*: ſive dicas: *Eſſentia humana ac rerum rationem ſufficientem habet in eſſentia humana ac rerum, ſeu in ſe ipſa* ſive dicas: *Lex naturæ ſufficientem rationem habet in lege naturæ.* Quia in ſenſu Wolffiano, eſſentia humana ac rerum & Lex naturæ non ſunt diſtincta ſed idem.

Wolffius nullam legem N. ſtatuit

9. Quodſi vero dicet D. Wolffius, legem naturæ eſſe diſtinctam ab eſſentia humana ac rerum, & illam cognoſcis ex hac: Edicat tandem quid *conſtituat* legem naturæ? Quid ſit ipſamet lex naturæ? Quæ ſit illa vis moraliter ſeu hypothetice neceſſitans humanam naturam ad actiones hoc potius modo edendas quam alio? Hanc enim vim niſi indicaverit, & præſertim ſi vim illam extra DEum ſeu extra ens naturæ Dominum poſuerit, non tantum Athei ſed omnes homines dicent, ſe liberos plane eſſe, neque ligatos, niſi ad ſummum phyſice. Et ex hoc ſibi Patrocinium ſument defenſores Atheiſmi, naturaliſmi, Fati, Caſus, Cynici quoque,. Sceptici, & tota malorum Lerna.

Legem N. hic diſtinguit ab eſſentia humana.

10. Revera autem D. Wolffius legem quam alias cum eſſentia humana eandem fecerat, in hoc ſaltem paragrapho ab eadem eſſentia diſtinguit. In nota enim clare edicit, hunc eſſe fontem, ex quo *DERIVETUR lex naturæ.* Quod autem derivatur aliunde, non eſt id ipſum unde derivatur. Sicut in §. 143. dicit legem naturæ *dependere* ab ipſa eſſentia hominis. Quod autem dependet aliunde, non eſt id ipſum unde dependet. Item in hoc ipſo §. 137. primo ſtatim dicit, quod Lex naturæ ſufficientem rationem habeat in eſſentia humana ac rerum. Id vero quod rationem ſufficientem in altera habet, non eſt ipſum alterum, ſed tantum *connectitur* cum illo, §. 10. Coſmolog. quem paragraphum adducit in §. 259. Philoſophiæ practicæ, addens, Leges *naturales cum inter ſe tum cum ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura CONNECTI.*

Puffendorffii & aliorum defectum.

11. Quemadmodum igitur Puffendorffius *Socialitatem* ſuam producens non protulit Principium conſtitutivum legis naturæ, ſed aliquam tantum ejus materiam aut effectum: Ita Wolffius proferens *eſſentiam humanam & rerum materialium* non protulit Principium, legis naturæ, ſed ejus ſubjectum jam quidem regulatum phyſice *ab alio*, ſed inſuper etiam *ab alio* regulandum moraliter & conſtringendum.

commiſit etiam Wolffius, ſubjectum legis pro lege ſtatuens.

12. Sic alii attulerant amorem; alii convenientiam cum natura phyſice ſpectata; alii Conſervationem ſui &c. Sed hi omnes pro lege naturæ aut pro Principio ejus & ratione finali attulerunt effectum, aut ſubjectum, aut materiam &c. Nec oſtendunt cauſam *moraliter neceſſitantem* & obſtringentem ad hunc amorem, ad convenientiam, ad Converſationem! Et D. Wolffius hos omnes ſecutus attulit pro lege naturæ id quod legi ſubjectum eſt: & faſſus, ad moralem neceſſitatem ſeu obligationem requiri *conditionem* aliquam ſuppoſitam *debiti*: omiſit tamen illam conditionem, ut cum ICtis loquar, purificare adeoque actum, atque nihil egit.

***Natura* conſtitutum eſſe Jus,**

Cicero melius Wolffio intelligit.

13. Perperam quoque Wolffius adminiculum poſcit ex Cicerone, dicente: *Ipſa natura conſtitutum Jus eſt* ſive lex. De qua enim natura loquatur Cicero, Wolffium latere non potuit. Cum enim de legibus & de lege naturæ loquitur Cicero, dicit, legem naturæ eſſe *rationem omnia moderantis ac jubentis DEI.* Id quod nos ſupra exſcripſimus, & in omnium fere ICtorum libris exſcriptum legi poteſt. Certe enim lex conſtituta eſt ipſa natura naturante, ut noſtri ſaniſſime loquuntur: non ipſa natura naturata à DEO abſtracta.

nempe, *natura divina.*

14. Ad facilius autem pervidendam fallaciam argumentationis Wolffianæ n. 1. expoſitæ faciam, quod facere dialectici ſolent, nempe argumentum ſimile proponam, quo falſo deprehenſo falſum etiam deprehendetur Wolffianum. Simile autem eſt hoc: *Quoniam lex Romana ſufficientem rationem in ipſo codice Juſtinia-*

ſtinianæo habet: Per rationem autem ſufficientem intelligitur, cur quid ſit: Et lex in genere præſcribit modum determinandi actiones liberas: Per ea, quæ ad Codicem pertinent, vel quæ Codici Juſtinianæo inſunt, intelligitur cur actiones liberæ civiles hoc modo determinandæ ſint, quamadmodum vult lex Romana. Neipſe quidem Wolffius collectionem hanc legitimam agnoſcet. Nam 1.mo Negabit, legem Romanam habere ſufficientem rationem in Codice; cum codex tantum ſit conſequens aliquid ad legem Romanam, & ejus ſignum &c. Ita & nos eidem Wolffio negabimus, in eſſentia humana haberi ſufficientem rationem legis naturæ; cum eſſentia humana ſit conſequens ad legem naturæ, & ejus ſubjectum. 2do Negabit Wolffius ex argumentatione hac ſequi hanc concluſionem, nempe ex Codice Juſtiniani intelligi, *cur* aliquid ſit agendum? imo dicet, ex codice ſolo, niſi is ulterius referatur, tantum intelligi, *quid* aut *quod* ſit faciendum, non cur? Igitur & nos recte negamus Wolffio, ex eſſentia humana intelligi *cur* v. g. non ſit mentiendum, niſi eſſentia humana ulterius referatur ac ſubordinetur.

Wolffius ſibimet negabit conſequentiam.

Hæc autem Wolffiana tunc ſolum falſa & ſophiſtica ſunt, cum ſupponitur Eſſentia humana ut abſtracta ac ſejuncta ab auctore ſuo: ex hac enim non cognoſcitur unquam, *cur* eſſentia humana debeat *parere* legi ſive ſibi ipſi. Quodſi vero Eſſentia humana refertur ad cauſam primam & finem ultimum (ſicut Codex refertur ad Imperatorem & Imperium Romanum) Tum vero intelligitur ex Eſſentia *ſic relata*, cur aliquid ſit faciendum: ſicut ex codice ſic relato intelligitur.

Sophiſma emendatur, ſi eſſentia dependet à DEO

Them. XXIV. D. Wolffius videtur renovare ſententiam Protagoræ, dicentis: *Hominem ipſum eſſe menſuram juſti ac injuſti, boni atque mali*: & *Verus eſt mihi ſenſus meus; nam ex mea ſemper eſt eſſentia & ad illam ſpectat*: & *unumquemque per ſe ad ſcientiam ſatis valere.* Aliaque id genus, quæ ſubtiliter admodum confutavit *PLATO* in *Theæteto.*

Protagorea ſententia hominem ſibi ipſi eſſe menſuram juſti

1. Num Wolffii ſententia cum Protagoræa conveniat, faſtidioſum eſſet hic explicare. Philoſophus id reſciſcere volens, adeat Theætetum ipſum, ac ſtudioſa meditatione ruminetur.

2. Quoniam vero hæc reconditæ ſunt Philoſophiæ, Platonico & nos more ſtudebimus elicere mentem Wolffianam, & quid in ea bonum malumve ſit.

ſubtiliter hoc indagendum.

3. Poſſunt igitur *DUO* ex Wolffio quæri. *Primo*: An eſſentia & natura hominis ac rerum ſit lex naturæ, ſi eſſentia ſecundum illud ſpectatur, quod in illa eſſentia fluit, tranſit, contingens eſt, ac mutatur? *Secundo*; An potius eſſentia & natura hominis ac rerum ſit lex naturæ, ſi eſſentia ſpectetur ſecundum illud, quod in eadem eſt permanens, immobile, vere æternum, & incorruptibile?

4. Si D. Wolffius illud aſſignat, quod tranſit, nempe eſſentiam humanam & rerum actu exiſtentem, & contingentem; imprimis in ſententiam Protagoræ palam incidit, omniaque abſurda devorare debet, quæ Plato Protagoræ demonſtravit. Ad hæc incommoda accedit, Quemlibet tantum hominem in individuo eſſe legem naturæ, cum quilibet tantum in individuo ac pro ſe *exiſtat*, nec unus homo exiſtat exiſtentia alterius; nec ſinguli homines exiſtant exiſtentia omnium, nec omnes exiſtant exiſtentia aliqua communi ſingulorum. Igitur tot erunt leges naturæ, quot hominum individua: & pereuntibus in aliqua acie decem millibus hominum, decies mille leges naturæ perierint: contra totidem pueris natis totidem de novo leges naturæ editæ fuerint. Præterea cum D. Wolffius ad conſtituendam legem naturæ etiam eſſentiam ceterarum rerum adſumat, ſi & in illis rerum eſſentia *ut exiſtens* & fluens ſumenda eſt, ſequitur, in ſingula momenta mutari legem naturæ, eo quod nullum abeat momentum, quin multæ contingant in rebus *exiſtentibus* mutationes.

Contingentia non ſunt lex naturæ

alias tot ſunt leges naturæ, quot individua,

5. *Secundo* vero ſi D. Wolffius dicet, eſſentiam humanam ac rerum eſſe legem naturæ, quantum in illa eſſentia ſpectat id, quod eſt immutabile, æternum; ad vitandam fallaciam iterum duæ ad hoc quæſtiones faciendæ ſunt. Aut enim *primo* Eſſentia rerum ſpectatur ut æterna & immutabilis à priori, & ut ſcholaſtici recte dicunt à parte ante? aut vero ut eſſentia rerum à priori quidem non eſt æterna, erit tamen æterna à parte poſt?

6. Si D. Wolffius dicet, Eſſentiam rerum ſpectandam eſſe, ad hoc ut ſit lex naturæ, tanquam æternam à priori, difficillimam ſuſcepit Provinciam, & quia omnia promiſit ſe demonſtraturum, hoc ſuum Principium ne probabile quidem unquam efficiet, ut hominibus perſuadeat, homines ab æterno *ſine alia origine* ita immutabiles fuiſſe atque eſſe, atque adeo eſſe à ſe ipſis. Nam ſi non ſunt à ſeipſis, jam non ſunt immutabiles

Eſſentia ut æterna à priori

difficillime extricabilis.

les à priori, cœperunt enim eſſe, & ex non entibus facta ſunt entia.

7. Si dicet, eſſentiam humanam eſſe legem naturæ ſecundum id, quod in ea æternum eſt non quoad exiſtentiam actualem, ſed quoad *poſſibilitatem*: ingerit ſe in diſputationem profundam, quam deberet prius ex Theologis noſtris & Philoſophis diſcere. Interim hic nobis ſatis eſt dicere: *Poſſibilitatem* eſſe *rationem entis*, ut contradiſtinguitur *non entis*. Cum igitur omne ens ſecundum non ſit ens niſi per rationem entis primi, ſequitur verum fundum totius poſſibilitatis eſſe tantum in ente primo, id eſt in DEO. Conſequenter Wolffius, qui, ut DEum ſeponat, eſſentiam humanam *ut poſſibilem* pro lege ſtatuit, hoc ipſo incidit in DEum: ac merito, quia quomodocumque ſe torqueat pſeudo Theologus, eum nunquam effugiet, ſi cum ratione incipiat agere. Videatur ſaltem D. Thomas. I. Parte Quæſt. XXV. Art. III. in Corp. nequid dicam de ejus interpretibus.

8. At ſi D. Wolffius dicet, eſſentiam rerum regulam eſſe, ut illa eſſentia eſt æterna à parte poſt, & in futurum immutabilis; nihil conficit: nam aut Corpus eſt immutabile, aut anima, aut utrumque? Nihil horum eſſe, evidens eſt: cum etiam animæ varias mutationes agnoſcat Plato cum ceteris hominibus. Et ſi D. Wolffius hanc æternitatem admittit pro vera lege naturæ, cur diſſimulat immortabilitatem animæ? cur non dicit, vitam futuram pertinere a i jus naturæ? Si formalis ratio ſufficiens & fundamentum legis naturæ ſita ſit in æternitate à parte poſt, non debet hæc æternitas eſſentiæ excludi à ratione legis naturæ, quippe quæ eſſentiæ æternitas eſt ipſa ratio ſufficiens legis naturæ.

9. Ergo denique non apparet, in quo conſiſtat illa vis, illa lex, illa neceſſitas ligans eſſentiam & naturam humanam ad juſte potius quam injuſte agendum? Etſi denique daretur, eſſentiam quoad ſe eſſe immutabilem, id nihil prodeſt Wolffio; cum eſſentia quoad ſe non dirigat actiones juſtas, alias nulla daretur actio non juſta, cum omnis haud dubie actio convenit eſſentiæ qua eſſentiæ: ſed directio Wolffiana potius ſumitur à determinationibus aliis ad actionem humanam concurrentibus. Hæ autem ſunt ſæpe mutabiles.

Eſſentia neque pro Conſtitutivo

Them. XXV. D. Wolffius ſtatuens eſſentiam rerum pro Principio legis naturæ conſtitutivo; aut pro ipſa lege naturæ, aut pro Principio legis naturæ indicativo, ubique fere impingit, & ſibi contradicere videtur.

neque pro Indicat vo principio recte à Wolffio ſtatuitur.

Seu eſſentia ſit ipſa Lex N.

1. Si Wolffius dicit, legem naturæ eſſe ipſam eſſentiam humanam ac rerum, incidit in omnes difficultates hactenus prolatas, nec poteſt aſſignare ſubjectum lege hac ſtringendum, aut debet ſubjectum legis naturæ quærere extra hominem; aut debet eundem hominem quoad eſſentiam habere pro lege, & quoad eandem eſſentiam habere pro legis ſubjecto. Quæ omnia ſupra diſputata ſunt.

ſeu cauſa legis à ſe diſtincta

2. Si dicit, eſſentiam humanam ac rerum non eſſe ipſam legem, ſed ab eſſentia hac conſtitui legem, ſeu effici tanquam aliquid ab eſſentia diſtinctum; iterum hæc ipſa nos redarguimus ſupra & nunquam D. Wolffius ita ſentiens poteſt aſſignare veram eſſentiam legis naturæ extra eſſentiam humanam; neque ullibi eam aſſeruit, minus explicavit.

ſeu indicium legis N.

3. Si D. Wolffius ait, eſſentiam humanam ac rerum eſſe Principium legis naturæ non conſtitutivum, ſed *indicativum* tantum, ita ut intellecta eſſentia deveniatur in notitiam earum rerum, ad quas per legem naturalem obligamur: imprimis fallitur in re ipſa; ac deinde ſibi repugnat: *Fallitur in re ipſa*; quia cognita materia obligationis non hoc ipſo etiam cognoſco cauſam obligationis: atqui per eſſentiam tali modo cognoſco tantum materiam obligationis, ſeu quid ſit faciendum: igitur eſſentia cognita non ſtatim agnoſco cur ſit faciendum? ſive nondum ſtatim per hoc cognoſco legem formalem.

ſibi repugnat

Repugnat etiam ſibimet, ſi ita explicet ſe. Nam ipſe & in præfatione & in §. 259. admittit legem naturæ agnoſci poſſe per *auditum*, & per auctoritatem referentium: & contendit, rudes (i. e. nonaginta novem ex centum hominum partibus) ita eam *debere* diſcere. Quodſi vero lex naturæ eſt ipſa eſſentia rerum, videtur impoſſibile, ut eſſentia per auditum cognoſcatur: id quod *PLATO* multis probat in *Theæteto* adverſus Protagoram, & in *Sophiſta* adverſus Parmenidem. Qui legi poteſt à cupientibus ſpinas plures.

Wolffius in jure naturæ

Them. XXVI. D. Wolffius magna difficultate jus naturæ oneravit, & nihilo majorem utilitatem comparavit.

peperit multam difficultatem.

1. Difficultatem auxiſſe eum, patere debet libros ejus conſideranti. Ipſe quo-

quoque eandem agnoſcit, qui ſua tantum egregie jam doctis ſervire poſſe faſſus eſt, à paucis intellecta.

2. Difficultati priori, quæ in intelligendo reperitur, accedit alia in exequendo, quæ majoris eſt momenti. Vult enim legem naturæ conſiſtere in eſſentia humana ac rerum; is autem qui legem exſequi debet, debet eam agnoſcere: ergo & eſſentiam humanam ac rerum debet cognoſcere, ut legem exſequatur. Quanta hæc difficultas! Item quam difficile eſt homini ex ſola ſua & rerum, extra DEum, eſſentia permoveri ad quotidianas actiones?

nullam vero utilitatem

3. Si D. Wolffius contuliſſet aliquid ad hoc ut per pſeudontologicum ſuum naturæ jus, errores aliorum ad malum inclinantes repellerentur; aut ut voluntati ac cupidini hominum majus, certiusque vinculum injici poſſet; rectæ ei applauderemus. Dum autem non aliud bonum hominibus proponit quam ceteri magiſtri, imo deterius ac vilius; non alia media, imo magis inania; dum non alium fontem, imo magis vacuum; dum non aliam cauſam ac finem exercendæ juſtitiæ aſſignat, imo multo leviorem; ceteris Juris naturæ Doctoribus inutilior eſt, & in eum cadere poſſunt quæ *Plato* diſputat in Euthydemo & in Protagora. Videatur etiam ſupra Caput XV.

Wolffius docet neceſſitatem colendi DEum

Them. XXVII. Objiciet D. Wolffius, ſibi fieri injuriam, à ſe obligationem ad Deum non concludi; ſe enim in nota §. 250. ſic loqui: *Probe notandum eſt, obligationem ad manifeſtationem gloriæ divinæ hic ex ipſa hominis eſſentia atque natura fuiſſe deductam, independenter à voluntate Numinis, ut intelligatur, officia hominis erga DEum in ea non differre ab officiis erga ſeipſum atque erga alios, & quod homo DEum colere teneatur, QUIA HOMO EST, ITA UT HUMANAM NATURAM EXUERE DEBEAT, NISI AD EUM COLENDUM OBLIGATUS ESSE VELIT. UNDE SUMMA DATUR DEUM COLENDI NECESSITAS.*

ſed phyſicam tantum,

℞. 1. Non inficior, ſummam neceſſitatem colendi DEum à D. Wolffio eſſe nominatam: unum tamen, quod ad Jus naturæ vel maxime vel ſolum ſpectabat, huic neceſſitati deeſt, nempe quod ſit tantum Phyſica ac metaphyſica, non moralis; Ideoque non ſufficiat ad actionis bonitatem moralem ſeu rectitudinem. Nam profecto neceſſitas moralis ſupervenit phyſicæ, eſtque non intranſitiva ſed hypothetica & orta ex aliunde ſuppoſitis. Talis autem non eſt ea neceſſitas colendi DEum, quam D. Wolffius aſſerit. Nam is qui morali neceſſitati refragatur, non hoc ipſo exuit ſuam naturam & eſſentiam; cum moralis neceſſitas fundetur in alio ſuppoſito: Atqui neceſſitati Wolffianæ refragari eſt naturam exuere: Ergo neceſſitas Wolffiana non eſt moralis.

non moralem

Exemplum athei

℞. 2. Exempla rem facient planiorem. Homo Atheus negat DEum, & non vult ad eum colendum eſſe obligatus, adeoque neceſſitati DEum colendi repugnat, & tamen Atheus humanam naturam plane adhuc habet, nec factus eſt bos. Sed rectam moraliter non habet: itaque neceſſitas illa, quæ eſt ipſa natura humana, non fecit illum rectum: alias eſſet rectus atheus & omnis ſceleratus, quicunque naturam adhuc habet.

ſenſu communi malitia moralis conſiſtit cum bonitate phyſica

℞. 3. Revera communis ſenſus doctorum atque indoctorum hoc habet, malitiam moralem conſiſtere poſſe cum bonitate Phyſica, ut contra malum Phyſicum cum bonitate morali. Sic furem ſuſpendio necari, eſt ei phyſice malum, & ſimul moraliter bonum. Sic furtum alimentorum eſt phyſice bonum, moraliter malum. Et ex eo quod fur neceſſitati morali repugnet, neutiquam debet exuere neque exuit naturam humanam, quamvis lege naturæ æque ſit neceſſitatus ad non furandum, ac ad colendum Deum, quia *officia erga DEum in hoc non differunt ab officiis erga alios* §. 150. Ex his conſequitur, eum, qui talem neceſſitatem juris adſtruit, ut ea neceſſitate ablata ipſa etiam natura auferatur, conſequitur, inquam, eum non adſtruere neceſſitatem moralem ſed phyſicam tantum.

Contradictio in moralitate.

℞. 4. Hic Wolffii paragraphus confirmat illius doctrinam: In hypotheſi athei ſubſiſtere rectitudinem actionis & cuſtodiam legis naturæ. Quamdiu enim atheus non exuit naturam humanam, & vult ejusdem naturæ neceſſitati parere propter ipſam illam neceſſitatem non propter aliquem finem ulteriorem ex quo *ſuppoſito* oriretur moralitas, tamdiu atheus moraliter vivit, & quidem intrinſece bene. Itaque verum manebit, nulla alia neceſſitate extante quam illa abſoluta, naturali, phyſica aut metaphyſica, actiones tamen vere fieri morales. Id quod contradictiones involvit. Moralitas enim eſt hypothetica & conditionata, non petita ex rerum natura & eſſentia, ut D. Wolffius docet §. 12. & 116. &

mox

mox tamen eadem moralitas eſt abſoluta, non conditionata, ſed ex ſola rerum natura petita, ut idem D. Wolffius docet in hoc paragrapho & aliis ſuprà excuſſis.

Neceſſitas colendi DEI Wolffio non videtur ſerio tanta.

5. Non apparet autem, quam ſerio Wolffius tantam colendi DEI neceſſitatem dicat. Nam Atheo concedit, non dari DEUM, quin concedat conſequentiam, non dari legem naturæ. Igitur Atheus ſervare debet legem naturæ. Atqui lex naturæ imponit *neceſſitatem exuendi hominem*, niſi colatur DEUS: Ergo lex naturæ imponit Atheo neceſſitatem colendi DEUM; conſequenter eſt neceſſitas ei non concedendi antecedens, ſi velis ſalvare conſequens. Sive non potes ei non negare, DEUM non dari, ſi vis ei negare, non dari legem naturæ. Sive ſi non datur DEUS, non datur etiam neceſſitas colendi DEI. Aut ſi datur neceſſitas colendi DEI, neceſſario datur etiam DEUS.

Indifferentiſmus Principiorum Wolffii.

Them. XXVIII. D. Wolffius, qui in *fine* naturæ moralis ſeu ſummo bono ſtravit viam Indifferentiſmo, ſtravit eandem etiam in *principio*.

Summum bonum indifferens.

1. Summum bonum permiſit in cujuslibet arbitrio, modo ipſi concederetur, ut ſummum bonum ſumere ei liceret pro continuo progreſſu ad perfectionem. Vid. infrà Cap. XVII. Them. V.

Principium indifferens.

2. Eodem modo nunc permittit omnibus, qualecumque principium juris naturæ velint ſtatuere, modo ipſi permittatur, ut pro eodem principio ſtatuat eſſentiam humanam ac rerum. Nam in nota §. 284. inquit. *Abſonum igitur eſt, diſputare de principio legis naturalis, ſeu eo, quod ſumitur, ut exinde demonſtrentur leges naturales: modo enim ex eo, quod ſumitur, demonſtrare poſſis, quales eſſe debeant actiones humanæ, unum idemque erit. Recta tamen methodo convenientiſſimum eſt, ut actionum humanarum directionem ex ipſa ejus eſſentia & natura deducas; cum ea quæratur, ubi de lege naturæ ſermo fit.* Et ejus rei profert exemplum ex Geometria. In hac, *Parabola habet plures proprietates: perinde vero eſt, quamnam earum ſumas loco definitionis, ut inde demonſtrentur ceteræ.*

Wolffius non eſt ſollicitus de vero principio legis N.

3. Hæc Domini Wolffii, fateor, captum meum ſuperant. Hactenus exiſtimaveram, Wolffii tantos labores ad hoc contendere, ut veram originem legis naturæ nobis proderet: id eſt veram cauſam, quæ moraliter liget voluntatem noſtram naturâ ſua liberam, ut hoc potius quam aliud velit, ac velle *debeat*. Nunc vero hac vera origine inſuper habita, D. Wolffius ſollicitus tantum eſt, quomodo inveniat medium demonſtrandi ad methodum à ſe electam aptum; id eſt, quomodo ſyllogismos inverſos & informes texat.

Imo aſſumpſit id,

4. Quin ſi medium hoc demonſtrandi dicat Wolffius eſſe ipſam cauſam, cur voluntas humana, per naturam ſuam libera, debeat taliter potius quam aliter velle, plane fefellit D. Wolffius, & toto, quod ajunt, cœlo aberravit. Nam pro hoc principio demonſtrandi, ſive pro hac cauſa obligationis ſeu debiti moralis ſumpſit id, quod debito morali plane eſt contradiſtinctum.

quod debito morali eſt contradiſtinctum:

Sumpſit enim pro cauſa moralis debiti Eſſentiam & naturam hominis: Atqui *quæ per eſſentiam & naturam determinantur, non ſunt actiones liberæ, non morales, ſed naturales tantum & neceſſaria* §. 12. Igitur Dominus Wolffius non ſumpſit veram cauſam debiti, ſed ejus contrarium.

contra bonam planc methodum

5. Hoc autem quam ſit repugnans meliori methodo, dici vix poteſt. Methodus certe bona nihil eſt aliud, quam via plurium cognitionum per ea media ac ordinem deducta, per quæ pertingatur ad veritatem, quam quis indagandam ſibi propoſuit. Dominus Wolffius ſibi propoſuit indagandam *veram cauſam*, cur voluntas humana per ſuam eſſentiam & naturam libera, nihilominus ligetur ad hoc potius quam aliud? Et pro medio ad hanc cognitionem perveniendi optimo ſtatuit id, quod plane contrarium efficit. Statuit nempe pro cauſa moralitatis eſſentiam ac naturam, quam tamen ipſe in veſtibulo laboris, nempe §. 12. agnoverat eſſe effectricem tantum neceſſitatis naturalis, contradiſtinctæ à neceſſitate libertatem ligante atque adeo morali. Abſonum certe eſt idem per idem probare. Quæritur, cur voluntas hominis, quæ ex eſſentia & natura ſua libera eſt, debet determinari ad hoc potius quam aliud? Et reſpondet D. Wolffius; ideo, quia voluntas per ipſam eſſentiam & naturam determinatur. Id eſt: Cur natura determinatur? quia natura determinatur.

probat idem per idem.

Exemplum ex Geometria fallit.

6. Exemplum parabolæ Geometricæ bonum eſt: ſed D. Wolffius in morali doctrina id male imitatus eſt. Si quis enim aut unam aut omnes proprietates parabolæ aſſumens per has demonſtraret non parabolam ſed circulum; imo non lineam cauſticam ſeu uſtoriam, ſed lineam glaciatoriam, ut ita dicam: hu-

jus viri methodus mala ſane eſſet, ſeu analytica ſeu ſynthetica, ſeu mathematica &c. D. Wolffius volens demonſtrare cauſam *moralitatis*, uſus eſt medio ad demonſtrandam tantum *naturalitatem* idoneo.

Plura principia indicativa ſtatui.

Them. XXIX. Objectatur nobis, Nos quoque ſupra Cap. V. pugnavimus, principium indicativum juris naturæ, ſeu demonſtrativum, non debere eſſe neceſſario *UNUM*. Igitur idem nos ſentimus, quod Wolffius, & perperam illum traducimus.

quæ non reprehendimus:

℞. 1. Neque hoc nos reprehendimus in D. Wolffio, quod *plura* admittat, ex quibus deveniri poſſit ad cognitionem cauſæ, cur libertas humana ligetur.

ſed non conducentia.

Sed quod permittat media ad illud non ducentia ſed ad contrarium vel ſaltem ad diſparatum aut contradiſtinctum. Et quod ipſe ceteros omnes emendaturus tanquam abſonos, & optimam methodum venditans eligat hoc ipſum medium, quod *non ducit* in cognitionem cauſæ quæſitæ.

Wolffius omnibus facit poteſtatem qualiacunque principia aſſumendi inepta.

2. Hocque ſuo exemplo ſeducere poteſt etiam alios ad alia media eligenda, quæ æque parum ad illam cauſam conducant, quæque adeo Juri naturæ ſint noxia & Indifferentiſmo viam complanant.

Puffendorffio Socialitatem.

3. Etenim reſurget Puffendorffius & licentia D. Wolffii uſus ſtatuet pro medio deveniendi ad cauſam ligandæ libertatis primò illas quatuor ſuas, quas alibi diximus (Cap. XIII.) votulas, & ex his rurſus faciet quintam rotam Socialitatem. Dicet enim Puffendorffius: Ex eo, quod homo habeat amorem ſui maximum; quod ſit egenus, quod nocendi cupidus, demonſtratur voluntatem potius ad Socialitatem determinari, quam non: igitur iſta quatuor ſunt media indicativa juris naturæ legitime electa: & abſone fecit D. Wolffius contra me diſputans. *Perinde eſt enim, quocumque medio ſumpto demonſtrem actiones humanas debere eſſe tales potius quam alias:* uti Wolffius decrevit.

Hobbio conſervationem ſui.

4. Reſurget etiam Hobbius, utaturque D. Wolffii licentia, & dicet: homo ab experientia ſumme ſe amat, & omnia facit, ut ſe conſervet. Igitur ex hoc agnoſcitur cauſa, quæ voluntatem determinet ad ſic agendum potius. Conſequentur pro principio Juris naturæ ſufficit aſſumere *amorem ſui.* Nam per D. Wolffium, *quidquid aſſumam ad probandum, perinde eſt, modo per illud probare poſſim, actiones humanas debere eſſe tales.*

Epicuro voluptatem.

5. Reſurget etiam Epicurus dicens: ego aſſumo pro demonſtratione hac voluptatem; quia experimur, hominem ſemper quærere, ut ſibi bene ſit. Igitur *voluptas* eſt vera cauſa, cur actiones humanæ debeant eſſe tales. In eundem modum venient naturaliſtæ, Deiſtæ, Athei, & quisquis aliquid ſyllogiſmi tornare ſe poſſe crediderit; & cauſas afferent, exemplo Wolffii, nihil aut aliud facientes; vero omiſſo, aut præfracte excluſo.

A qua libertata nos longe abſumus.

6. Ex quibus agnoſcet lector diſcrimen noſtram inter ac D. Wolffii *hac in re* doctrinam. Ille admittit media plura ad hanc demonſtrationem adhiberi poſſe, & ſuo exemplo docet, pro optimo medio adhiberi poſſe id, quod nihil tale demonſtrat. At nos admittimus quidem multa media: agnoſcimus inſuper, aliqua media eſſe ancipitia: monemus ergo, & quantum poſſumus docemus, quid temperamenti ſit attribendum, ne contrarium demonſtretur, & quo denique collimare demonſtratio debeat, damus criterium *ſubjectionem voluntariam & ex corde erga DEum ut SUMMUM BONUM, quo ſolo recte ligatur libertas omnis voluntatis, illâ ſola excepta, quæ ipſa eſt verum ſummum bonum.* Talis enim ſumma libertas eſt *regula tantum*, neutiquam autem regulata; omnis autem alia voluntas eſt *regulata vel regulanda*; quamvis poſſit ſimul eſſe regula, ut nempe participat de regula prima: quemadmodum initio hujus capitis vera fundamenta jecimus contra ſpuria ac profana Domini Wolffii. Ex quo ego ſaltem exiſtimo nunquam futurum, ut contrarium juri naturæ aut ab eo abludens demonſtretur, aut cauſa agendorum talis aſſignetur, quæ non ſit moralis ſed pure naturalis, qualis eſt Wolffiana, ipſomet judice.

Them. XXX. Objiciet nobis D. Wolffius: hac ratione nos idem peccare, quod ipſi objeceramus: nempe obligationem etiam à nobis nonniſi phyſicam, non vero moralem, ſtatui. Nam ex noſtra doctrina, libertas noſtra ligatur ideo, quia non eſt libera ad volendum ſummum bonum; cum hic appetitus ſit ei naturalis, & neceſſarius & quem deponere nulla voluntas poſſit, niſi quæ ceſſet eſſe voluntas rationalis. At talis tantum appetitus eſt phyſicus tantum & non moralis. Igitur ex noſtra ipſorum ſententia obligatio ligans voluntatem noſtram ſeu appetitum, non eſt moralis, ſed phyſica tantum.

1. Re-

Google

1. Reſpondeo: majorem propoſitionem ſyllogismi objecti aliquo ſenſu veram eſſe & à nobis conceſſam; alio ſenſu falſam & à nobis ſemper negatam. Verum eſt; voluntas noſtra eſt appetitus naturalis, phyſice neceſſarius ſummi boni in genere, *ut ſic*, quomodo ſcholæ loquuntur id eſt, quin voluntas ùt naturaliter appetens & phyſice eligat unum præ alio. Falſum eſt, appetitum iſtum *ùt ſic* neceſſitate phyſica ferri in DEUM. Aliàs enim nunquam eſſet phyſice poſſibile voluntatem averti à DEO, ſicut nunquam eſt phyſice poſſibile voluntatem averti à ſummo bono *ut ſic*.

2. Quapropter illa voluntas, quæ *DEUM* pro ſummo bono appetit, appetit illum aliqua neceſſitate. Nec appetit neceſſitate phyſica; cum illa non feratur in DEUM, ſed in ſummum bonum *ut ſic*. Reſtat igitur, ut illum appetat neceſſitate morali, ſeu ſuppoſita.

3. Exemplo rem paucis declato, eoque generali. Omnis homo indiſpenſabiliter petit bonum maximum ſeu ſummum: voluntas autem non determinat, quodnam ex pluribus bonis ſit bonum maximum. Hactenus appetitus eſt phyſicus & neceſſarius. At vero proponuntur voluntati plura bona, ùt voluptas hujus vitæ, exercitium omnium actionum humanarum, voluptas vitæ futuræ, DEUS etiam dator & factor iſtorum omnium. Jam ex his pluribus bonis voluntas fertur in alterum potius quam in alterum. Hæc electio libera jam eſt moralis. *BONA* autem *moraliter* electio hæc tunc erit, ſi feretur voluntas in illud bonum, quod eſt vere ſummum; ſive quod habet in ſemet veram vim ſummam voluntatis appetitum trahendi ad ſe. *Mala* autem moraliter erit appetitio ſeu electio, ſi feretur in aliquod bonum, quod vim illam in ſemet non habet, cum eam ab alio demum poſſit accipere aut habere.

4. Vitæ præſentis commoda, voluptas præſens, exercitium præſens actionum humanarum certe non ſunt talia bona, quæ vim ſummam trahendi voluntatem in ſemet & à ſemet habeant: id quod omnium ſeculorum experientiâ conſtat, & alibi à nobis oſtenſum eſt. Igitur qui obligationis moralis originem in his bonis conſtituunt, conſtituunt illi quidem fortaſſe obligationem *moralem*, ſed *malam*, ut Puffendorffius & Wolffius. Contra qui DEUM auctorem omnis boni eundemque dominum conſtituunt, illi veram & ideo bonam obligationem moralem conſtituunt; quia ſolus DEUS in ſemet habet vim ſummam trahendi appetitum electivum.

Them. XXXI. Deceptioni etiam opportuna eſt doctrina Wolffii in nota §. 259. ubi ſic: **Deceptoria doctrina.**

„ Nobis non ſermo eſt de iis, qui
„ legem aliquam eſſe naturalem fando
„ didicere ab aliis; minime autem ip-
„ ſimet per ſe agnoſcunt aſſerti verita-
„ tem. His enim non innoteſcit per
„ rationem. Conſtat vero, non poſſe
„ alteri ſando innoteſcere, niſi ante
„ cui innotuerit per rationem. Sane
„ ſi lex promulgatur poſitiva, qui pu-
„ blicationi præſentes ſunt, iis inno-
„ teſcit per promulgationem: abſenti-
„ bus vero quando narrant, qui præ-
„ ſentes aderant, illi hanc eſſe legem
„ *auditu nonniſi* percepere. Quamo-
„ brem id ſingulare non eſt in lege na-
„ turali, quod aliis per rationem inno-
„ teſcat, alii vero ex iis intelligant, eſ-
„ ſe hanc vel iſtam legem natura-
„ lem. “

1. In male concinno hoc diſcurſu non niſi per venationem elici quidquam poteſt. Ego non longis ambagibus etiam hic me induam, duas tantum hypotheſes hinc conficio in quibus D. Wolffii hæc doctrina accipi poteſt, malam alteram, alteram bonam. Nec pugno ſi D. Wolffius vel ſuorum quisquam tertiam quartamve ipſi eliciant, modo ſalutarem.

2. Prima hypotheſis: *Lex naturæ innoteſcit aliis per rationem, excluſa omni auctoritate; aliis autem innoteſcit fando, ſeu per auctoritatem, excluſa omni ratione.* Hac hypotheſi ſi obequitat D. Wolffii doctrina, eſt deceptioni oportuna falſa ac mala. **Excluſa omni ratione & authoritate**

3. Nam abunde, opinor, tum in hac larva detracta, tum in ipſo deinceps Jure naturæ à nobis demonſtratur, naturali ordine, quantus ac qualis nobis jam conſtat, neminem *ſola* ratione poſſe pervenire ad agnitionem veritatum, ſed infantem diſcere ac diſcendi ſemina accipere ab aliis ſive hominibus ſive divinioribus ſubſtantiis; ſicut loqui diſcit, & alia. Atque hanc ob cauſam Plato, quem ſibi multis gradibus præponi non indignabitur D. Wolffius, cum ſæpe ac multum laboraſſet invenire originem, unde humanum genus ſciat ac ſcire potuerit veritates, præſertim altiores, & doctrinam juſti, ſanctique? ad duo ſemper confugiendum ſibi vidit. 1. Ad ideas **non poteſt agnoſci lex naturæ.**

inna-

innatas, non quomodocunque, ſed à patre ſummo inditas id eſt DEO. Quoniam tamen agnoſceret, has quoque ſolas nihil juvare ad *actu ſciendum*, cum ideæ tales haud dubie etiam infantibus inſint nihil tamen actu ſcientibus; addidit & *alterum*, nempe hominum inſtructionem, diſputationem, interrogationem, admonitionem; quibus dextre adhibitis elici deberent ideæ etiam innatæ, aliàs ſemper in fundo hæſuræ. Imo cum de Juſto injuſtoque agitur, vidit, ne has quidem hominum admonitiones ſufficere, aut quorumlibet: ſed confugit ad homines primos: qui primi cum carerent admonitionibus iſtis aliorum (quippe quod ipſi eſſent hominum primi) agnovit Plato, illas de juſto, ſancto, pio admonitiones non potuiſſe homini fieri niſi *Divina* præceptione ac inſtructione. Hæc, ni valde fallor, ſumma eſt totius Platonicæ Philoſophiæ, tam probabilis viſæ ſanctiſſimis etiam viris & cui nulla Wolffiana Ontologia detrahere unquam poterit. Quippe communi gentium ſenſu eſt comprobata: quæ gentes confitentur primitus doctrinam Veri ac boni DEO magiſtro ſibi traditam. Sed de his alibi.

4. Sive igitur ideas *innatas* admittit D. Wolfius, ſive *acquiſitas*, nunquam evincet, ratione *ſola* diſci legem naturæ, ſepoſita auctoritate. Nam *ſi innatæ* ſunt ideæ, manent ſemper in fundo nec cognitionem pariunt, niſi hominum aut DEI auctoritate excitatæ. *Sin acquiſitæ* ſunt ideæ, per ſe nobis omnibus eſt compertum, quanta auctoritate magiſtrorum ſit opus, ut rudibus illæ animis ingenerentur.

Lex naturæ innoteſcit per rationem & auctoritatem.

5. *Altera* igitur *hypotheſis* D. Wolfii poteſt eſſe hæc. Lex naturæ innoteſcit per rationem, ſi prius ratio per auctoritatem & inſtructionem vel acquiſivit ideas, vel innatas per eandem auctoritatem excitatas habuit. Item lex naturæ innoteſcit per auctoritatem & inſtructionem, ſi tamen aut jam adſunt rationi ideæ innatæ per inſtructionem excitandæ; aut ſic tamen ut per eandem inſtructionem ingenerentur animo ideæ legem naturæ exhibentes.

6. Atque hæc eſt noſtra de omni hac re ſententia ac doctrina. Quam ſi quis falſam, aut deceptoriam, aut à bono ac vero ſeu à lege naturæ ac felicitate humana abducere poſſe nobis monſtraverit, libenter ex eo audiemus, libenter omnia meliora amplectemur. Nos humiliores, quando in officiis noſtris diſquirendis petimus nobis ſuccurri auctoritate doctorum, ac maxime proborum virorum, non ſuſpiramus eam ſine ratione noſtra, nec accipimus illam auctoritatem ſine ratione illorum; aliàs ſequeremur duces noſtros, ut ſequitur grex ducem caprum. Rurſus docti atque doctores, cum rationem officiorum humanorum indagant, non illam indagant abjecta omni auctoritate, per quam didicerant indagare; hac enim abjecta næ parum ipſi jam indagarent, aut potius nihil. Neque ab ipſa ratione, quam indagant, volunt abeſſe omnem auctoritatem, maxime divinam, & cum de rerum primis principiis atque origine ſermo eſt. Abjecta enim auctoritate divina omni & quacunque nunquam poſſibile eſt devenire ad primum; cum ipſa ſit prima, & fons rerum, ſeu intellectualium ſeu quarumlibet aliarum.

Decipiuntur, qui ſola ratione, aut ſola auctoritate diſcunt.

7. Qualis autem deceptio lateat, ſi *ſola ratione* lex naturæ & ejus officia nobis debent innoteſcere, aut *ſola auctoritate*, olim expoſuimus, & triſtis experientia exponit. Quippe homines acuti, ſapientes, imo ſapientum flos ac *Spiritus fortes* ſibi videntur, qui nihil præter *rationem* audiunt eamque *SUAM*: nam ſi alienæ locum facerent, viderentur ſibi auctoritatem ſequi, quod infirmorum tantum eſſe crepant. At hi tamen quam fœde aberrent à vero & bono, exempla illorum produnt, quæ proferre horremus. Præterea in aprico eſt, quam falſum ſit principium *ſola ſua cujusque ratio* excludens reſpectum omnium aliorum. Quia talis privata ratio infinite pugnat, & quilibet habet aliam à ceteris abeuntem. Nec poteſt quidquam excogitari (pro hoc quidem hominum ſtatu) quod illam pugnam componat vel decernat, niſi ſalubris quædam auctoritas, maxime divina, aut divinæ innixa.

Fortes Spiritus

Fœde errant.

8. Denique hac ego ſum ſententia, quam grandioribus litteris inſcriptam velim frontibus heterodoxorum quorundam Juris naturæ larvati doctorum: *Non primus ſed ULTIMUS GRADUS AD ATHEISMUM EST, DEUM EXCLUDERE à NATURA JUSTI.* Mea pace inſcribant ipſi tam huic meo, quam omnium Catholicorum libris moralibus ſententiam ſuam hanc: *IGNORANTIA EST SUMMA, NATURALITER JUSTI PRINCIPIUM IN DEO QUÆRERE.* Utra harum ſententia præſtet, non jam ego DEUM, non Catholicam Eccleſiam judicem faciam, ſed Turcas, ſed Sinenſes, ſed Tartaros, Hurones, Yrokos, Hottentotos, & quantum eſt barbari nominis ſuper faciem terræ.

Sententia noſtra.

Effatum heterodoxorum tetricum

9. De-

An lex poſitiva ſolâ auctoritate agnoſcatur?

9. Denique cum D. Wolffius exemplum ponit de promulgatione legis poſitivæ, fallitur. Ait, id ſingulare non eſſe legi naturali, ut alii eam cognoſcant ex ratione, alii autem eandem agnoſcant ex auctoritate eorum, qui per rationem eam cognoverant; quia putat, idem accidere etiam in lege poſitiva. Nam qui *promulgationi* legis interſunt, iis, inquit, innoteſcit *per promulgationem*; abſentibus vero *non niſi per auditum* ſeu auctoritatem. Et tum comparationem inſtituit talem: Ergo etiam ii, qui ratione ipſa comprehendunt legem naturæ, comprehendunt eam per rationem tanquam promulgationem, alii vero non niſi per auditum & auctoritatem. In hac, inquam, re fallitur D. Wolffius. Nam nulla lex poſitiva poteſt ratione diſci, aut comprehendi; quia lex poſitiva eſt *facti*: facta autem cum ſint mere contingentia, non poſſunt attingi ratione *ſola* abſtracta, ſine miniſterio ſenſuum æque contingentium. Igitur tam illi, qui promulgationi legis poſitivæ interſunt, quam illi, qui aberant & ex intervenientibus eam acceperant, utrique eam non niſi auditu vel alio ſenſu *primò* acceperunt. Fallitur, ergo D. Wolffius in exemplo: quia poſitivam legem non unus aliter, aliter alius accipit: & fallitur hoc ipſo etiam in exemplato, ſive in eo, quod ex illo exemplo infert; nempe alium hominem diſcere legem naturæ ſola ratione, alium vero ſolo auditu ſeu auctoritate. Nullus potius eſt homo (ſic ego ſtatuo idque toto opere ae deinceps ſemper experientiâ

Noſtra ſententia

conſtare oſtendam) *Nullus eſt homo, qui ſola ratione diſcat legem naturæ: Nullus eſt etiam homo, qui ſola auctoritate eandem naturæ legem diſcat.* Atque rurſus hoc addo: *Omnes homines, ut nunc ſunt, diſcunt jus naturæ imperfecte primo ex auctoritate: deinde ratione eandem notitiam aliquantum perficiunt: denique perfectam plane attingere non poſſunt, niſi ſpeciali auctoritate ipſius legislatoris ſpecialius ipſis manifeſtata.* Hoc niſi toto hoc labore meo tam doctis quam indoctis aliquo

certa & ſecura.

modo probavero tanquam melius, certius, experientiæ conformius, utilius, ſecurius, & aliis modis præſtabilius, non abnuo, quin mente me motum, & rerum humanarum omnium ignorantem dicant univerſi. Id ſolum oro, ut mihi ſapientum virorum quiſquam prodat, quo pacto ego ſepoſita auctoritate pervenire ad agnitionem Juris naturæ ſola ratione valeam, qui adhuc non ſcio me aliter quam auctoritate didiciſſe, non ſine ratione. Ea ſum ætate, quæ nec doceri reſpuat, nec diſcere reformidet: nec diſciplinarum omnium expers, nec omnium negotiorum etiam, quæ ad Jus ſeu ſacrum profanumve ſeu naturale ſpectant; ut nemo penitus deſperare de hoc diſcipulo debeat; adſit numinis gratia.

Ex principiis Wolffii ſequitur malum æque ac bonum.

Thcm. XXXII. Ex D. Wolffii principio æque malum ac bonum ſequitur, ſicut ex Puffendorffii, niſi addatur aliud fundamentum extra iſtorum principia petendum. Vid. ſupra Cap. XIII. Th. IV. &c.

Ut ex Puffendorffii.

1. Puffendorffius ſtatuerat, nullam eſſe propiorem viam pertingendi ad naturalis obligationis ac bonitatis principium & originem, quam *humanam naturam accuratius contemplari.* Idem facit D. Wolffius in paragrapho ſuo fundamentali 64. & 65. Actio humana recta eſt, quæ rationem ſufficientem in eſſentia & attributis hominis habet, conſequenter nulli determinationi eſſentiali vel hinc pendenti attributo contradicit &c. Rectitudo igitur actionis humanæ eſt convenientia cum omnibus determinationibus hominis eſſentialibus. Convenire autem cum iis dicitur actio, quæ in iis ſimul ſumptis rationem ſufficientem agnoſcit, conſequenter per eas explicari poteſt, cur talis potius ſit, quam non ſit, ae eſſe *debeat.*

Nec pugnam paſſionum compeſcit lex naturæ Wolffiana.

2. Puffendorffius ſtrata hac via detexit aliqua in natura humana valde amphibia, & inter ſe pugnantia. Nihil autem detexit, quod pugnantia iſta *ligaret.* Et ideo non detexit *legem* naturæ. Idem accidit D. Wolffio. Is enim ſi omnes proprietates humanæ naturæ ſimul ſumptas invenit, haud dubie invenit etiam inter ſe pugnantes. Eſt enim hominis proprietas verum ſumme cupere; & contra ad mendacium eſſe valde proclivem. Eſt proprietas perfectioni inhiare, & defectibilem eſſe. Eſt proprietas æternitatem æmulari, & limitatum undique eſſe. Eſt proprietas eſſe egenum, infirmum, nocendi cupidum, aliaque à Puffendorffio prodita; & rurſus eſſe potentem ad alios juvandum &c. Si ergo Rectitudo actionum *debita* debetur ob proprietates hominis *ſimul ſumptas*, Rectitudo erit ſimul bona & mala: actio erit ſimul recta & non recta. Quia recta eſſet ex doctrina Wolffii; non recta, quia ex principiis contrariis, quæ in eodem ſubjecto ſtare non poſſunt, ut album & nigrum. Aut dici debebit, eandem actionem eſſe *ſecundum quid* moraliter

bonam, & ſecundum quid moraliter malam.

Exceptio Wolffii.

3. Si excipiet Dominus, Wolffius, defectibilitatem & talia eſſe tantum phyſicam proprietatem, nec facere actionem moraliter malam. ℞. 1. Defectibilitatem hominis in utroque genere eſſe, & morali & Phyſico; aliàs non poſſet peccare. ℞. 2. Proprietates humanas ex eſſentia ejus fluentes etiam ipſas ex ſeſe non eſſe niſi phyſicas: & demum morales fieri *per aliud*, quod ſolum debebat D. Wolffius invenire; quod tamen ſolum non invenit. Appetitus mentiendi, nocendi &c. quatenus illi ex eſſentia humana fluunt, ſunt mere aliquid phyſicum, nec moraliter bonum nec moraliter malum. Infantes enim, amentes, ebrii habent & exercent iſtos appetitus, qui ipſis non infunduntur cum vino, ſed in natura ipſorum jamjam ſedent. Igitur ne actiones iſtorum ſunt moraliter rectæ?

Alia exceptio.

4. Occupabit me D. Wolffius: hæ actiones non ſunt rectæ moraliter; quia non habent rationem in proprietatibus hominis *omnibus ſimul ſumptis*, deeſt enim agnitio, deeſt deliberatio. ℞. Equidem admitto hoc lubens: Sed urgeo D. Wolffium: Ad actionem quamlibet humanam intrinſece bonam faciendam neceſſe eſt eam eſſe conformem *omnibus* hominis proprietatibus *ſimul ſumptis*, nulla excluſâ. Ergo ut actio hominis ſit intrinſece bona, debet convenire cum inclinatione mentiendi, cum peccabilitate, cum appetitu nocendi Puffendorffiano: quia hæ ſunt proprietates naturæ humanæ.

5. Reponet D. Wolffius, debere convenire cum proprietatibus tantum bonis, non cum malis. Sed ℞. 1. Hoc ipſo Proprietates qua proprietates non ſunt per ſe bonæ, nec ſunt ratio bonitatis. Quia earum quædam poſſunt eſſe *proprietates*, & tamen eſſe *ratio mali*. Itaque *Proprietas* & *ratio bonitatis* non ſunt idem: conſequenter falſa propoſitio Wolffiana. ℞. 2. Hoc ipſo autem quod actio proprietatibus conformis ſit aliqua mala, iſta conformitas *ut ſic* non eſt ratio bonitatis, nec adeo principium morale; nec D. Wolffius poteſt ullum præceptum juris naturæ hinc deducere: nec invenit aliquid, quod pugnantes inter ſe proprietates in ordinem redigeret, *ligaret*, ſeu *lex* eſſet.

Alia excuſatio,

6. Iterum contendet D. Wolffius actionem bonam eſſe, quæ conveniat cum omnibus proprietatibus *poſitivis* tantum: prædictas autem non eſſe poſitivas. ℞. Illas etiam proprietates ſeu appetitivam facultatem, quamvis in malum ferantur, non deſinere eſſe facultates poſitivas: Ergo per hoc, quod ſint poſitivæ proprietates, nondum præſtant actioni rationem bonitatis moralis intrinſecæ; ſed ea aliunde, quam ex *hac convenientia* repetenda eſt.

Puffendorffius coactus ad DEUM recurrit.

7. Puffendorffius videns pugnam fore perpetuam non obſtantibus ſuis principiis, coactus denique eſt extra viam à ſe inſtitutam divertere, & extra ſua principia advocare ſibi DEUM, ad hoc ut principia ſua vim ligandi denique ab hoc mutuarentur. D. Wolffius fecit quidem & ipſe aliquid ſimile ſed multo deterius. Nam etiam ipſe extra ſua principia, nempe extra naturam proprietatesque humanas egreſſus advocavit ex Theologia DEUM eumque verbis dixit eſſe auctorem & legislatorem legis naturæ. Sed præter hæc tamen pugnat, ut lex naturæ liget etiam independenter à DEO. Puffendorffius pugnat contra Grotium, qui legem naturæ obligare docuit etiamſi *fingatur* non dari DEUM. Wolffius pugnat contra Puffendorffium, quod vim legis à DEO eſſe contenderit; cum tamen lex naturæ independenter ab omni ſuperioris actu ſit lex ſeu obligatio. Infelicius ſane Puffendorffio ipſo pugnare hoc eſt. Legislator eſt DEUS legis naturæ, & tamen lex naturæ obligat independenter à legislatore. Puffendorffius agnovit ſua dictamina ſeu principia, & poſſe vim ligandi à DEO habere, & *debere*, aliàs nullam habitura vim: at D. Wolffius profitetur, legem eſſe latam à DEO, obligare tamen independenter à DEO: id eſt, vim ligandi eſſe quidem *actu* à DEO, non tamen *debere* eſſe ſeu non neceſſario eſſe à DEO. Itaque aut profitetur contradictoria, aut profitetur, vim legis naturæ non niſi *per accidens* à DEO eſſe aut ad DEUM referri.

Sic & Wolffius ſed deterius.

Obligatio divina Wolffio *acceſſoria*.

Them. XXXIII. Profanum videtur, quod D. Wolffius obligationem *divinam* legis naturæ æque acceſſoriam aſſerere videatur, atque acceſſoria eſt obligatio quælibet humana.

Deducitur ex ipſomet.

1. §. 150. Sic argumentatur: *Etenim lex naturæ nos obligat ad ea, ad quæ per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam obligamur. (§. 135.) Enimvero MINIME REPUGNAT, ut DEUS vel etiam homo, qui nos obligare valet, velit nos ad id eſſe obligatos, ad quod naturaliter ſeu lege naturali (145.) conſequenter ad quod per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam*

ram

ram obligamur. Quamobrem cum lex divina ſit, cujus obligatio à voluntate divina, humana vero cujus obligatio à voluntate hominis vel hominum dependet (§. 149.) Lex utique divina ſimul erit lex naturæ, ſi ad id, ad quod lege naturali obligamur, obligamur etiam voluntate DEI; & eadem in humanam abit, ſi ad id, ad quod naturaliter obligamur, etiam voluntate hominis vel hominum plurium obligemur. Et in nota ſubjungit: *Quando autem lex naturæ abit in divinam vel humanam, non id eo deſinit eſſe lex naturæ, nec per NOVAM obligationem ANTERIOR tollitur; ſed naturalis tantummodo obligatio efficitur fortior, quatenus ad motivum actionis committendæ vel omittendæ ab ipſa hominis rerumque natura ſumptum, novum ſuperaccedit, QUOD INDE DERIVARI MINIME POTERAT.*

Cum lex naturæ ſubſiſtat ſine omni voluntate DEI.

2. Hæc expendenti & cum prioribus Wolffianis conſerenti apparebit, ab illo ſemper affirmari, legem naturæ ſubſiſtere, obligationem habere, bona intrinſece talia efficere ſine *omni* voluntate DEI, aut ſine *omni* dependentia ab eadem voluntate *præcedente* legem naturalem; non ſecus ac lex naturæ obligat ſine omni dependentia ab omni voluntate humana præcedente legem naturalem. Itaque ſicut mere acceſſoria eſt voluntas humana, & *tantum fortiorem* poteſt reddere obligationem legis naturæ tanquam ſe *anteriorem*; ita & voluntas divina nihil aliud operatur, quam ut *fortiorem reddat legem naturæ ſe anteriorem.* Quæ male ſonant.

Effugium Wolffii.

3. Si excipiet Wolffius, ſe loqui hic de voluntate DEI *ſecunda* faciente legem divinam *poſitivam*, ut quæ accedat legi naturæ jamjam conſtitutæ: non autem de voluntate DEI *prima*, quæ ſit conſtitutrix ipſius legis naturæ: evertit totum ſuum jus naturæ, quod inædificatum eſt eſſentiæ humanæ ac rerum independenter à voluntate etiam prima: & fruſtra jactat ſe demum novas ac veras origines inveniſſe: nemo enim hactenus ignoravit, legem naturæ conſtitui voluntate DEI prima, & huic demum accedere voluntatem ſecundam prioris declarativam, & perfectivam &c.

4. Aut ſi rurſum in contrarium verſus Wolffius dicet, legem naturæ ſeu eſſentiam humanam dependere à voluntate illa prima DEI; quomodo poteſt toties monere ac jubere, ne illa dependentia in lege naturæ indaganda, demonſtrandaque attendatur? Poteſtne is, qui lucem fatetur ex ſole oriri, in indaganda lucis cauſa ſolem exeſſe jubere? An ita in lubidine ſubditorum ac talium ſubditorum poſitum eſt, in negotiis revera pendentibus à voluntate domini ſui, ad eandem voluntatem Domini ac talis Domini *attendere* vel *non attendere*?

Them. XXXIV. Profanum eſt, quod D. Wolffius ſolam obligationem tantum ad *REPRÆSENTANDAM ſeu manifeſtandam gloriam DEI* admittat.

1. Veteres alii & novi, ethnici ac fideles ſolebant dicere, hominem obligari ad gloriam DEI *promovendam*, ad dandam gloriam DEO. Sed iſte novus omnibus ſapientior talem obligationem nimis rudem & popularem agnoſcit, indecoram Ontologo.

2. Equidem certum eſt, gloriam Dei non proficiſci ex nobis quaſi ex nobis; aut quaſi DEO quidquam accederet, quod ipſe non dediſſet. Sed hoc de omnibus operibus noſtris dici debet, de adoratione, honore, amore, ſacrificiis &c.

3. Neque hinc litem movemus Wolffio. Sed contendimus, *nudam ejus repræſentationem* eſſe obligationem phyſicam tantum. Nam & *Cæli* hoc modo *enarrant* neceſſario *gloriam DEI*, & quivis culex, & tota naturæ mirabilis vis nihil aliud agit, quam hoc. Et peccatores maximi, & injuſtiſſimi, ipſique adeo Athei gloriam divinam miris ſed veris modis repræſentant. Quæ tamen repræſentatio reſpectu ipſorum eſt ſpeculativa, non moralis, nec ipſos facit juſtos.

4. Hoc ergo, ut melius ac moralius exponeret, deſiderabatur à Wolffio.

Them. XXXV. Per principia Wolffiana *juſte* poteſt negari DEUS. **Juſte poteſt negari Deus, ex principiis Wolffii.**

1. *Jus eſt facultas agendi, quod moraliter poſſibile eſt, & non agendi, quod moraliter impoſſibile eſt.* §. 156.

2. *At moraliter poſſibile eſt, quod ſalva rectitudine actionis fieri poteſt.* §. 157.

3. Jam vero ſalva rectitudine actionis Wolffiana poteſt negari DEUS: Ergo in principiis Wolffianis juſte negatur DEUS, ſeu jus eſt ad DEUM negandum.

4. Aſſumptum hoc probo. Rectitudo actionis conſiſtit in conformitate actionis cum lege naturæ; hoc eſt cum eſſentia humana ac rerum; ſeu cum omnibus determinationibus hominis eſſentialibus. §. 65. At inter omnes determinationes has nulla eſt ad DEUM;

alias eſſentia humana ac rerum eſſet lex naturæ dependenter à DEO. Ergo determinatio aliqua ad DEUM non pertinet ad rectitudinem actionis. Ergo ſalva rectitudine actionis poſſibile eſt negare DEUM, ad quem confitendum non determinat me mea eſſentia, utique quæ mihi lex eſt independenter à DEO.

5. Præterea D. Wolffius verbis apertis decernit ac defendit hanc theſin. §. 248. *Rectitudo actionum etiam in hypotheſi Athei ſubſiſtit. Et demonſtrari poteſt, etiamſi non ſupponas dari DEUM, ſi vel maxime Atheus NEGET DEUM dari, non tamen ideo negare poteſt, actionem aliam eſſe rectam, aliam à rectitudine deficere.* Equidem ex hoc §. id tantum ſequitur, alias actiones Athei eſſe intrinſece bonas, non ipſam negationem DEI. Nihilominus etiam hic §. juvat & corroborat argumentum noſtrum n. 4. mox poſitum. Nam aliæ actiones Athei ſunt intrinſece bonæ, quia rationem ſufficientem habeant in eſſentia humana & rerum. Sed & negatio DEI ſufficientem rationem haberet in eadem eſſentia humana; quia illa eſſentia humana eſt ratio bonitatis actionum independenter à DEO, ſive nulla habita ratione DEI. Igitur etiam negatio DEI, ſive actus affirmans nullam eſſe, aut haberi debere rationem DEI, poterit eſſe intrinſece bonus. Eſt enim conformis legi naturæ, in qua ſimiliter nulla habetur aut eſt ratio DEI.

Eſt juſtum non adorare DEUM &c. ex principiis Wolffii.

Them. XXXVI. In principiis Wolffianis eſt juſtum non adorare DEUM: imo eſt injuſtum adorare.

1. Jus eſt facultas non agendi ea, quæ moraliter impoſſibilia ſunt. §. 156. Moraliter impoſſibile eſt, quod ſalva rectitudine actionis non poteſt fieri. §. 157.

Atqui ſalva rectitudine actionis non poteſt adorari DEUS. Ergo non eſt Jus adorare DEUM; imo eſt injuſtum.

2. Aſſumptum probatur. Rectitudo actionis conſiſtit apud Wolffium in conformitate actionis cum eſſentia humana ac rerum independenter à DEO, & ita ut DEI placitum ex eſſentia humana derivari minime poſſit §. 149. Ergo relatio ad DEUM, præſertim talis, qualis in adoratione fit, non poteſt derivari ex eſſentia humana. Ergo actio humana non debet huic relationi conformari. Ergo ſalva rectitudine actionis non eſt impoſſibile DEUM non adorare. Ergo datur jus DEUM non adorandi: Sed & non datur jus ad adorandum DEUM: quia adoratio conformatur eſſentiæ humanæ *ut dependenti* à DEO: quod vetat Wolffius attendi in actionis rectitudine definienda.

Sive nullus homo ex his principiis poteſt confiteri DEUM, ſed debet eum negare. Nam illud non poſſum moraliter recte confiteri, cujus non datur ſufficiens ratio rectitudinis; ſed ratio ſufficiens rectitudinis confeſſionis DEI non datur in regula noſtra morali, nempe eſſentia humana regulante; independenter à DEO: aliàs poſſet voluntas DEI ex eſſentia humana tanquam ſufficiente ratione determinari contra Wolffii §. 149. Igitur nullus homo poteſt ſalva rectitudine morali confiteri DEUM.

Atheo Wolffius concedit Summum Bonum.

Them. XXXVII. Jure naturæ Wolffiano Atheus, ſi nihil aliud peccet, poteſt aut debet fieri beatus, ſive ſummi boni particeps.

Deducitur ex Wolffio ipſo.

1. Probatur id ex D. Wolffio. *Beatitudo acquiritur cuſtodiâ legis naturæ* §. 376.

At *Cuſtodire legem eſt committere actiones legi naturæ conformes* §. 138.

Jam vero *lex naturæ & ejus obligatio ſubſiſtunt etiam in hypotheſi Athei* §. 245. & 249. Item *ſubſiſtit in eadem hypotheſi rectitudo actionum* §. 248, id eſt, ſubſiſtit in hac hypotheſi convenientia actionum cum lege naturæ.

Ubi autem datur convenientia actionum cum lege naturæ, datur cuſtodia legis.

Igitur in Hypotheſi Athei datur cuſtodia legis; Igitur & Beatitudo pro eo, qui eam cuſtodit. Sive in hypotheſi Athei datur acquiſitio Boni Sumi, quod per cuſtodiam legis naturæ acquiritur.

2. Paucis: Qui cuſtodit legem naturæ, is acquirit beatitudinem. Atheus cuſtodit legem naturæ, ad quam eſt obligatus. Ergo Atheus acquirit beatitudinem.

3. Aliter. Qui committit actiones intrinſece bonas, & tendentes ad perfectionem ſuam & ſtatus ſui, cuſtodit legem: ex perpetuis principiis D. Wolffii. Atheus autem committit actiones intrinſece bonas ſeu conformes eſſentiæ humanæ ac rerum, utpote quæ lex eſt independenter à voluntate DEI. Igitur Atheus cuſtodit legem. Cuſtodiâ autem hac acquiritur Beatitudo. Ergo ab Atheo acquiritur beatitudo.

Objectio Wolffii de Atheo.

4. Ait Wolffius, Atheum non admittere legem naturæ in omni latitudine, cum excludat obligationem repræſentandi gloriam DEI, §. 255. Verum reſpondebit illi Atheus: Hanc obligationem ideo ſe non admittere, quia in lege naturæ tanquam *independente* à volun-

tate

tate DEI non ſit ſufficiens ratio hujus obligationis erga DEUM; & quià principia Wolffii neutiquam contineant hanc obligationem, extra rhombum tantum aſſertam. Imponi autem ſibi atheo à philoſopho nihil poſſe, niſi demonſtratum à ptioti per *ſufficientem rationem.*

Repræſentatio gloriæ DEI Wolffio vilis.

5. Reſpondebit Atheus ſecundo. Cum ipſe totam reliquam legem naturæ cuſtodiat, excludi ſe ab acquiſitione Beatitudinis non poſſe propter rem tantillam, quantilla eſt repræſentatio & *IMAGINATIO* (ſic loquitur Wolffius) gloriæ DEI. Quæ ſi eſſet Wolffio aliquid magnum & mentione dignum, aut plane neceſſarium, ejus rationem ſufficientem haud dubie poſuiſſet Wolffius in ipſa lege naturæ. Nunc autem, cum Wolffius exiſtimaverit indignum DEum, qui cum lege naturæ connecteretur, ſeu ſufficientem rationem in ipſa haberet; dicet atheus, ſe ptivari ſummo bono non debere ob id, quod detrectet aut omittat in actionibus ſuis repræſentare & *imaginari* rem tam indignam, & ad legem naturæ impertinentem. Nolim in his verba ultra perdere. Facile cuivis apparet, quam commodus lectus atheis ſternatur à D. Wolffio ejusque demonſtrationibus mathematicis.

6. Imo Atheus demonſtrabit ex Wolffio, ſe neque DEI cauſa poſſe excludi à ſummo bono, ſi quis ſit DEus, aut qualiscumque ille ſit. Nam ex Wolffii principiis: *Secundum rationem vivere, naturæ ſuæ convenienter vivere, ſecundum legem naturæ vivere, & ſecundum voluntatem divinam vivere, eſſe unum idemque* §. 280. At ſe, quantumvis negatorem DEI, vivere convenienter legi naturæ, eo quod in ſua hypotheſi rectitudo actionum ſubſiſtat §. 248. per hanc autem convenientiam cuſtodiri legem naturæ, & *quod idem* eſt etiam voluntatem divinam. Et rurſus per cuſtodiam legis naturæ acquiri beatitudinem §. 376. Ergo à ſe quantumvis negatore DEI acquiri beatitudinem: neque ex parte DEI, ſi quis eſt, ſibi quid impedimenti poſſe opponi; cum hoc ipſo, quod ſervetur lex naturæ, ſervetur & lex DEI, ſi quis eſt.

Atheus præmio dignus naturali,

7. Quodſi Wolffius contenderet, Beatitudinem eſſe *præmium*, quo indignus ſit Atheus; contra demonſtrabit Atheus, ſe tam præmio naturali quam poſitivo dignum eſſe. Nam *Præmium naturale ex actione neceſſario ſequitur.* §. 311. At *actiones intrinſece bonæ præmia naturalia habent* §. 319. Se vero committere actiones intrinſece bonas, ſeu conformes eſſentiæ humanæ ac rerum. §. 57. &c. Itaque ſe dignum eſſe præmio: imo præmium *naturale* neceſſario ſequi ex ſuis actionibus.

& poſitivo ex Wolffio.

8. De Præmio *poſitivo* idem probabit ex D. Wolffio. *Præmium poſitivum ex mera voluntate dantis connectitur cum actione* §. 312. Dignus autem præmio poſitivo eſt, qui voluntatem illam implet. Et ego atheus naturaliter vivendo impleo voluntatem divinam. §. 280. Igitur ego, inquiet atheus, dignus ſum etiam præmio poſitivo. Si ergo Beatitudo eſt præmium poſitivum, ego certe illo ſum dignus.

CAPUT XVII.

De ſummo Bono D. Wolffii, & fine Juris Naturæ.

Principium & finis Wolffii commoda atheis

Them. I. DOctor Wolffius ut principium juris naturæ atheis ac libertinis utile fecit, ita utiliorem fecit finem ſeu beatitudinem ac ſummum bonum.

Wolffii doctrina de ſummo Bono.

1. Sic ille ſtatuit §. 374. *Beatitudo Philoſophica, ſeu ſummum bonum hominis eſt non impeditus progreſſus ad majores continuo perfectiones.*

2. *Etenim bonum eſt, quod nos, ſtatumque noſtrum perficit* (§. 554. Pſychol. empir) „ Unde bonum abſolute „ ſummum eſſemus conſecuti, ſiquidem „ perfectionem abſolute ſummam ac- „ quiſiviſſemus.

„ 3. Enim vero homini tanquam enti „ finito ſumma perfectio communicari „ nequit, atque adeo ſummum ejus bo- „ num dici non poteſt, quod ipſum red- „ dit abſolute perfectiſſimum.

„ 4. Conſtat tamen experientia, ho- „ minem indies majores perfectiones „ acquirere poſſe.

 „ 5. Do-

„ 5. Docui id exemplo confucii * „ qui à decimo quinto ætatis anno uſque ad ſeptuageſimum omnem movit lapidem, ut ſeſe continuo perficeret, & quantum in ſe perficiendo ſingulis decenniis progreſſus fuerit, „ ingenue diſcipulos docuit.

„ 6. Quamobrem majus homini obtingere nequit bonum, quam progreſſus haudquaquam impeditus ad majores continuo perfectiones. Unde merito eundem *dicimus* ſummum „ hominis bonum.

„ 7. Bonum hominis quærendum eſt „ in ipſo, non extra ipſum.

„ 8. Hinc rejiciuntur honor, divitiæ, amicitia, quæ cum ad ſtatum „ externum pertineant, ad bona ex„ terna referuntur.

„ 9. Bonum internum mentem imprimis perficere debet. Quamobrem nec DEus dici poteſt ſummum hominis bonum, ubi quæritur de „ bono, quod homini inhæret, aut „ ſi mavis, quod in ſe poſſidet.

„ 10. Quodſi quis de ſummo bono „ aliter ſentiat, ei litem non movebimus. Lubet nobis, vocabulum in „ hoc accipere ſignificatu: quod nobis „ utique conceſſum.

Summum Bonum eſt continuus progreſſus ad majores perfectiones.

„ 11. Nec aliud quid imposterum intelligemus quam non impeditum ad majores continuo perfectiones progreſſum, quoties poſthac de ſummo bono verba faciemus.

„ 12. Sufficit, in dubium revocari „ minime poſſe, quod detur in hoc „ ſenſu bonum ſummum, quodque „ idem ſit in poteſtate hominis.

13. Hæc D. Wolfius, cui gratiam debemus, quod unam ſaltem doctrinarum ſuarum redegerit in unum locum, & non per omnem, aut per multos etiam libros inaniter diſperſerit.

14. Ex his autem primum patet, quod in themate noſtro diximus, D. Wolfium Atheos cura finis liberare, quemadmodum eos liberaverat cura Principii. Nihil enim de fine hominis, aut humanæ naturæ ſtatuit, aut ſaltem verbulo loquitur.

Uſum facultatum, & continuum progreſſum ad perfectionem, eſſe idem,

15. Si dicet, *Uſum facultatum eſſe finem à DEO intentum* §. 46. & hominem ita utendo obtinere eundem finem. Facultatum autem uſum eſſe meras perfectiones hominis: itaque in idem recidere, ſive dicat, continuum progreſſum ad perfectiones, ſeu ad uſus facultatum eſſe *Bonum ſummum*; ac ſi dicat: eundem progreſſum eſſe *finem hominis*. Per hoc autem utique atheum non liberati à cura finis quærendi, præſertim cum Wolfius ibi, ubi de *fine* loquitur, expreſſis verbis *DEum* ejusque voluntatem ſeu intentionem nominet. §. 46.

16. Verum hæc nimis inania ſunt. Nam de paragrapho illo 46. ſupra diſſeruimus, Them. XII. qui contradictionem hypotheſi Wolfianæ infert. Deinde ſi uſus facultatum eſt finis à DEO intentus, & perfectiones humanæ conſiſtunt in hoc uſu, quin ipſæ *alium finem* habeant quam *uſum ſuum*, ſequitur, hominem ab omni alio fine curando liberari. Sequitur, uſum facultatum eſſe quidem finem DEI, ſive DEum referri ad facultates humanas: Ut autem uſus iſte ad aliquid aliud feratur, non ſequitur ex eo, quod DEus referatur ad uſum. Sicut ex eo ſolo, quod domus ſit finis ab architecto intentus, non ſequitur, domum ad aliquid aliud referri. Sicut etiam ex eo, quod uſus exercitus ſeu pugna aut ipſa etiam victoria ſit finis ab imperatore intentus, non ſequitur, victoriam habere aliquem finem.

eſt vanum,

& DEI ab ultimo fine excluſivum.

17. Imo D. Wolfius non poteſt niſi per tautologiam ſibi conſuetam aſſerere, ſummum bonum ſuum habere rationem finis, ſeu eſſe finem hominis. Nam uſum facultatum non qualemcunque ait eſſe finem DEI, ſed eum, qui ſit bonus, id eſt qui ſit *perfectio* hominis, non medium ad perfectionem; cum medium utique non ſit finis DEI? Sic ergo ſonaret ejus argumentum: Perfectio hominis (id eſt uſus perfectus facultatum) eſt finis: Atqui perfectio hominis eſt uſus facultatum perfectus, ſive *perfectio eſt perfectio*: Ergo perfectio eſt finis: ſummum autem bonum eſt perfectio: ergo ſummum bonum eſt finis. Quæ ſunt tautologica.

Summum Bonum Wolfii non habet rationem finis

18. Inquit ſane Wolfius §. 379. *Summi boni poſſeſſio finis eſt: medium idem conſequendi unicum legis naturalis cuſtodia. Eſt autem bonum ſummum ex eorum numero, quæ in perenni fluxu conſiſtunt: atque adeo tamdiu durat poſſeſſio ejus, quamdiu ejus acquirendi medio utimur.* Verum inprimis hinc patet, ſummum bonum rariſſime poſſideri poſſe, non à dormientibus, alia agentibus, ut ſupra diximus, quod tamen nemo non requireret à ſummo bono pro hac ſolum vita deſtinato. Deinde confunditur medium ad ſummum bonum cum ipſo ſummo bono. Bonum ſum-

Summum bonum in fluxu.

* In oratione de Sinorum Phil. practica.

ſummum eſt *actio* qua progredior ad perfectionem: ſed hæc ipſa *actio* progreſſiva eſt cuſtodia legis, & cuſtodia eſt medium ad ſummum bonum. Igitur ſummum bonum eſt medium ad ſummum bonum.

Contra Puffendorffium diſputata

Them. II. Quidquid de ſummo bono ac fine hominis diſputatum eſt contra Puffendorffium, valet & contra D. Wolffium.

valent & contra Wolffium.

1. Nam & Wolffius planius loquens in jure naturæ Germanico ſeu Ethica ſeu Philoſophia practica, quæ omnia, ubi de ſummo bono agitur, ad idem recidunt, §. 139. conceptis verbis docet: *Lex natura eſt MEDIUM, per quod homo beatitudinem ſuam acquirit, cujus IN HAC VITA capax eſt per ſuas vires naturales &c.* *

2. Summum autem hominis bonum in hac vita non eſſe, ſatis ex ſenſu communi probavimus in *Larva detracta* Cap. XI. & in *Jure Naturæ*.

Wolffii circulus vitioſus.

3. Accedit, Wolffium iterum ferri in circulum. Ejus enim Theſis mox citata in ejus principiis non aliter poteſt exponi, quam ſic: Eſſentia humana eſt medium, per quod eſſentia humana uſum eſſentiæ humanæ perfectum acquirit, quem capax eſt acquirere per uſum facultatum naturalium: Seu ad quem uſum facultatum obtinendum habet ſufficientes facultates.

4. Hanc expoſitionem eſſe Wolffianam jam ſupra docuimus. Nam apud ipſum lex naturæ eſt ipſa eſſentia ac natura humana, ſive ejus facultates ac determinationes earum.

Wolffius DEum à ſummo bono nominatim excludit.

Them. III. D. Wolffius tanto pejor eſt Puffendorffio, quod DEum quomodocunque ſpectatum à beatitudine humana nominatim ac per decretum turpiter excludit.

eo quod DEus mentem non perficiat,

1. At enim demonſtrat hoc Wolffius à priori, ſive rationem ſufficientem profert? *Bonum hominis quærendum eſt, inquit, in ipſo; non extra ipſum. Et Bonum iternum mentem imprimis perficere debet quamobrem NEC DEUS DICI POTEST SUMMUM HOMINIS BONUM.* Nempe quia DEus non poteſt perficere mentem.

quamvis eam faciat.

2. Equidem non negat alibi Wolffius, DEum potuiſſe *facere* mentem: at *perficere* eandem mentem, id jam eſſet nimium, pro DEO quidem. Huc cum eſt deveniendum, ut homo perficiatur, hic vero virtus hominis & prærogativa eminet: ipſe ſe perficit. Procul eſtote profani, qui perfectionem mentis DEO, neſcio cui, tribuitis.

3. Sed *Philoſophicam* ait ſe Beatitudinem deſignare? Quaſi hic ſolus ſit, *amor ſapientiæ* ſeu philoſophia, cui unice cordi ſit, DEum excludere.

Bonum ſummum ut debeat inhærere mentis?

4. *Philoſophicum*, inquit, *bonum* ego nomino. In Philoſophia autem id dicitur perfectio interna mentis, quod homini *inhæret*. Quomodo ergo inhærere, debet ut mentem perficiat? an ſicut aurei in crumena? an ſicut albedo & accidens quodcumque in ſubjecto muro? Si hoc alterum eſt neceſſaria conditio & dos boni ſummi, bonum ſummum hominis philoſophice erit toto ordine rerum vilius atque inferius ipſo homine. Quippe homo Philoſophice eſt ſubſtantia, ſummum autem bonum philoſophicum eſſet accidens eidem inhærens.

an tanquam potentia?

5. Forte vult D. Wolffius, ut id, quod mentem perficit, eidem *inhæreat* tanquam *potentia* ſeu facultas? v. g. memoria? intellectus? At vero ſic etiam infantes, etiam ſtulti, etiam impii erunt beati, quia habent utique *potentias* illas, ſuppoſito quod ſint homines. Ergo beatitudo non demum acquirenda eſt, nec pro ea laborandum à quoquam eſt; cum cuilibit ſit innata. Conſulat D. Wolffius accuratas diſputationes minime cavillatorias S. Thomæ, quibus probat, bonum ſummum non eſſe in *potentia II.* Quæſt. II. Art. VII.

an ut nunquam interruptum exercitium potentiarum omnium;

6. Aut D. Wolffius ſummum bonum Philoſophicum ſeu *inhærens*, ſeu *perfectionem internam mentis*, conſtituit in aſſiduo, continuo & *nunquam interrupto* exercitio ſeu uſu facultatum omnium Corporis & animæ humanæ? & in hac hypotheſi D. Wolffius prorſus deſtruit totum jus naturæ ſuum, & tot annorum operoſas ſpeculationes impenſas in demonſtrationem ſyſtematis ſenſui communi repugnantis.

quod eſt impoſſibile.

7. Nam talis inhærentia non interrupta exercitii, eſt humanæ naturæ in hac vita *impoſſibilis*. Ergo humana natura *non eſt capax in hac vita ad hoc ſummum bonum obtinendum per ſuas vires naturales.* Conſequenter lex naturæ, quæ non eſt medium ad impoſſibilia, non erit etiam medium ad *hoc* ſumum bonum Wolffianum.

8. Impoſſibilem autem inhærentiam talem non interruptam, docet experientia. Nam homo etiam juſtiſſimus, & beati

* Das Geſetze der Natur iſt das Mittel, dadurch der Menſch ſeine Glückſeligkeit erlangt, deren er durch ſeine natürliche Kräfte in dieſem Leben fähig iſt.

beatitudine Wolffiana juſtiſſimus, dimidiam partem ætatis ſuæ in *hac vita* interruptis vicibus dormit, paſcitur, & aliud agit. Atqui quotidie dormire, paſci, aliud agere; quotidie etiam aliquoties male uti facultatibus quibusdam ſuis, non eſt habere *uſum omnium facultatum non-interruptum.* Igitur talis *inhærentia exercitii*, & conſequenter tale bonum ſummum eſt impoſſibile in hac vita per vires naturales: Nemo hominum, opinor, id nobis negaverit, qui humani nihil alienum à ſe putet. Et ſane, ſi hæc eſt mens Domini Wolffii, miſeratione opus habet, qui cum omni ſua Ontologia, Pſychologia, Pſychometria, Logica, Theologia naturali, inſuper & Arithmetica Analytica & Geometria tot annorum ſtudio intenſa non potuerit ſaltem invenire hanc miſeriam humanam, omnibus rudiſſimis patentem; ſed etiam auſus fuerit in ea beatitudinem generis humani collocare.

Miſeratione dignus Wolffius.

9. Inquit D. Wolffius: vel hinc apparet providentia mea: non enim ego aliam homini Beatitudinem conſtituo, quam illam, *cujus capax eſt in hac vita per vires ſuas naturales.* Jam vero per vires ſuas naturales homo non eſt in hac vita capax beatitudinis excludentis ſomnum & multa alia. Igitur Beatitudo illa, quam ego conſtitui humano generi, non comprehendit carentiam ſomni, cibi &c. utpote *ad quam carentiam incapax eſt homo in hac vita per ſuas vires naturales.*

[illegible] Wolffii.

10. Quodſi hæc eſſet reſponſio & mens Domini Wolffii, neſcio an illa ab ulla gente parum ſaltem morata reperiretur digna attentione; ne dicam à doctis Philoſophis & Mathematicis. Hac enim ratione non admodum magno intervallo diſtaret beatitudo noſtra à beatitudine porcorum. Non tantum Paulus Doctor noſter deſideravit liberari à corpore mortis hujus, id eſt à beatitudine ſumma Wolffiana; ſed idem optarunt etiam Plato & quotquot fuerunt philoſophi non deſertores ſenſus communis.

Facit bonum ſummum valde miſerum.

11. Ceterum hanc beatitudinem belle *pro ſe* excogitaſſe videtur D. Wolffius, qui & intellectus & memoriæ, & voluntatis & ceterarum facultatum uſum ita promptum & inhærentem habet, ut certus omnino ſecurusque ſit erroris: qualis hactenus *per vires* naturales vix ullus Philoſophorum fuit, ne Plato quidem, ac Ariſtoteles, & Confucius. Cum igitur in numero hominum Wolffius ad hunc diem non niſi unus exiſtat, ſummum bonum philoſophicum uni tantum homini contingere potuit, reliqua omni totius humani generis maſſa damnata: idque ſine culpa fortaſſe ipſorum. Quid enim faciet nauta, quid auriga, quid ruris colonus, cerdo, caupo, miles, quid Prætor, ſenator, imperator, Princeps, rex? quid eremicola devotus, ſacerdos, epiſcopus? quorum ſunt pauci, qui D. Wolffii Ontologiam, Coſmologiam, Pſychologiam, Logicam, Mathematicam & Philoſophiam practicam vel viderint, vel de ea ſermone quidquam acceperint? Sine quibus tamen ad fundum perſpectis non poſſunt eſſe Wolffii ſimiles, non uſum omnium facultatum perpetuo inhærentem habentes, non denique beati? Beati, inquit, erunt etiam uſu illo modico, *cujus ſunt capaces.* Sic igitur Beatitudo & bonum ſummum philoſophicum apud Samojedas erit numerare tria poſſe; apud Groenlandos piſcari; apud Siberianos venari; apud ceteros facere cetera, quæ fere ſola norunt; Inter Doctos autem nemo erit beatus niſi Mathematicus & Ontologus: Et inter hosipſos ſolus Illuſtris D. Wolffius, quem nullus alter præceſſit, & nullus forte ſequetur.

In Wolffio tamen ipſo conſiderabile.

qui inter homines unus eſt tantum

Medicus uſus facultatum faceret beatos e. g. tria numerare.

12. Quæretur D. Wolffius, ſale me uti ſatyrico, & argumentum ad invidiam traducere. Sed rem loquor: Nam ſi beatitudo conſiſtit in uſu bono facultatum tantum aliquarum eoque parco, ſummum bonum erit ſcire pauca, & velle modica, & memorare perparum, & id genus cetera: quæ alius non beatitudinem ſed miſeriam exiſtimaret. Si Beatitudo conſiſtit in uſu bono omnium facultatum & aſſiduo, jam nemo eſſe beatus poteſt; quia nemo poteſt in hac vita per vires naturæ aſſidue reminiſci, aſſidue intelligere, aſſidue velle.

Querelæ Wolffii de ſatyra mea occurritur.

13. Si D. Wolffius dicet, illa Beatitudine *mentem perfici*, quæ beatitudo inhæret animo non quidem ut exercitium, ſed ut *habitus* ſeu virtus, ab exercitio frequente relictus in animo: quoniam hic habitus etiam dormientibus & aliud agentibus adeſt. Verum hæc tametſi ipſo ſenſu communi inania eſſe agnoſcuntur, tamen olim confutata ſunt, & oſtenſum, beatitudinem in virtute morali non conſiſtere. V. *Larva detracta* Cap. XI. Vid. *Jus Naturæ* I. Et ipſe D. Wolffius clare docet, ſuum bonum ſummum non eſſe habitum, ſed ab habitu omnino differre quippe §.381. in nota ſcribit: *Habitus edendi actiones, quibus nos ſtatumque noſtrum perficimus,*

An beatitudo inhæreat ut habitus:

cimus, & Progreſſus non impeditus ad majores indies perfectiones non ſunt unum idemque, ſed omnino inter ſe differunt. Videatur de hoc infra Themate IV.

an beatitudo inhæreat per modum objecti;

14. Erit fortaſſe, ut D. Wolffius dicat, id, quod mentem interne perficit, eidem *inhærere* debere per modum objecti, & per repræſentationem. Sed nihil hac explicatione juvatur Wolffii doctrina, DEUM à ratione ſumi boni philoſophici nominatim excludens. Aut enim admittit, DEum poſſe eſſe objectum animo repræſentatum; aut negat. Si admittit, DEum poſſe eſſe objectum animi, debet admittere, per DEum ſic inhærentem poſſe perfici mentem humanam; adeoque DEUM à ratione ſummi boni per ſuamet principia non poteſt excludere, propterea quaſi DEus non inhæreret. Si negat, DEUM poſſe per modum objecti animo inhærere, debet affirmare, impoſſibilem eſſe homini cognitionem DEI: & debet dicere, Atheos ſapientiores eſſe ceteris hominibus, utpote impoſſibilia tentantibus.

Cur non poſſit inhærere DEus;

15. Velim ergo denique reſciſcere ex Domino Wolffio, quid tandem per illud *inhærere* intelligat ipſe, & quæ ſit cauſa, cur alia neſcio quæ inhærere poſſint menti ita, ut eam perficiant; DEus autem ad perficiendam eam inhærere eidem non poſſit? Nam *continuus progreſſus ille*, quem pro ſummo Bono ipſe ſtatuit, menti haudquaquam inhæret: *Eſt enim ſummum bonum* Wolffianum *ex eorum numero, quæ in PERENNI FLUXU conſiſtunt, atque adeo tamdiu durat poſſeſſio ejus, quamdiu ejus acquirendi medio utimur*, ait ipſe §.379. quæ autem ſemper prætereunt, non inhærent, & ea quæ tamdiu tantum durant, quamdiu durat medium, nunquam ad finem perveniunt.

Quia animus potius inhæret illi.

16. Equidem grandiores animæ idem fere, quod Wolffius, ſentiebant olim, nempe DEUM non eſſe; non inhærere in anima mortali; ſicut nec oceanus ineſt aut inhæret lagunculæ. Quapropter & à Paulo noſtro allegatus Poëta ethnicus non cecinit: DEus in nobis eſt: aut movetur in nobis, aut vivit in nobis: ſed: *NOS IN IPSO vivimus movemur & ſumus*: & per hanc inhærentiam noſtram haud dubie perficimur toti nos; ſicut uva non perficitur per hoc, quod vitis inhæreat uvæ, ſed quod uva inhæreat viti, hoc ſolo perficitur denique. Hoc ſolum etiam Poëtæ gentilis dogma ſi inculcandum hominibus quibuſcumque ſumpſiſſet D. Wolffius, etiam ſine ſcientifica methodo, rem ſane præclaram feciſſet. Hoc ſolum cum ſibi evertendum falſis argutationibus ſumpſerit, gratiam ſibi reddi ab atheis poſtulet, & ab iis, qui morientes dicunt: *moriatur anima mea morte Philoſophorum.* Ceterum de inhærentia Boni ſumi potuiſſet inſtrui à S. Thoma III. Quæſt. citata II. art. VIII.

per quam inhærentiam perficimur.

DEus non eſt ſummum bonum, cum non poſſideatur;

17. Alia ratione DEum excludere à ratione ſummi boni vult Wolffius, hac nimirum, nempe quia ſummum bonum philoſophicum debet eſſe tale, ut homo illud *in ſe poſſideat*, & *in poteſtate ſua habeat.* DEUM autem ab homine ſupponit poſſideri, ac in poteſtate haberi non poſſe, igitur nec ſummum hominis bonum eſſe.

Poſſidere æquivocum eſt.

18. Non utar contra ea multa argumentorum contentione; quod plura eorum, quæ paulo ante de *inhærendo* diximus, ſervient etiam ad nebulas iſtas de *poſſidendo* diſcutiendas. *Poſſidere* amphibologicum eſt, & debebat à Wolffio diſtingui hujus vocis poteſtas, ſicut diſtinguere auſus eſt poteſtatem vocabuli ſummi Boni; non vero debebat D. Wolffius voce hac poſſeſſionis ſine diſtinctione ſumpta decernere de Bono ſummo, nempe de re tanta, qua nulla majus momentum in toto genere humano habet. *Poſſidemus* aliquid, dum illi conjungimur etiam ut majori. Ita poſſidemus gratiam Principis. Sic etiam ſervus, cum ceteris poſſeſſionibus careat, loco omnium poſſeſſionum ipſi eſt certa in hero ſuo fiducia, à quo nutritur, veſtitur, ornatur, ſicut ceteri nutriuntur à ſuis poſſeſſionibus, fundis & colonis. Et hæc poſſeſſio DEI, (Philoſophica utique quia nulli rationi repugnans) utique DEum inter ac hominem, qui ſervus eſt DEI, locum habet? Homo poſſidet DEum, quia poſſidetur à DEO: ſicut ſervus poſſidet herum, & utitur divitiarum ejus parte, quia poſſidetur ab hero, & quamdiu poſſidetur, tamdiu fruitur. Verum non omnis etiam hujus generis poſſeſſio DEI beatum hominem facit: ſicut enim ſervus malus, quamquam poſſideat aliquo modo herum & poſſideatur, non tamen felix eſt, ſed in furcam agitur: Ita omnis quidem homo poſſidet aliquo modo DEUM & illius dona, non tamen omnis felix eſt, ſed infelices ſunt multi, non quod hero iſto privari unquam poſſint, ſed quod ejus gratia, & dulci commercio orbentur. Non ſciunt hanc poſſeſſionem ut multa alia bona plerumque ſuperbi philoſophi, ſed humiles

Quomodo DEum poſſideamus;

hanc poſſeſſionem neſciunt ſuperbi philoſophi.

miles ruſtici, quibus dulce prius eſt poſſideri à DEO, non illum excludere; tum demum dulce ipſi etiam fit, DEUM poſſidere. Non incuſo hujus ſuperbiæ Dominum Wolffium, ſed hoc exiſtimo, illuſtrem philoſophum ſtudio novandi, & fiducia methodi ſuæ ſcientificæ ſeductum, incogitantius ea ſcripſiſſe: quæ humana eſt fragilitas.

Non incuſo Wolffium

Poſſeſſio alia

19. Alio modo *poſſidemus* aliquid tanquam ejus rei Domini, uti poſſidemus glebam terræ, gemmas, boves &c. Talis poſſeſſio adeo non convenit ſummo hominis bono, ut longe ab eo abſit. Summum hominis bonum debet eſſe homine ipſo *ſaltem nihil vilius*, qualia ſunt hæc lutea, glebæ gemmæ, boves.

alia.

20. Alio modo *poſſidetur* aliquid tanquam complementum metaphyſicum eſſentiæ propriæ, aut complementum phyſicum naturæ propriæ. Ita poſſidet lapis gravitatem, & exercitium niſûs ad centrum, quo actuali exercitio natura lapidis operativa completur phyſice, ita ut per hunc actualem niſum tota ejus vis operativa ſeu natura compleatur, ſaltem in hac linea. Et quia ſunt aliquæ naturæ operatrices *plurium*, earum complementum phyſicum non eſt actio una ſimplex: Ita natura Arboris non completur per ſolam gravitationem verſus terræ centrum, ſed multis aliis, in quibus vegetatio conſiſtit, opus eſt ad arborem completam ſeu perfectam faciendam; quæ omnia cum eidem adſunt, poteſt dici, arborem poſſidere ſuam perfectionem, & aliquo modo *ſumme bonam* eſſe illam arborem. Si hoc ſenſu ſumit D. Wolffius ſummum hominis bonum ab homine habendum ac poſſidendum, nempe ut Natura hominis quoad omnes operationes ſuas phyſicas completa ſit per uſum omnium facultatum phyſicarum: hoc ſenſu fortaſſe concedi ei poteſt; hominis ſummum bonum *poſſideri* ab homine debere; & DEUM hoc ſenſu non eſſe ſummum hominis bonum: ſaltem hominis ita defectibilem naturam habentis, ut nunc habet. Oſtendimus enim ſupra, ex principiis D. Wolffii, nullum *morale* bonum homini ita ſumpto convenire, ſed phyſica tantum: inter quæ *phyſica* haud dubie *ſummum* eſt continuus progreſſus ad majores naturales perfectiones. Cum enim natura non poſſit omnes actiones poſſibiles ſimul, ſed ſucceſſive tantum elicere, ſequitur, ut natura phyſice non poſſit totam perfectionem ſuam ſeu ſummam bonitatem phyſicam ſimul poſſidere, ſed quo diutius durare & elicere poteſt, hoc magis perficitur, ſeu phyſice magis bona fit.

quo ſenſu poſſit ſummum bonum Wolffii admitti.

21. Verum enimvero cum homo ſit naturâ *moralis*, id eſt potens agere propter finem cognitum extra ſuam eſſentiam poſitum, *moraliter perfectus* eſſe non poteſt, niſi cum hoc fine conjunctus, qui finis ſi eſt debilior & ignobilior ipſo homine, homo conjunget eum forte ſibi tanquam poſſeſſionem dominicalem. Si autem ille finis eſt nobilior homine, ac vere & ſumme bonus, homo conjungetur eidem fini, tanquam eidem ſubordinatus. Non dubito hic provocare ad omnes etiam barbaras gentes. Non dubito quin barbari, ſi ipſis hæc doctrina vetuſtiſſima pro ſingulorum captu exponatur, eam velut certam ſint omnino amplexuri: ſicut eam gentibus placuiſſe reipſa, poſſem ex gentium hiſtoria docere. Quam etiam doctrinam ſi amplexi fuerint, nulli facile abuſui ex hac ſaltem doctrina profluenti obnoxii erunt, ſicut obnoxii ſunt Wolffianæ doctrinæ ſectatores, ut quales etiam athei eſſe poſſunt.

Finis hominis eſt extra naturam hominis, & ſupra.

22. Urget Wolffius: Summum bonum debet eſſe in *poteſtate* hominis: DEus non poteſt eſſe in poteſtate hominis: igitur non poteſt DEus eſſe ſummum bonum hominis. ℞. Haud dubie DEus non eſt in poteſtate hominis, ſicut eſt equus in poteſtate equitis. Sed neque tali in poteſtate ut ſit bonum ſummum, neceſſe eſt aut poſſibile. Ceterum quidquid de *Poſſeſſione* boni ſupra diximus, dici etiam poteſt de hac *poteſtate*. Nos ipſi defendimus late, ſummum bonum debere eſſe in poteſtate omnium hominum: ita nempe, ut omnibus hominibus adſit naturalis facultas ad illud tendendi, & ad illud etiam perveniendi, niſi ab hoc ipſi defecerint, & deficiendo ſibi poſuerint obicem jam majorem, jam minorem, jam inſuperabilem propria virtute, & ſuperabilem tantum virtute, naturam propriam excedente, quæ omnia in noſtro *Jure Naturæ* poſtea confirmabuntur.

An DEUS ſit in poteſtate noſtra ut ſum bonum

Thew. IV. Ex illo amphibologico: *Homini enti finito ſumma perfectio communicari nequit*: Non debuit concludere Wolffius: Ergo Bonum ſummum hominis non eſt bonum abſolute ſummum.

Enti finito non convenit ſumma perfectio: Ergo DEus non eſt bonum ſummum.

1. Enti finito ſumma perfectio communicari nequit, ait Wolffius. At Philoſophi paſſim ac multa ſuper hoc diſceptant.

Antecedens diſputatur à Philoſophis.

2. Dein-

abſolute ſummum ſumitur pro rei conditione

2. Deinde perfectio abſolute ſumma & ſumi poteſt & quotidie ſumitur in terminis habilibus, id eſt, pro rei, de qua agitur, conditione. Quando horologium ſimplex monſtrat accurate tempus æquale ſeu 24. horas æquales ita, ut nec puncto temporis prævenat neque ſequatur, mathematicus illud dicet habere *ſummam abſolute perfectionem horologii*. Bilanx abſolute ſummam perfectionem habet, quæ in neutram partem vel hilum inclinatur. Circulus ſumme perfectus eſt, cujus puncta omnia æqualiter à centro diſtant, & repugnat abſolute aliquis perfectior circulus. Itaque ſemel falſum eſt D. Wolffii fundamentum: Enti finito ſimpliciter non poſſe communicari perfectionem ſummam.

Exemplum

aliud.

aliud

Quæ perfectiones non poſſint communicari *homini.*

3. Hoc ſane verum eſt, enti finito non poſſe communicari omnes perfectiones ullo intellectu cogitabiles, etiamſi ſingulæ non eſſent abſolute ſummæ. Nam homini verbi causa non poſſunt communicari perfectiones puri ſpiritus, non proprietates equi, piſcis, adamantis & mille rerum maximarum & minimarum. Quia cum his omnibus ceſſaret eſſe homo.

rurſus

4. Rurſus etiam hoc certum eſt, hominem non poſſe habere talem naturam, tales proprietates, tales actiones, quæ in ſe ſint infinitæ actu, aut quarum aliqua ſit actu infinita. Nam & ſic ceſſaret eſſe homo. At populi cum de ſummo noſtri generis bono quærunt, non id quærunt utique quo homo deſinat eſſe homo.

ſuperfluus metus Wolffii, ne homo fiat infinitus.

5. Inepte ergo D. Wolffius quæſtionem de ſummo bono ad tam curtos terminos reſtrinxit, atque tam miſerum bonum homini aſſignavit, metu, ne, ſi majus quiddam deſignaret, homo finitus eſſe deſineret. Neque rite intellexit, ſaltem non advertit animum ad quæſtionem philoſophorum de ſummo bono. Non quærunt philoſophi, qualem naturam, proprietates atque actiones debeat habere homo, ut ipſe in ſe ſit abſolute ſummus phyſice in natura ſua propria? Nam præter Momum nemo Philoſophus fuit ita phreneticus, ut homini aliam naturam, quam qualem nunc habet, naturaliter quæreret aut admitteret. Duo autem in idem recidentia quærebantur de ſummo bono: ſive (1. *Quodnam ex omnibus bonis eſſet illud ultimum, quod homini eſſet poſſibile quærere?* ſive (2. *Quodnam eſſet omnium motivorum, quibus ad agendum homo impellitur, ultimum motivum, in cujus virtute cætera motiva omnia moverent, ipſum autem hoc ultimum motivum moveret per ſe?* Videatur omnino Platonis *Philebus* hanc quæſtionem ſubtiliſſime excutiens.

Status quæſtionis de ſummo bono.

Proprietates ſummi boni

6. Videbant autem, Philoſophi, hoc ultimum motivum ac ſummum bonum debere eſſe tantum, ut & totum genus humanum & tota natura eo comprehenderetur, & omnes *humanæ* actiones ad hoc deberent intendi. Ita quidem, ut, ſi nullum tale ultimum motivum daretur, nulla unquam eſſet obligatio hominis. Quia ubi nullum datur motivum nulla, datur obligatio etiam ex Wolffii ſententia: ubi vero non datur motivum ultimum, non dantur etiam motiva media, cum in finibus non detur proceſſus in infinitum, ut Ariſtoteles & D. Thomas probarunt: Igitur ubi non datur motivum ultimum ſeu ſummum bonum, nulla datur obligatio naturæ, nullum adeo naturæ jus, nulla naturæ lex. Et per hoc omnes illi, qui ſum̄um bonum falſum, nullum, inſufficiens ſtatuunt, Jus naturæ neutiquam verum, ſed Larvatum docent, ut Puffendorffius, Wolffius, Epicurus, Stoici &c.

Qui in ſummo bono errarunt, non docuerunt Jus naturæ Cur?

Beatitudo eſt adeptio ſummi boni.

7. *Beatitudo* ab omnibus habita eſt, ſi ad id bonum ſum̄um ac ultimum, propter quod homo agit omnia, poſſet denique pervenire, eique adhærere *ſine metu amittendi*; qui metus ortus eſt ab experientia, qua didicimus cetera bona media, quæ appetivimus, à nobis frequenter etiam poſt acquiſitionem eorum amitti, & amitti denique debere. Beatitudo autem ſeu conjunctio cum illo ſum̄o bono dici ſolet *objectiva*, cum conſideratur ipſum illud bonum beatum faciens hominem, & hæc eſt haud dubie infinita Beatitudo autem *formalis* dicitur illa acquieſcentia totius hominis in illo bono & in illa conjunctione ſua cum bono tali. Et hæc beatitudo ſubjective non eſt infinita, cum homo totus ſit ens finitum.

Infinitum quid, poteſt eſſe ſummum bonum hominis contra Wolffium.

8. Hæc iterum expendenti apparebit, D. Wolffium inidonea ratione infinitum aliquod bonum excludere à ſum̄o bono hominis; ſeu inepte illum aſſerere, illud non poſſe eſſe ſum̄um bonum hominis, quod eſſet abſolute perfectiſſimum Hoc enim qui negat is etiam adfirmare debet, ultimum motivum, quo homo ad actiones ſuas agitur, tantum poſſe eſſe finitum quid, ac tranſitorium. Quod idem nihil eſſet aliud, quam dicere: *Ultimum* motivum

tivum actionum humanarum debet eſſe *non-ultimum*, ſive debet eſſe medium tantum. Nam ultimum omnium motivorum ſeu bonorum moventium eſt illud, unde omnia motiva ac bona cætera movendi vim habent. Tale autem bonum eſt infinitum, ut vel ex terminis patet: & ſi non eſt infinitum, non eſt ultimum.

Hominem non poſſe ad beatitudinem pervenire

9. Fuere ergo ex philoſophis cœcis & aliis hominibus nonnulli debiliores, qui exiſtimarent, hominem etſi ſemper cuperet infinita & bona ſuma, nunquam tamen poſſe ad illa pervenire ſed ſemper illum in miſeriis & in ſtatu violento futurum. Qua opinione imbuti fuiſſe videntur Democritus & Heraclitus, contraria ratione: alter enim flevit homines tanquam miſerrimos, qui felicitatem in ſumo bono ſemper appeterent, ejusque cauſa omnia agerent, nunquam obtenturi. Democritus vero, ridiculo homines habuit, qui infinitis ſe laboribus obligatos crederent ad bonum ſumum acquirendum, quod tamen venari eorum nullus potuerit. In horum philoſophorum claſſe an reponendus ſit D. Wolffius, ipſe viderit. Certe qui dicit ſine exceptione, homini tanquam enti finito comunicari nequit perfectio ſuma, & bonum abſolute ſumum; is mihi videtur agnoſcere impoſſibile eſſe homini, *attingere* bonum vere ſumum, quod tamen ab homine *appeti* negare non poteſt. Unde D. Wolffius debebit hominem aut ſemper miſerum aut ſemper ſtultum agnoſcere, qui ea appetat, quæ acquirere ſit *impoſſibile*.

fuit opinio Democriti & Heracliti.

An & Wolffii?

Hæc ſententia periculoſa Religioni.

10. Poſſem hic inſinuare, quam periculoſa Religioni hæc ſit ſententia. Si enim *impoſſibile* eſt, homini tanquam enti finito comunicari *bonum abſolute ſummum*, falſæ erunt omnes divinæ revelationes de beatitudine ſupernaturali à DEO promiſſa ſuis electis, quæ beatitudo erit interna quædam comunicatio DEI cum homine. Nam homo etiam in beatitudine illa manebit homo ac finitus: Igitur etiam in illa beatitudine erit *impoſſibile* DEUM ipſi comunicari: Et conſequenter revelationes erunt de impoſſibilibus, & falſæ.

Senſit Wolffius errorem

Them. V. Senſit D. Wolffius, à ſe non recte in jure naturæ conſtitui Summum Bonum, ſed mederi non amplius potuit, quia principia ſua mutare noluit.

1. Senſit, inquam, D. Wolffius, quam parum ſumi boni eſſet in ſumo bono à ſe deſignato, nempe in perpetuo progreſſu ad majora. Nam videas, quam procul iſta abeſſent à mente doctorum, imo & à ſenſu comuni hominum, prævididit, non poſſe deeſſe, qui cauſam humani generis contra ipſum acturi eſſent, & pro bono haud paulo meliore certaturi. Quocirca ſepem ſibi ex Academia circumdare voluit: nempe: *Quodſi quis*, inquit, *de ſummo bono aliter ſentiat ei litem non movebimus.* Sponſione rem tranſigere parat. Quia metuo, ne meum errorem aggrediamini, ecce prior vobis pacem offero: non vobis litem moveo, ſentite, docete, quæ cuivis in mentem aut in buccam venerint. Tantæ meæ humanitati, cum ſitis philoſophi, ſcietis digne reſpondere, & mihi quoque tacite roganti eadem permittere, quæ vobis indulſi non rogatus. Tu Stoice fac ſumum bonum eſſe indolentiam, per me licet; Tu Epicure fac ſumum bonum voluptatem; Tu Puffendorffi felicitatem & pacem hujus vitæ, nihil pugno. Imo arma etiam ipſe vobis ſubminiſtro, quibus tueri vos poſſitis. Exemplo enim meo dicere utique Epicure potes: *Lubet mihi VOCABULUM in hoc accipere ſignificatu, quod mihi utique conceſſum? Sufficit, in dubium revocari minime poſſe, quod detur hoc ſenſu* (nempe voluptatis) *ſummum bonum, quodque idem ſit in poteſtate hominis.* Nam Epicurus inter Podagræ dolores dixit ſe voluptate frui. Et qui mihi non concedet, perget Epicurus, vocabulo ſumi boni ſic uti, ut per illud ſignificetur voluptas, illum dicam litem excitare vocabulariam, & eſſe rudem Logicæ ac Ontologiæ.

ideo rem in dubio relinquit

ut quivis pro lubitu ſibi fabricaretur ſummum bonum.

& omnibus ſubminiſtrat excuſationem vocabulariam;

Cura de vero bono omiſſa.

2. Quis non videt, hac pugnandi & à pugna abſtinendi ratione totum interim negotium de ſummo bono *vero* omitti, & per diverſos à diverſis ſubſtitutos *vocabuli* hujus ſignificatus id denique evenire, ut *ſummum bonum* revera nonniſi *vocabulum* eſſe appareat, nihil certi ſignificans, ut *Blittri*. At, non conſtituto quodnam revera ſit ſummum hominis bonum, vanum caſſumque eſt omne jus naturæ; quia hoc non conſtituto non repræſentatur homini verum ultimum motivum omnium actionum, adeoque non vera obligatio naturalis, ſed tantum imaginaria quædam pro cujusque phantaſia aſſumpta.

quo tamen non conſtituto vanum eſt Jus naturæ.

Excuſatio Wolffii rem facit deteriorem.

3. Haudquaquam vero ſufficit dicere: *Datur hoc ſenſu bonum ſummum.* Nam hæc nihil aliud ſignificant, quam hoc: *Datur id, quod ego dico ſignificari per vocabulum ſummum bonum.* Si hoc

eſt

& accommodatam Epicureis.

eſt fundamentum & ratio ſufficiens deſignandi aliquid pro ſummo bono, nihil erit ita abjectum & abſurdum etiam, quod pro ſummo bono homini aſſignari non valcat à quocumque etiam febricitante philoſopho. Nam dicet aliquis ex Epicuri hara: *mihi lubet vocabulum ſummi boni in hoc ſignificatu ſumere, nempe ut per illud indicetur voluptas ventris.* Indignanti mihi & parcum non hominem vocitanti, ſe defendet, dicens: *Sufficit, in dubium revocari minime poſſe, quod detur hoc ſenſu bonum ſummum:* ſive quod detur ea voluptas, quam ſignificari dixi per vocabulum ſummi boni. Videat jam, ſaltem juventutis miſertus, D. Wolfius, quo evadant ipſius demonſtrationes ac jura methodo ſcientifica tradita.

In anguſtias conjectus Wolfius per ſua principia

& miſericordiam inutilem erga Atheos

4. In has anguſtias conjectus eſt acutus philoſophus per ſua principia conſtitutiva juris ſeu legis naturæ. Probe agnovit, id quod agnoſcunt omnes. *In moralibus idem eſſe principium ac finem.* Jam miſeratione ductus Atheorum, elegit rationem ſufficientem ſeu principium legis naturæ conſtituendæ tale, quod DEUM omitteret, aut excluderet. Igitur, ne non cohærerent ultima primis, (contra methodum ſcientificam) inter magnos licet angores coactus tamen eſt, finem etiam ſeu bonum ſummum ſtatuere tale, in quo nulla appareret ratio Deitatis: ne offenderetur Atheus. Ne tamen etiam ipſe ſentire videretur cum Atheis, initio §. 46. mentionem incidenter fecit de fine *à DEO intento*, & poſtea DEUM etiam ipſum auctorem legis naturæ fecit, & §. 374. Bonum ſummum à ſe *fine DEO* conſtitutum excuſavit tanquam non ſerio ita determinatum, ſed tantum ex *lubitu* arbitrario, & ex ultronea aliqua hypotheſi, quo facilius iterum ſuum bonum ſummum conciliaret cum hypotheſi Atheorum. Non damno miſericordiam Wolffii erga Atheos; ſunt enim miſerrimi. Verum miſericordia ad tollendam miſeriæ cauſam tendat oportet, non ad illam alendam; ne dicam ad pios etiam ſubvertendos. Sic qui homini ſervo lethargo laboranti præberet oppium, & ex eo faceret tantundem ſumi à reliqua familia etiam ſana, is & ſervum perimeret, & familiam exponeret.

quam miſericordiam aliter oſtendere debuiſſet.

Bonum ſummum Wolffii conſiſtit in mediis.

Them. VI. D. Wolffius conſtituit ſummum bonum in mediis ad ſummum bonum.

Probatur ex ipſo.

1. *Summum bonum acquiritur cuſtodia legis naturalis* §. 376. At *cuſtodia legis conſiſtit in determinatione actionum noſtrarum ſecundum legem naturæ* §. 138. Sive in committendis actionibus ad perfectionem noſtram tendentibus §. 152. &c. *Igitur cuſtodiâ legis naturalis progredimur continuo ad majores perfectiones* §. 376.

Cuſtodiâ legis N. progredimur ad perfectiones

2. Hæc eſt ipſius D. Wolffii argumentatio, in cujus conſequente hoc notandum eſt, quod ipſe rem non bene exprimat. Nam ait: cuſtodiâ ſeu *per cuſtodiam* legis naturæ nos continuo progredi ad majores perfectiones. Quod non ſic intelligi poteſt, quaſi *cuſtodia legis & progreſſus ad perfectiones* eſſent duo diverſa: aut quaſi cuſtodia legis eſſet medium ad acquirendum progreſſum in perfectione. Sed ea locutio D. Wolffii, ut ſæpe aliàs, *intranſitive* tantum poteſt intelligi: cuſtodiâ acquiritur progreſſus; id eſt *cuſtodia ipſa legis eſt ipſe progreſſus ad perfectionem.* Ut alias dici ſolet morte morieris: non quod mors eſſet medium ad moriendum, ſed quod mors ſit ipſum mori. Niſi enim ſic exponatur dictum Wolffii, non verificabitur ejus minor propoſitio allegans §. 138. nempe cuſtodia legis naturalis conſiſtit in determinatione actionum noſtrarum juxta eam legem obligantem nos ad actiones tendentes ad perfectionem noſtram. Si enim cuſtodia legis eſt *tantum via* ad determinationem actionum legi convenientium, falſum eſt, quod cuſtodia *conſiſtat* in hac determinatione, ſeu quod *cuſtodia ſit ipſa* determinatio actionum; id quod tamen Wolffius in illa minore propoſitione affirmat. Quoniam ergo conſequens non aliam poteſt habere expoſitionem, quam præmiſſæ (nî ſyllogismus ſit ſophiſticus) in conſequente quoque *cuſtodia* & *progreſſus* ille ad perfectiones non ſunt duo diverſa ſed idem. Quia cuſtodia legis eſt *commiſſio actionum* ad perfectionem tendentium, & progreſſus ad majores perfectiones etiam ipſe eſt *commiſſio actionum* ad perfectionem tendentium. Hæc ſpinoſa ſunt, & ingrata legentibus, meliora ac honeſtiora ſperantibus: ſed Wolffii methodus ea nos contrectare cogit.

intranſitive;

aliàs cuſtodia non *conſiſtet* in determinatione actionum juxta legem.

ſed eſt *via* ad determinationem &c.

Excuſo ſpinoſitatem harum rerum. Wolffius me adegit.

3. Jam vero ſi ita, quemadmodum dixi, Wolffii ſententiæ exponi debent, incidit in conſultam tautologiam. Sic enim ſonat illius theſis §. 376. *Summum bonum acquiritur cuſtodiâ legis.* Hoc eſt: *Progreſſus ad majores perfectiones acquiritur progreſſu ad majores perfectiones.* Sive *Continuo committen-*

Wolffii tautologia;

Progreſſus ad perfectiones acquiritur progreſſu.

do actiones ad perfectionem noſtram tendentes acquirimus continuam commiſſionem actionum ad perfectionem noſtram tendentium.

Syllogiſmus identicus.

4. Nec felicior eſt ſubjuncta hujus theſis probatio: Nam major propoſitio conſideranti hunc præfert ſenſum: *Progreſſus in actionibus ad perfectionem noſtram tendentibus eſt conformis legi naturæ.* Minor deinde ſic ſonat: *Atqui Cuſtodia legis naturæ conſiſtit in progreſſu in actionibus perfectionis.* Concluſionem facit talem: *Ergo cuſtodia legis progredimur ad perfectionem.* Sed necdum ſatis tautologiarum. Pergit ſubſumendo: *Atqui Progreſſus iſte ad perfectionem eſt ipſum bonum ſummum: Ergo cuſtodia legis, id eſt progreſſu ad perfectionem acquirimus bonum ſummum ſive progreſſum ad perfectionem.*

Non poſſunt aliter verba Wolfii exponi

5. Haud dubie expoſtulabit Illuſtris Wolffius, me verba illius pro lubitu fingere, talia ſe non dicere, hac argumentandi ratione non uti. Verum ego non verborum corticem attendo, ſed quid conformiter prioribus ſuis doctrinis verba in ſinu continere poſſint ac debeant? Hoc autem, ut neceſſe eſt, ſpectato, æquis lectoribus judicandum do, num aliter exponi illa Wolffiana poſſint. Nempe quid eſt cuſtodia legis? Eſt certe commiſſio actionum legi conformium ſeu ad perfectionem tendentium. Quid autem eſt comiſſio talium actionum, niſi progreſſus ad perfectionem. Igitur & cuſtodia legis, & commiſſio actionum perfectarum, & progreſſus ad perfectionem, & bonum ſummum, & medium ad perfectionem multa quidem vocabula ſunt, res autem una. Ex quo non poteſt non argumentatio tautologica naſci. Sicut ſi dicerem: Enſis eſt gladius: ſed gladius eſt acinaces, & acinaces eſt machæra: ergo enſis eſt machæra.

multa vocabula, res una.

Effugium vanum.

6. Excipiet D. Wolffius. Cuſtodiam legis, & progreſſum ad perfectionem in hoc differre, quod progreſſus ſit *continuus*, cuſtodia autem temporanea & abrupta. Nihil id juvat Wolffium. Etenim lex naturæ non obligat ad unam vel alteram actionem ſic committendam, ſed ad omnes. Ergo comiſſio unius aut alterius actionis bonæ non eſt ſimpliciter cuſtodia legis: maxime ſi ſermo eſt, ut eſt hoc loco, de cuſtodia, qua ſummum bonum acquiritur, ſive quæ eſt *continuus* progreſſus in perfectione. Diu eſt, quod ingenti cum faſtidio has tricas detrico. Sed, ut dicere cœpi, D. Wolfii logodædula methodus abhorrentem ab his animum dura neceſſitate fœde ſubjugavit.

Bonum ſummum Wolffius conſtituit in medio.

7. Ex iſtis quoque colligitur veritas thematis noſtri, nempe à D. Wolffio ſummum bonum repoſitum eſſe in via aut medio ad bonum ſummum. Progreſſus enim ad perfectionem eſtne ipſa perfectio, vel eſt via ad perfectionem? Si eſt ipſa perfectio, eſt acquiſitio termini: acquiſitio autem termini utique non eſt progreſſus ſeu via ad terminum; niſi procedere velis in infinitum. Quodſi autem progreſſus iſte non eſt ipſa perfectio, ſed via ad illam; quomodo iſte progreſſus manens ſemper progreſſus perficiet unquam hominem? & quomodo homo nunquam ad perfectionem veniens, nunquam venturus, poterit dicere, ſumum ſe bonum habere? Via verſus Romam, & progreſſus in ea via nec Roma ſunt, nec viſio Romæ, nec adventus Romæ. Progreſſus arboris continuus & non impeditus ad ſolia & ad flores proferendos, tendentes quidem ad fructum ſed nunquam pervenientes, non ſunt ſumum arboris bonum, ſed via ad ſumum, isque hortulanus merito rideretur, qui profiteretur artem demonſtrativam arbores producendi ad ſumum quod ab ipſis exſpectari poteſt bonum; rideretur is, inquam, ſi fundamentalis hujus artis & hujus doctoris propoſitio conſiſteret in hoc: Summum bonum arboris eſt continuus progreſſus ad majores indies perfectiones, id eſt ad ſuccum pellendum, ad ſolia, ad flores, ad groſſos, idque eo uſque donec moriatur, etiamſi centum ac ducentis annis vixerit arbor. Non diſſimilis eſt doctrina D. Wolffii de arbore morali homine.

Alii Philoſophi ſtatuerunt bonum ſummum certum:

8. Enimvero hoc ipſum eſt meum artificium, inquiet D. Wolffius, quod ego prudenter aſſero, homini non poſſe communicari ſumam perfectionem, ſed ipſum ſemper eſſe in via ad eandem. Cæteri enim philoſophi ſtatuerunt voluptatem, indolentiam, pacem externam, felicitatem hujus vitæ, quæ ſunt res determinatæ. At ego vidi, iſta à philoſophis defendi cum ratione non poſſe. Itaque verti animum in partem oppoſitam, & ſtatui pro ſummo bono aliquid indeterminatum, & ſemper in fluxu exiſtens. Idque jam agnovit Socrates apud Platonem ſupra citatum, nempe felicitatem *hujus vitæ* conſiſtere in continua infuſione & effuſione, nunquam in permanentia ſeu impletione. Hac arte ego ſecurus ſum omnium telorum in cæteros philoſophos congeſtorum.

Wolffius eos correcturus ſtatuit indeterminatum.

rum. Quidquid enim mihi objicietur contra aliquod determinatum Bonum ſumum, ſemper ego facillime declinabo ictum, dicens, me nullum determinatum ſumum bonum admittere, ſed mihi *lubuiſſe* per *vocabulum* ſummi boni nihil aliud intelligere, quam continuum fluxum & progreſſum: idque mihi utique *licuiſſe*, eò quod talis progreſſus *detur* & in *poteſtate* hominis ſit?

Male.

9. Infelicitatem hujus Wolffiani artificii jam deteximus ſuprà Them. V. Ex Socratico fluxu: & nos & ipſe Socrates longe alia, quam Wolffius, collegimus, nempe bonum ſummum obtineri poſſe: non autem obtineri in hac vita: igitur debere obtineri in alia.

Wolffius perit excuſare.

10. Neque evadit D. Wolffius per hoc, quod in nota §. 381. inſinuat: *Habitus edendi actiones, quibus nos ſtatumque noſtrum perficimus, & progreſſus non impeditus ad majores indies perfectiones non ſunt unum idemque, ſed omnino à ſe invicem differunt: pro eodem haberi nequeunt, ſi ab omni errore immunit eſſe velis.* Ex hoc ejus aſſerto videtur poſſe negare Wolffius ea, quæ hactenus diximus de identitate ſummi boni, progreſsûs non impediti, cuſtodiæ legis &c. Noſtra enim argumentatio nitebatur hoc fundamento, idem eſſe ſummum bonum, idem progreſſum ad perfectionem, idem cuſtodiam legis naturæ &c. Igitur ſi hæc non ſunt idem ſed *omnino differunt*, videbitur inanis eſſe noſtra argumentatio, & videbimur ſine cauſa D. Wolffium inſimulaſſe battologiæ ac circuli.

Sed noſtrum argumentum ſtringit.

11. Verum enimvero noſtræ argumentationis vis illæſa manet, utcunque habitus edendi actiones perſectas diſtinguatur à progreſſu ad perfectionem. Equidem ſi dignatus eſſet magnus philoſophus, indicium nobis facere, quomodo iſta inter ſe differant, facilius rem conficeremus. Hoc autem gratiæ cum nobis negaverit, permittet nobis ſuſpicari de ea differentia. In noſtra quidem Ontologia ac Pſychologia videtur habitus edendi actiones perfectas à progreſſu continuo ad perfectionem non aliter differre, quam ſicut *facultas* ab *actu*, aut ſicut habitus ab actu manante ex habitu. In exemplo: Habitus cantandi omnino differt à continua cantatione, vel à continuo profectu ad cantandum perfectius. Nam primo etiam is, qui habitu tali prædictus eſt, ſæpenumero tamen neque cantat, neque magis progreditur ad perfectionem cantus, ſed manet Joannes in eodem. Item qui etiam habitu nondum prædicus eſt, ſed incipit eum acquirere, tamen progreditur continuo ad perfectionem cantûs majorem. Habitum etiam dormiens habet, actualem progreſſum non habet.

Habitus proficiendi à profectu ot diſtinguatur!

12. Ejusmodi diſtinctionem inter habitum progrediendi & inter actus progrediendi nos etiam omnino lubentes agnoſcimus. Ex hoc autem ipſo vis argumenti noſtri roboratur. Nam ex jam dictis D. Wolffius conſtituit ſummum bonum *in ipſo actu progrediendi* ad perfectionem, & *non in habitu progrediendi*, qui omnino differt ab ipſo actuali progreſſu. Hoc autem poſito, argumentum noſtrum totam ſuam vim habet, hoc fere modo: *Summum bonum eſt ipſe actualis* (non mere habitualis) *progreſſus ad perfectionem &c. Actualis progreſſus ad perfectionem eſt ipſa actualis cuſtodia legis naturæ. Actualis cuſtodia legis naturæ eſt medium ad obtinendum ſummum bonum.* Ergo ſumum bonum eſt medium ad ſumum bonum. Et alia præterea ſalva manent, quæ paulo ante D. Wolffii doctrinæ ac docendi methodo objecimus.

Them. VII. Dominus Wolffius nullum omnino admittit Bonum ſummum hominis.

Wolffius nullum admittit ſummum bonum

1. Nam DEUM, qui ſolus vere eſt ſumum bonum, poſitive excludit.

Deum excludit.

2. Progreſſus ille non impeditus etiamſi daretur, non eſt hominis ſummum bonum, ſed *dicitur* tantum tale pro *lubitu* Wolffii; in ſe autem eſt tantum via & conatus ad ſumum bonum. Isque ipſe finitur, ceſſat, & in nihilum redigitur ceſſante corporis vita hac.

Progreſſus *dicitur tantum ſummum bonum* in ſe eſt non niſi medium,

3. Deinde ſi progreſſus iſte eſt ſummum bonum, erit ſumum bonum jam magnum jam parvum, jam valde exiguum; jam perdetur, jam occupabitur, & iterum perdetur, & ad ultimum neceſſario erit perdendum ſine ſpe reverſionis. Jam enim proficit homo parum, jam multum, jam rurſus deficit: denique moritur, & bonum ejus ſummum in fumos abit.

& modo parvus modo magnus.

4. In hac ergo vita illud Bonum ſummum, quod dicit Wolffius, neutiquam eſt ſummum bonum, neque ullam habet proprietatem ſummi boni, ſed ſemper nonniſi valde parvi.

5. Alteram autem vitam, in qua ſummum bonum poſſet homini contingere, non agnoſcit Wolffius §. 317. Vel, ſi illum paragraphum huc traduci non pati-

Alteram vitam non agnoſcit.

patitur, ſaltem nullibi *in ſuis principiis* ejus facit mentionem. Igitur *nullum* bonum ſummum admittit Wolffius.

Pro ſummo bono ſtatuit magnum malum.

Thеm. VIII. D. Wolffius pro ſummo bono ſtatuit magnum malum.

1. Equidem hoc ex antecedentibus eluceſcit, clarius tamen & magis proprie ad hoc thema, eſt explicandum. Magnum malum eſt in jure naturæ, actiones humanas carere motivo actionum omnium certo & conſtanti. In jure autem naturæ Wolffiano, quidquid verbis ludatur, reapſe deeſt tale motivum. Motivum enim totius cuſtodiæ legis eſt Bonum ſummum: Bonum autem ſummum eſt progreſſus continuus ad perfectionem, qui progreſſus realiter nihil eſt niſi ipſa cuſtodia legis totius: Ergo cuſtodia legis totius pro motivo habet cuſtodiam legis totius. Hoc autem non eſt motivum actionis, ſed ipſa actio. Sicut Romani itineris motivum nullum eſt ſi Roma non eſt, ſed tantum via. Sicut eundi motivum nullum habeo, ſi tantum eo ut eam, tantum ago ut agam.

Malum eſt, bonum hominis non differre à brutis.

2. Magnum malum eſt, in bono ſummo acquirendo hominem non differre à brutis, cum tamen ab iis differat obligatione. Bruta enim & res exanimes omnes ac ſemper ita agunt & exercentur, ut *progreſſum faciant in perfectione ſua eſſentiæ*: præter hæc autem nihil intendunt, nihil acquirunt, quam continuam actionem ſuam. Id ergo ſi etiam homini eveniat, magni mali loco habere poteſt, quod cum ipſe obligetur moraliter, bruta non obligentur, nihilo tamen meliore ſorte quam bruta gaudeat.

Effugium Wolffii.

3. Excipiet D. Wolffius dicens: hominem utique habere nobiliores actiones & perfectiones, & per hoc differre à brutis, quod homo progrediatur, ſeu bonum ſummum acquirat in actionibus intellectivis & liberis, bruta autem ſuum bonum ſummum acquirant in actionibus naturalibus tantum. ℞. Hæc differentia eſt *materialis*, nec tangit rationem ſummi boni nec obligationem ex eo oriundam. Nam hæc differentia nobilitatis actionum inter hominem & bruta daretur, etiamſi nulla eſſet obligatio homini impoſita: cum etiam nulla ſuppoſita obligatione homo qua homo ſemper ageret intellective, ſemper libere. Idque naturaliter ſeu neceſſariò ageret; quia *non poteſt aliter* agere, quam intellective & libere; ſicut bruta non poſſunt aliter agere quam nunc agant. Argumentum autem noſtrum conſiſtit in hoc: Summum bonum Wolffianum *in genere* eſt, ſi quodcumque agens agat continuo convenienter *ſuæ naturæ*: Sed hoc agunt æque bruta, & magis hoc agunt quam homo: Igitur Bruta æque ac magis habent ſummum Bonum quam homines. Igitur Bruta æque beata ſunt, æque obligata jure naturæ, æque capacia præmii naturalis. Nulla erit diſtinctio, quam quod homo *has* actiones ponat, culex ponat *alias*, in utrisque tamen erit bonum ſummum morale: aut in utrisque nullum bonum ſummum morale.

Malum, excidere à ſummo bono poſſe.

4. Magnum malum eſt in curſu morali, obnoxium eſſe periculo excidendi bono ſummo in ſingula momenta, & tamen nullum habere auxilium niſi in ſe ipſo periculum patiente. Homo in ſingula momenta poteſt à progreſſu deficere, legem naturæ non ſervare, id eſt amittere ſuum bonum ſummum. Et tamen ex Wolffii miſera Juris naturæ doctrina nullum habet auxilium, quam eſſentiam ſuam ac rerum, quæ tamen ipſa periculum creaverat aut certe experta fuerat. Si bonum ſummum eſt vere ac *philoſophice* bonum, ſpes auxilii ab eodem bono debet pendere, unde omnia bona debent fluere. Potuiſſent Wolffium inſtruere pagani etiam de infima plebe, qui apud Tertullianum animam naturaliter Chriſtianam habentes in periculis non invocabant eſſentiam ſuam ac rerum, ſed DEUM, illum agnoſcentes eſſe bonum melius ſuamet humana ac rerum natura; aliàs enim invocâſſent ſuam eſſentiam, aut eſſentiam ſolis & ceterarum rerum, in quibus Wolffius conſtituit legem naturæ.

& carere auxilio recuperandi.

Malum, labore lucrari nonniſi laborem.

5. Magnum eſt malum, neceſſario agnoſcere hominem, ſe omnibus totius vitæ actionibus humanis tam gravibus nihil aliud obtinere ac ſperare poſſe, quam eas ipſas omnes actiones ſuas graves & laborioſas. Laborare tantum ut laboret; ſerere ſemper tantum ut ſerat; captare ſemper cum Tantalo poma, tantum ut captet; Saxum volvere cum Siſypho ſemper tantum ut volvat. Ut adeo bonum ſummum Wolffianum Poëtæ inter pœnas infernales numeraverint. Sicut numerarunt etiam ejuſdem continuum fluxum; repræſentantes illum in dolio Danaidum ſororum, cui illæ ſemper infundant, compleant nunquam.

6. Ma-

Malum, in S. Bono plus mali eſſe quam boni.

6. Magnum malum eſt homini ſcire, quod in ſummo bono plus mali contineatur quam boni. Homo etiam ſtudioſus & ſatagens vitæ bonæ, cum ad ultimam horam veniens conſiderabit præterita ſua, neſcio an non plura in actionibus ſuis cernat, quæ diſpliceant, quam quæ placeant. Experientiâ certa diſcimus, pleriſque hominibus ita accidere in illo articulo. Jam ille homo Wolffianus in hoc maxime articulo deberet bonum ſuum ſumum id eſt progreſſum in perfectione agnoſcere: ubi contrà agnoſcit in hoc ſuo ſummo bono plus mali eſſe quam boni. Eat jam aliquis & moriatur cum Jure naturæ Wolffiano. Quid autem prodeſt tale jus naturæ, cum quo non fidenter moriar, inquit Gundlingius.

Malum, ex natura ſummi boni duci in deſperationem.

7. Magnum malum eſt, ex ipſo jure naturæ & ex natura ſummi boni duci ad deſperationem. Homn qui triginta annos vixit tepide & vacillando inter bonum & malum, (id maximæ hominum parti ſolo lumine naturæ viventi convenit) anno poſtremo decumbit ad mortem. Recogitans dies præteritos non invenit continuum progreſſum ad perfectionem: atque adeo non invenit in ſe bonum ſumum. Quærit ex Wolffio. Quid faciam? Jubebit illum Wolffius vel nunc incipere, & continuo progredi. Dicet ille: Inſanis Wolffi. Triginta annis carui ſummo bono, & tribus quæ ſuperſunt horis, ſubito bonum ſummum apprehendam inter hos dolores, has inter anguſtias &c. Nunc ego demum faciam *continuum & NON IMPEDITUM progreſſum ad majores INDIES perfectiones?* §. 382. Bonum ſummum acquirere non eſt *unam actionem* bonam committere ſed *continuo* progredi. Egò autem jam in eo ſum, ut unam tantum actionem bonam ægre committere poſſim: igitur in eo ſum, ut non poſſim obtinere bonum ſummum. Deſpero. Eat jam aliquis animo imbecillis & moriatur cum Jure naturæ Wolffiano. Quid autem prodeſt tale jus, cum quo non niſi deſperans moriar?

Diceret fortaſſe huic miſero Wolffius, ad DEUM te converte: ille bonus eſt, miſericors eſt, ille te creavit. Reſpondebit miſer: quid ad me DEUS. DEUS meum bonum ſummum non eſt. Quod DEUS facturus eſt faciet, impedire nequeo: ſed bonum meum ſummum ubi eſt? quod nec obtinui nec obtinere jam poſſum. Morior miſerrimus. Nihil ſupereſt Wolffio quam ut dicat: Morere ergo miſerrime, ac deſpera, quia jus naturæ meum non ſervaſti, nec continuo progreſſus es in actionibus ſecundum tuam & rerum naturam determinandis. Aut ad mitiora forte converſus D. Wolffius dicet miſero: Ego te non docui, hoc eſſe *revera* ſummum bonum: ſed hoc tantum ſcripſi: mihi *lubere* hoc *vocabulum* in hoc ſignificatu ſumere. Nonne proteſtatus ſum clare, me non movere litem cuiquam, qui ſummum bonum *aliter* vellet accipere? Quid igitur mihi culpæ vertis? Sumpſiſſes bonum ſummum aliter: egn te ad hoc non adegi. O quanta conſolatio homini morienti in jure naturæ Wolffiano ſcientifica methodo demonſtrato! Heu cur iſtud tot annorum millibus ignorârunt miſeri mortales! Cur animarum præcipue paſtores tantæ virtutis alexipharmaco non continuo utuntur?

Malum, neceſſario amittere Bonum ſummum.

8. Magnum malum eſt illud bonum ſummum, quod vix acquiſitum, *ex ipſa lege naturæ* indiſpenſabiliter dimittendum eſt etiam à nolente, & à repugnante. Bonum ſummum eſt progreſſus non impeditus ad majores continuo perfectiones: At progreſſus non impeditus ad perfectiones etiam Confucianis millies milleſies majores *ex ipſa lege naturæ* dimittendus indiſpenſabiliter eſt etiam à repugnantibus: Igitur bonum ſummum ex lege naturæ dimittendum eſt indiſpenſabiliter etiam à repugnantibus. Nam Lex naturæ eſt eſſentia & natura humana ac rerum: At ex eſſentia & natura humana ac rerum indiſpenſabiliter moriendum eſt etiam repugnantibus: morientibus autem indiſpenſabiliter dimittendus eſt progreſſus non impeditus ad majores continuo perfectiones. Igitur ex lege naturæ indiſpenſabiliter etiam à repugnantibus dimittendus eſt iſte progreſſus ſeu ſummum bonum. Quanta conſolatio homini morienti in Jure naturæ Wolffiano!

Effugium Wolffii.

5. Dicet Wolffius: Nego ſuppoſitum, quod homo cuſtodiens legem naturæ poſſit repugnare huic amiſſioni ſummi boni: quin potius ille homo ſicut in aliis rebus obtemperavit legi naturæ, ſic obtemperabit etiam in hac, ſecundum illud Ciceronis: *Sapientiſſimus quisque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo.* Imo hoc præcipuom eſt legis naturæ opus (das Meiſterſtück, le Chef d'Oeuvre) libenter mori. Verum detegenda eſt hic maxima, quæ in orbe terrarum morali eſſe poteſt, deceptio. Libenter mori non eſt ſine diſcrimine & diſtinctione,

ne, non eſt ſemper effectus & obſequium bonum legis naturæ. Homo tota vita ſceleſtus, & conſcius Dei vindicis, libenter forte moreretur *totus;* quia mortem in lucro numerat, tanquam ſuffugium pœnæ commeritæ: ut alibi indicavimus. Homo bonus, conſcius DEI, libenter moritur ſecundum corpus, qui ſcit, unde mercedem bonorum ſperet ſecundum animam. Homo vero Wolffianus, qualis eſſe tam impius quam *phyſice* pius poteſt, quomodo libenter moriatur & ad libenter moriendum obligetur lege naturæ, non equidem video. Sumamus hominem Wolffiano modo perfectum. Is homo methodo ſcientifica ac demonſtrative certus eſt à priori, ſibi ex lege naturæ incumbere neceſſitatem moralem *ad habendum ſummum bonum.* Ergo is ipſe homo demonſtrative certus eſt, lege naturæ ſibi non incumbere neceſſitatem moralem ad *non-habendum ſummum bonum.* Sed ſi lex naturæ obligat hominem ſapientem ad moriendum, imponit ei neceſſitatem moralem ad non habendum ſeu ad dimittendum bonum ſummum. Igitur homo Wolffianus ſapiens demonſtrative à priori certus eſt, ſe lege naturæ non obligari ad moriendum. Atqui homo ſapiens Wolffianus demonſtrative ea, quæ ſunt obligationis naturalis cum gaudio facit, §. 348. 345. & ea, quæ contra illam ſunt, cum faſtidio facit. Ergo homo Wolffianus demonſtrative non libenter moritur. Idem aliter ſibimet demonſtrabit ſapiens Wolffianus. Lex naturæ obligat ad actiones intrinſece bonas, ſeu ad perfectionem noſtram ac ſtatus noſtri tendentes: Atqui mori, id eſt amittere bonum ſummum, ſive continuum progreſſum ad noſtram perfectionem non eſt actio intrinſece bona ſeu ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendens: igitur lex naturæ nos non obligat ad moriendum, ſeu ad amittendum bonum ſummum. Multa præterea in hanc rem dici poſſent. Unde conſequitur, hominem ſapientem Wolffianum aut mori prorſus indifferentem; aut mori ut canem; aut mori inter horribiles anguſtias: ac denique aliud ei ad bene moriendum non ſuppetere auxilium, quam ut maledicto Jure naturæ ac ſummo ejus bono Wolffiano vertat ſe ad doctrinam ſanam, & ad verum, ſummum ac incommutabile bonum ſuum DEUM, & ex toto corde pœniteat, Wolffianis veneficiis decepto ſibi DEUM pro ſummo bono hactenus cultum quæſitumque non fuiſſe.

Malum, Summi Boni ſecurum eſſe ſceleratum, h. e. Atheum.

10. Magnum eſt malum illud ſummum bonum, cujus obtinendi ſere æque ſecurus eſt ſceleratorum ſceleratiſſimus, ac pius quisque. Sceleratiſſimum hic ſuppono eſſe Atheum. Atqui Atheus poteſt habere rectitudinem actionum, & actiones intrinſece bonas committere, hoc eſt cuſtodire legem naturæ, ſeu progreſſum ad perfectionem facere, ac denique ſummum bonum obtinere: dempta nonniſi lacinia quadam, ad rationem intrinſecam legis naturæ non pertinente, conſequenter ſupererogatoria, id eſt, repræſentatione ſeu imaginatione gloriæ divinæ. Probus autem & bonus homo nihil poteſt ultra facere, niſi hoc ipſum nempe commiſſionem actionum intrinſece bonarum; & niſi ut addat illam repræſentationem gloriæ divinæ, quæ in ipſa lege naturæ non habet ſufficientem rationem ſed extranea eſt; alioquin lex naturæ eſſet dependens à DEO, & dependenter à DEO regularet actiones bonas: quod prohibet Wolffius. Igitur ſceleratiſſimus idem ſummum bonum obtinebit, quod pius quisque. Præterea Wolffius §. 338. *Virtutem* Philoſophicam concedit etiam Atheis, tametſi careant *pietate* tanquam aliquo *gradu virtutis* §. 339. Deinde vero §. 381. ſtatuit, *Virtute præditum ſummo bono frui ſeu beatum eſſe:* idque ſimpliciter aſſerit, quin exigat ad beatitatem talem aut talem gradum virtutis: conſequenter virtuti etiam Atheiſticæ debet concedere beatitatem & ſummum bonum.

Malum eſt probis non plus eſſe ſpei quam Atheis.

11. Magnum malum eſt illud bonum ſummum, quod homini DEUM colenti non plus *ſpei* tribuit, quam homini Atheo. Atheus moriens ſcit demonſtrative per Wolffium, ſe adeptum eſſe ſummum bonum, & nullum ultra ſupereſſe bonum credit, aut illud neſcit. Itaque ſcit ſe adeptum eſſe omnia, quæ poterat adipiſci: poteſt ergo credere, ſe vere beatum eſſe. Contra homo timens DEUM ſcit, ſupereſſe etiam aliud bonum valde magnum, DEUM nempe. Itaque etiamſi demonſtrative ſciret per Wolffium, ſe hactenus continuo progreſſum eſſe in perfectione extra DEUM, adeoque ſummum bonum adeptum eſſe; tamen firmiter etiam perſuaſum habet, ſupereſſe aliud bonum magnum, DEUM, quem hactenus nec adeptus ſit, nec adipiſci quæſierit. Credit ergo ſibi aliquod valde magnum bonum deeſſe. Ergo non poteſt firmum aſſenſum ſibimet præbere de ſummo bono jam acquiſito, utpote cui aliud bonum tam magnum deſit.

ſit. Igitur iſte bonus vir moriens ſcit & non ſcit: ſcit ex logodædalia Wolfſiana: nonſcit, quia habet magnum ac fundatum metum oppoſiti. Et in tali perplexitate quæ poteſt eſſe conſolatio, niſi damnare jus Wolffianum, & ad DEUM converti;

Malum maximum eſt, quod verum bonum ſummum ſolum expreſſe excludit.

12. Malorum omnium maximum eſt illud Bonum ſummum, quod verum ac ſolum bonum ſummum excludit: id eſt *DEUM*. Atque hoc eſt fundamentum totius impietatis & injuſtitiæ. Quemadmodum DEUM pro ſummo Bono, uti revera eſt, habere, fundamentum eſt unicum totius pietatis & juſtitiæ. Hoc effatum ſi ultra comprobandum ſuſciperem, actum ſane agerem.

Plura de D. Wolffio non diſputo, qui ſola illius Juris naturæ Principia ac Finem examinanda mihi ſumpſi. Viri doctrinâ me multo majores & acutiores his plura cernent, &, ſi ipſis videbitur, excutient.

Excuſatio vana ſcriptorum profanorum Juris naturæ.

An Jus naturæ ſcribendum pro Atheis?

1. Dicunt iſti; Poſſibile, eſſe ut aliquis homo ratione legitime utens ignoret DEUM, aut neget omnino. Hunc talem debere vivere jure naturæ. Ergo Juris naturæ ſcriptorem tale debere jus naturæ excogitare, ut etiam huic homini conveniat, conſequenter in Jure naturæ abſtrahendum eſſe à DEO, & dependentia ab eo, nec ſummum bonum in ipſo conſtitui debere. Atque hæc ſola videtur illa eſſe pergrandis ratio, qua inducti ſunt poſt Hobbeſium, Puffendorffius, Wolffius, Thomaſius aliique, ut DEUM à jure naturæ & propemodum à natura ipſa excluderent: metuentes, ſi DEUM huc admitterent, *jus ſupernaturale* reſultaturum non *naturale*.

2. Reſpondeo primo, poſſibile hoc eſſe, needum demonſtravit ullus profanorum.

Non eſt illi accommodandum:

3. Quodſi eſt poſſibile, nego ac pernego, Jus naturæ ſcribendum & inter Germanos homines DEUM ſcientes, *docendum* debere accommodari huic caſui diſputabili aut poſſibili: Cum jus naturæ, exponendum maxime juvenibus, ſit practicum, praxis autem non in iis conſiſtat, quorum poſſibilitas in ambiguo eſt.

ut medicina non accommodanda homini carenti corde.

4. Reſpondeo 2do. Præclarus eſſet medicinæ doctor is, qui totam medicam ſcientiam inædificaret huic principio: Corpus humanum functiones ſuas peragit, & eſt curandum, abſtrahendo à corde; quia forte poſſibile eſt corpus humanum carens corde. Vel præclarus eſſet faber, qui artem automatariam inædificaret huic edicto: horologium eſt organum plurium rotarum, abſtrahendo ab elatere, pondere, aut alio ejusmodi; quia forte poſſibile eſt dari automatum fine iſtis.

R. P. Defing Part I.

Noſtri eruditiores Wolffio id negarunt.

5. Reſpondeo 3tio. Patres noſtri, Theologi, D. Thomas, Scotus, Suarezius aliique innumeri certe magis acuti Puffendorffio ac Wolffio, & longe minus ſibimet contradicentes, hunc caſum non ignorarunt, imo multa de ejus poſſibilitate diſputarunt, diſputantque adhuc eorum diſcipuli. Et nullus ſapientiſſimorum illorum virorum putavit, jura naturæ accommodare ſe huic caſui, forſitan ficto aut metaphyſico, debere. Neque mundus ullam ex hoc paſſus eſt jacturam juſtitiæ aut virtutis: neque paſſus eſt offenſionem & ſcandalum, ſicut ex profaniſſimis iſtis & hac parte impiis principiis pati poteſt & patitur.

Hypotheſibus ſtultorum non eſt accommodanda Juris naturæ diſciplina.

6. Reſpondeo 4to, ſi quælibet hypotheſis ſufficit, ut totum jus naturæ in eadem fundetur, quo non devenient inconſiderati & profani ſcriptitatores? Fac hypotheſin, eſſe homines poſſibiles, qui ignorent, parentes eſſe honorandos, ut Thraces. Igitur ſcribet aliquis Jus naturæ, fundamenta talia ponens, in quibus ſit abſtrahendum à parentum profecutione. Fac hypotheſin, poſſibilem eſſe hominem, qui ignoret, ſe in vitam propriam non habere jus ut Stoici. Igitur ſcribet alter juris naturæ principia, abſtrahentia à conſervatione ſui. Quodſi autem hypotheſibus iſtis minoris momenti ſtultum eſt accommodare principia juris naturæ; ſtultiſſimum omnium eſt, illa principia juris naturæ accommodare hypotheſi neganti principium omnium principiorum.

Maxime Atheorum.

Cur heterodoxi non faciunt alias hypotheſes has: Si datur DEUS: Si eſt immortalis anima?

Cur larvati iſti doctores non faciunt alias hypotheſes, quibus accommodent Jus naturæ. Quid ſi cælum rueret? quale tunc habebimus jus naturæ? Imo potius cur non faciunt hypotheſes iſtas: Quid ſi datur DEUS auctor

auctor & finis boni? quidſi immortalis eſt anima? quidſi pœna demum poſt mortem manet? quidſi ipſe eſt Dominusnoſtri corporis, animæ, intellectus, voluntatis? Eſtne hoc impoſſibile, dari DEUM, animam eſſe immortalem? Si accommodandum eſt jus hypotheſi poſſibili, huic certe accommodandum eſt, non illi de homine invincibiliter ignorante DEum. Tametſi enim jus naturæ aliquod ſcriptum non eſſet accommodatum huic homini extraordinario & forte imaginario; nihil per hoc perderet reliquum genus humanum.

his accommodandum eſt Jus naturæ.

At vero ſi datur DEUS & ſi is pendere à ſe facit jus naturæ, ſi denique is eſt vere ſummum bonum hominis; quantum non periculi creat hominibus ac diſcipulis ſuis doctor aliquis juris naturæ huic hypotheſi non accommodans ſuum jus? Nunc autem non eſt iſta *hypotheſis*, DEUM eſſe, legem naturæ à voluntate ejus pendere, ipſum ſolum eſſe ſummum noſtrum bonum.

Quia ſi datur DEus, & illi non accomodatur Jus naturæ, magnum periculum creatur generi humano.

Non ſunt iſtæ hypotheſes, ſed ſunt in confeſſione omnium etiam barbarorum. Quidjam niſi ſtultum eſt, accommodare jus naturæ uni hypotheſi forte impoſſibili contra firmam perſuaſionem eamque ſanctam & juſtam & certam omnium populorum? Eodem modo debebit Puffendorffius principium ſuum ſocialitatis procul abjicere, quia forte eſt poſſibilis homo, qui neſciat aut neget ſocialiter eſſe vivendum, tametſi cæteri omnes id cenſeant.

DEum eſſe, non eſt hypotheſis ſed cont eſtata veritas.

7. Reſpondeo quinto. Dum Wolffius Jus Naturæ accom̄odat Atheo, illud revera nec atheo nec homini cuicunque accom̄odat. Non pio; quia is deteſtatur jus naturæ independens à DEO. Non Atheo; quia Atheum è juſtitiæ manibus eripit, adeoque non informat illum ad juſtitiam. Reclamat D. Wolffius: haudquaquam ipſum eripio: qui utique §. 250. in nota expreſſe doceo: *Quod homo DEum colere teneatur: Quia HOMO eſt, ita ut humanam naturam exuere debeat, niſi ad eum colendum obligatus eſſe velit.* Igitur humana natura qua humana & *abſoluta*, non qua accepta à DEO & *reſpectiva*, obligat Atheum, & Atheus quia non vult eſſe obligatus ad DEum colendum, *debet* exuere naturam humanam. Legatur nota illa tota. Ex qua dicet Wolffius: Ego Atheum plane non libero è manibus juſtitiæ: nam Atheus nunquam poteſt effugere ſuam eſſentiam. Hæc eſt juſtitia, quæ ipſum etiam nolentem tenet: hanc exuere debet, ſi volet eſſe non obligatus: per hanc autem ipſam eſt obligatus ad colendum DEum; quin tamen ſit obligatus ad DEum agnoſcendum aut confitendum: quia in hypotheſi etiam DEI negati ſubſiſtit obligatio ad eum colendum, quæ obligatio eſt ipſa eſſentia humana abſoluta ſine DEO. Hæc, fateor, nimis è ſublimi Ontologia ſunt deprompta, quam ut nos, tenebras meras metaphyſicas hactenus docti, ea concipere animo valeamus.

Dicamus ergo ſine Logodædalia Wolffiana quod res eſt, & quod ex Patribus noſtris didicimus. Athei etiam, ac DEI negatores & maledictores ſunt obligati lege naturæ ad DEum colendum, & quidem ex eſſentia ſua: Verum non ex eſſentia ſua tanquam *abſoluta*: hoc enim eſt blaſphemum & tam phyſice quam moraliter impoſſibile. Sed ex eſſentia ſua ut *reſpectiva*, & *accepta* ab alio omnium eſſentiarum auctore. Sicut filius etiam im̄origerus & negans patrem obligatur tamen ad patrem colendum ex ſua eſſentia non qua *abſoluta*, ſed qua *reſpectiva* & *accepta* per patrem. Sic athei obligantur & incidunt in manus juſtitiæ, in iisque ſine diſpenſatione continentur, ſicut fere de Dæmonibus dixit S. Auguſtinus: Dæmones credunt & contremiſcunt. Sicut Servus etiam nequam & negator heri incidit in heri ſcuticas & pedicas.

Atheum autem ex eſſentia ſua, *abſoluta à DEO*, eſſe obligatum ad DEum colendum eſt impoſſibile *moraliter*; quia cultus talis non eſſet conformis naturæ: cum *natura eſſet abſoluta* à reſpectu DEI, *cultus autem eſſet reſpectivus* DEI: Quæ autem non conveniunt naturæ, non ſunt recta; quæ non ſunt recta, ſunt moraliter impoſſibilia §. 157. Igitur moraliter impoſſibilis eſt obligatio colendi DEum ex natura humana abſoluta à DEO. Eſt id etiam *Phyſice* impoſſibile, quia in natura abſoluta nulla eſt ratio ſufficiens reſpiciendi ad DEum: ſine tali ratione ſufficiente intellectus & voluntas phyſice non poteſt reſpicere DEum: Igitur eſt phyſice impoſſibilis obligatio naturalis ad cultum DEI ex natura abſoluta à DEO. Sed & *Metaphyſice* impoſſibile hoc eſt, quia eſt contradictorium. Eſt enim obligatus naturaliter Atheus ad hunc cultum, ut D. Wolffius docet. Et non eſt obligatus, ut idem docet; quia obligatio naturalis tantum eſt ad ea, quorum ratio ſufficiens eſt in natura humana abſoluta non reſpiciente DEum: At in natura tali non reſpiciente DEum nullus eſt reſpectus DEI: Ergo

Ergo nulla eſt obligatio ad reſpectum DEI, ſive, quod idem eſt, ad cultum DEI. Igitur contradictorium hoc eſt & metaphyſice impoſſibile.

Excuſatio inutilis Catholicorum, qui larvata naturæ jura Legunt.

Mala, ajunt omittimus, bona eligimus.

1. PRinceps eorum excuſatio hæc eſt: Nos principia iſtorum omittimus & ſeponimus; cæterum eligimus bonas eorum doctrinas, & nobis nunquam venit in mentem, aut principia iſtorum tam mala eſſe, aut ex iis tam mala ſequi, quanta tu diſputando infers.

Viris id forte,

2. Equidem non eo inficias, virum cordatum ex quolibet malo libro poſſe diſcere aliquid boni; vel quod malis intermixtum aliquid boni eſt, vel quod reflexione ſecum inſtituta agnoſcit miſeriam humanam, patientiam DEI, gratias numini debitas, qui ſe ab his malis principiis & opinionibus præſervaverit.

ſed non juvenibus convenit.

3. At vero juvenibus, aut in ſcholis ea prælegi ſæpe cum falſa æque ac falſa applicatione, qui id periculo vacare crediderit, eum nos cur pro prudente viro habeamus, nihil eſt cauſæ. Romanus Senatus prudens fuit, qui

Exempla

Carneadem quamvis celebrem Philoſophum, quamvis legatum Græcorum, juſſerunt urbe excedere, cum inciperet contra virtutis fundamenta diſputare. Prudentes fuere ac ſunt populi ac Principes iſtiusmodi libros proſcribentes, aut non niſi maturis ac piis permittentes. Et certe ſi ex Gallia proſcribi mereretur liber docens legem Francicam non pendere à Francorum Principe: quanto magis meretur ex genere humano proſcribi liber docens, legem naturæ non pendere à naturæ Principe, & in eo non eſſe finem legis & ſi quæ ſunt alia?

Libri Juris naturæ corrupti periculoſiores aliis Cur:

4. In jure etiam naturæ legendo periculum fere majus eſt, quam in libro alio. Tametſi enim in obſcœno quodam Poëta legas fœdum quidpiam, illud aliunde ſcis, regulam omnium tuarum actionum haud eſſe, adeoque hoc lectum non fit tibi principium morum. Verum in jure naturæ legendo, ut nunc eſt, omnium maxima curioſitas vertitur in *principia*: nam concluſiones inde deductas facile ubivis invenies & ubivis fere ſimiles, nempe: non eſſe furandum, non necandum & alia. Nihil hic fere alius præ alio ſcriptore irritat appetitum juventutis curioſæ, aut etiam virorum non circumſpectorum, Quoniam autem de principiis fere ſolertiſſimæ ac impenſiſſimæ ſunt ſcriptorum diſputationes, curioſi ſunt homines ea maxime reſciſcere: ſperant enim, & hoc plerumque promittitur, illis rite perceptis facilem fore eorundem ad omnes actiones malas inde ſcientifice deducendas applicationem. Igitur tota eorum lectorum, juvenum, ac curioſorum cura eſt in principiis, ex quibus deinde *ſolis*, id eſt ex *ſola ſua ratione* reliquam vitam inſtituant, omni auctoritate divina humanaque prorſus excuſſa.

5. Neque mihi dicas: legitur Ariſtoteles, ejusque Moralis doctrina in ſcholis explicatur: quamvis ejus principia æque ſint mala & falſa: cum & ipſe abſtrahat à DEO, & à vita futura, & ſummum bonum hominis in virtute modo fere Wolffiano conſtituat, adhibitis ad id etiam diviciis & honoribus, ſeu bonis externis.

Objectio Ariſtoteles legitur: ergo & Wolffius.

6. Ad hoc imprimis reſpondeo, Ariſtotelem quoque è ſcholis exulare ſapienter fuiſſe juſſum, antequam à probis viris ejus doctrina caſtigaretur, & ad ſanam reduceretur, maxime à S. Thoma. Et nunc etiam quando prælegitur Ariſtoteles, non prælegitur niſi refutando hæc ejus principia, aut ſaltem oſtendendo, poſſe ex ipſius reliqua doctrina oſtendi, ipſum non excluſiſſe à ſummo bono DEUM &c. Si idem de Wolffio, de Puffendorffio & aliis fieret, fortaſſe periculum decreſceret.

℞. 1. Ariſtoteles olim ejectus, receptus cum cautela.

7. Deinde ſi vel legat aliquis Ariſtotelem, & videatur ſibi manifeſte intelligere, ab illo poni principia, ac bonum ſummum ſtatui DEO ac vero repugnantia: non tamen ita facile in ipſius animo conſurget cupido ad huic doctrinæ ariſtotelicæ obſequendum: adeoque longius abeſt ſcandalum. Quin' miſerebit eum Ariſtotelis, qui cætera auctus divino lumine caruerit. Ita plerique legentes Senecam, quamvis Ariſtotele deteriorem, ſolent ejus miſereri, quaſi qui dignus fuiſſet, reliquum luminis de DEO habere. Sic contra cum legimus Epicurum in voluptate corporis conſtituiſſe bonum ſummum, atque mundi ac legis naturæ à DEO dependentiam

℞. 2. Ethnicus non ita periculoſus.

 (pro-

(productione excepta) negaſſe: partim dolemus, homini huic abſuiſſe doctorem veritatis, partim iraſcimur tanquam voluntarie parco.

Sicut heterodoxi naturaliſtæ.

8. At cum in ſcriptore Chriſtiano talia leguntur de regulis vitæ, ſupponimus, eum non ultro cœcum fore, non ultro abjeciſſe lumina veritatis, undecunque ea illi affulſerint. Et conſequenter ſupponimus eum his luminibus uſum fuiſſe in conſtituendis ſuis principiis. Cum ſtultus videatur, non doctus, is, qui principia rerum maximi momenti ponit adhibito modiciſſimo lumine, lumine magno prorſus rejecto. Exemplo rem diſcamus. Si ingenuo adoleſcenti aliquis de navi remex dicat: Ita eſt tibi vivendum, ut ſi ſolus eſſes in terra, nec ſupra nec circa te aliquid, cui reddas rationem. Nempe ingenuus adoleſcens calcaneo repulſum pecus ad ſentinam ſuam redire jubebit. Veniat vero vir quidam venerandus, doctus, rerum peritus, ac pietatis opinionem habens, eique juveni ſuadeat argumentis ſpecioſis prolatis, nihil eſſe homini melius homine ipſo, & actionibus eſſentiæ naturæque ejus convenientibus: hoc unum eſſe omnis vitæ ſtudium: DEum ad hominis bonum non pertinere; illum diſci nonniſi ex lumine alio, quod longe ſit ſupra noſtras vires &c. An putas æquale eſſe à remige & à docto hoc adoleſcenti periculum? Idem ergo accidit diſcriminis in legendis doctrinis gentilium philoſophorum, quos erraſſe omnes ſcimus & perſuaſum habemus: & contra in legendis doctrinis recentium larvatorum moraliſtarum, qui à ſuis & interdum etiam ab aliis laudantur ut viri doctiſſimi ac integerrimi ſenſus; & qui inſuper doctrinam ſuam methodo ſcientifica demonſtraverint; & præ quibus reliqui, qui adhuc præceſſerant, viri ſanctiſſimi ſapientiſſimique nonniſi aſini fuerint & ſtolones.

Periculum à Wolffio eſſet majus:

niſi ipſe ſe vix intelligi poſſe fateretur.

9. Quo in genere, niſi faſtidioſa methodus deterreret multos, periculum à Wolffio eſſet latius. Cæteri enim auctoritatem rejiciunt, & conſequenter ſibimet etiam ipſis eandem detrahunt, ut non ita facile quis ad eorum ſe obſequium addicat. Contra D. Wolffius decernit, neceſſarium eſſe rudibus, ſequi auctoritatem doctorum. Quo decreto non videtur patrocinari veritati velle, ſed ſibi. Neminem enim cum videatur exiſtimare ita doctum, ut eſt ipſe, qui ſolus verum in jure naturæ ac moribus perſpexerit ad ſundum; pronum eſt inde colligere, ipſius ſolius præ cæteris ſubſcribendum eſſe auctoritati.

Nihil volo affingere Wolffio.

10. Num D. Wolffius ea docuerit principia, quæ ego objecto, videatur in initiis hujus diſputationis, quæ ego ita ſobrie ſeminaſſe exiſtimo, ut de injuria poſtulare Illuſtris Wolffius non poſſit. Nihil ei volo affingere: & ſiquid mihi excidit tale, jam nunc aboleo, & de cætero revocare paratus ſum.

Jura naturæ larvata ſunt pro Concavo lunæ.

11. In univerſum autem tunc forte periculum legentium ceſſaret, ſi iſti ſcriptores clare ac ſæpe proteſtarentur, *ſua jura naturæ eſſe tantum ſpeculativa, non eſſe pro hoc mundo, neque homines, qui nunc ſunt in terra, hanc regulam in vita ſua debere obſervare*; ſed ea legi poſſe ſicut Utopiam, aut Severamben, aut ſicut homines Wolffianos in Luna, Jove ac Saturno. Nunc cum iſta principia inculcent tanquam regulam unicam vitæ nunc ordinandæ, neſcio quid eſſe majori periculo poſſit, ſi ea principia animum ingrediantur & imbuant.

Patres noſtri &c. meliores.

12. Hoc denique utriſque, tam Juris Naturæ larvati ſcriproribus quam ejuſdem lectoribus expendendum do: Si Patres noſtri, ſi S. Thomas, Scotus, Suareſius aliique Doctores Catholici, *talia principia moralis doctrinæ* ſtatuiſſent, ex quibus tam prona eſſet conſecutio malorum, quæ ex doctrina Puffendorffii, Wolffii & aliorum fluunt, dudum & ipſi Catholici eosdem deſeruiſſent, & Acatholici ingentes plauſus in eos excitaſſent. Barbeyracus homo calami effrænis in Patres & Doctores Catholicos dicaciſſime invehitur, inſcitiam eorum crepans: qui tamen laudat Puffendorffii ſcientiam, ſophiſmatum plenam, adhæc in principiis ſcabioſam, cum tamen Patres pleraque ad populum pro ſuggeſtu dixerint, ubi ex præceptis Rhetoricæ certa argumenta, ac ſæpe tantum probabilia ſufficiunt: Contra Puffendorffius ac Wolffius apodicticas probationes promittunt, & hic poſterior promittit etiam eam veritatum lucem, *ut ſi veritas ex toto mundo deperiret, ex ſua doctrina hæc de novo inveniri ac reproduci poſſet*. Præfatione in Ethicam Germanicam. Et tamen in ipſis principiis doctrinæ tam abſona, lubrica, verſatilia & à moralitate aliena morum principia ſtatuunt, unde æque malus quiſpiam evadere ac bonus poſſit.

Wolffii arrogans gloriatio.

Philoſophiæ abuſus in Jure naturæ.

13. Neſcio an Joannes Serranus Platonis interpres Wolffium ac Puffendorffium: Grotiumque tanto ante præ ocu-

oculis habuerit, dum ſcripſit in Præfatione de abuſu Philoſophiæ ac naturalis ſcientiæ: „ *Hodierno* tempore „ quam late ſerpat hoc virus improbe „ & infeliciter philoſophantium, pii „ & boni viri funeſtis argumentis animadvertunt. Sunt enim hodie hujusmodi homines, qui quaſi id penſi „ haberent, ita ſe demum præclare „ Philoſophatos arbitrantur, uberrimumque illius ſtudii fructum reportaſſe, ſi *PEREGRINIS MONSTROSISQUE OPINIONIBUS* „ animos ſuos involverint: id eſt, ſe „ primum ab omni divinitatis ſenſu „ exoiverint, *OBJECTO QUODAM* „ *NATURÆ PRÆTEXTU*, cujus „ nomine inſcienter impudenterque „ abutuntur &c. Abutuntur certe, dum „ juſtitiam in natura caduca finiunt, „ æterna inſuper habita. Videatur ſupra Cap. XVI. Them. IV. Num. 9. „ & 12.

PERORATIO.

Jam tandem homines, moribus judicioque ſeveriores, qui queruntur, tantopere noſtros mores diſtare à præteritis, tantum ubique vigere regnum vanitatis, tantam opinandi libidinem, tantum ſummarum poteſtatum exceſſum, tantam oppreſſionem pauperum', tantam circa religionem hypocryſin, tanta alia mala revolutionis majoris prænuntia; ii cauſam horum & originem invenire poſſunt in inconſulto juris naturæ ſtudio, juvenculis vane jam educatis impoſito. Juris naturæ dico non veri ac ſani, quale doctrina noſtra catholica *ſemper* expoſuit, ſed illius ſpurii, larvati, ac *præternaturalis*, quod in heterodoxorum libris obtruditur: nempe quod *religionem Chriſtianam interim ſeponere jubet*, & vitam hominum ac gentium ſine DEO regi: id eſt, quod hominem ac civitatem Chriſtianam unico ſuo ſcuto exuit, quo inimici tela debebant retundi. Illud deinde dico larvatum jus, quod docet *majores* natu ac ſapientiſſimos veteres omnes novosque doctores catholicos *audacter contemnere*; quod auctoritate excuſſa jubet cæcos & procaces adoleſcentulas *ſola ſua ratione* metiri res maximos ad ſalutem humani generis pertinentes. Quod denique hominem ad *commoda hujus vitæ tantum* aucupanda unice natum ſuadet. Quid ex his fontibus manet aliud quam irreligio præſumptio, libertas, novandi libido, vanitas, luxus, voluptates, quorum omnium *finis interitus*?

Hæc ego dum aliquibus canerem vana hujus ſcientiæ oſtentatione captis, quamvis eam minime intelligerent, ac ne principia quidem ejus tenerent, nempe deriſus ſum. Verum nihilo ſecius ea exponere oculis & auribus ingerere atque ingeminare non ceſſabo. Hujusque rei cauſa publicum hoc admonitionis inſtrumentum ad parentes maxime nobiles extare volui. Quod Fauſtum ac ſalutare eſſe jubeat is qui.

In Omnibus Glorificetur DEus.

APPEN-

APPENDIX.

Admonitio.

QUoniam Puſſendorffius, Heineccius aliique heterodoxi Scriptores Juris Naturæ ſic dicti quavis data occaſione non deſinunt criminari, Eccleſiam Catholicam eſſe Juri naturæ adverſam: Hierarchiam ejus eſſe monſtroſum ſtatum in ſtatu: Ea ubi admittatur, ibi impoſſibile eſſe rempublicam ſtare: Principes hanc tolerare nec debere nec etiam poſſe: viſum eſt, aliena maxime manu duo illis tela injicere.

Equidem dictum tam impudens naturaliſtarum, confutatione non eget. Sicut enim qui contenderet, in aquis nullum eſſe debere aërem, eſſeque contra naturam elementum in elemento, is ſane experientia perpetua vel ſola repelleretur, etiamſi nulla appareret ratio. Ita his, qui ſomniant, vel potius criminantur, regnum natura interiturum, ſi ſit ſtatus Eccleſiaſticus in ſtatu civili, Conſtans & ampliſſima experientia opprimit ora.

Florentiſſima Monarchia Romanorum non periit, cum Conſtantinus Magnus, cum Theodoſius Magnus Hierarchiæ ſe Eccleſiaſticæ cum toto ſuo Imperio ſubjecerunt. Vid. Them. XIV. Cap. X.

Francorum Imperium ſubjectione erga poteſtatem Eccleſiaſticam non modo extinctum non eſt, ſed Imperatoriæ Majeſtatis fulgore adauctum in Carolo Magno.

Germanici Regni ejusque populorum libertas à variis deinceps regibus varie graviterque tentata, Status potiſſimum Eccleſiaſtici conſtantia fuit ſervata. *Fatendum* eſt: inquit Leibnitius Præfat. Cod. J. G. Dipl. *profuiſſe interdum Pontificum Romanorum curam pro Canonibus & Chriſtiana diſciplina, dum illi apud reges opportune importune inſtantes, ſive auctoritate muneris, ſive metu cenſurarum Eccleſiaſticarum, multis malis obicem ponebant. Et nihil fuit frequentius, quam ut ſe reges in fœderibus cenſuræ & correctioni Papæ ſubmitterent.* Aut certe ſi fingamus, Eccleſiaſticos libertati, majeſtatique repugnaſſe, Regni tamen hujus vaſtiſſimi vis, Pax, & apud exteros reverentia non illis temporibus labefacta eſt, quando Germani omnes eodem animo hierarchiæ paruerunt Eccleſiaſticæ, Catholicæ, Romanæ; ſed tum demum reverentia metuque finitimorum paceque interna cœpit excidere, cum jugo Eccleſiæ excuſſo Statum in ſtatu perdurare aliqui Principes noluerunt.

Græcorum orientale Imperium ſtetit, quamdiu Status in Statu, id eſt Eccleſiæ Catholicæ obedientia in illo Imperio fuit: facto obedientiæ divortio in pejus ruit. Ad ultimum probe agnovit, unicam ſibi ſupereſſe ſalutis anchoram, reditum ad Petri naviculam. Quocirca ad Florentinum aſceſſerunt Concilium, paucis ante interitum ſuum annis: feliciores futuri forte, ſi vel tum voluiſſent promiſſis ſtare.

Hiſpaniæ, Americæ; Poloniæ Regna num deſinunt eſſe Status, propterea, quod ſacerdotes in illis omnes & Epiſcopi à poteſtate Romani Pontificis pendent?

Galliarum potentiſſimus Rex Ludovicus XIV. & nuper Ludovicus XV. tum demum Statum ſuum firmiorem reddidiſſe viſi ſibi ſunt, cum ille hæreticos Hugonotos regno expulit; hic catholicos quosdam minus, nec ad literam, obedientes Romani Pontificis conſtitutioni, *Unigenitus* dictæ, redegit ad Officium. Et ridiculi ſunt illi heterodoxi, qui perſuadere nobis volunt, Ludovicum XIV. maximè voluere læſiſſe regnum ſuum, cum Hugenotos expulit; ex illo enim tempore mercatus ac vires regni invalidas eſſe. Quam enim invalide ſint Galliarum vires ex eo tempore, id hodieque experimur. Ex eo enim tempore Hiſpaniam cum America & Inſulis, Lotharin-

tharingiam deinde omnem, utramque Siciliam, & nuper quædam alia Galliæ maxime viribus ſuccubuiſſe vidimus. Et ſicut Ferdinandus olim Catholicus cum anno fere 1480. Mauros Hiſpania expuliſſet, quindecim annis poſt novi orbis adeptus Imperium eſt; ita ejectis Anno 1685. Hugonottis Ludovicus Magnus quinto poſt ac decimo anno Novum pariter urbem cum ipſa Hiſpania Borboniæ majeſtati adjunxit. Velut ſemper novos orbes adjiceret DEus pro paucorum immorigerorum jactura.

Et adhuc non niſi Catholicos dixi: Sed & omnes non Catholici Principes, qui permittunt in ſua ditione eſſe Catholicos, ii etiam permittunt, eos in ſacris ab Hierarchia Eccleſiæ, & maxime Romano Pontifice pendere, ſeu ſacerdotes ii ſint ſeu laici. Idque neceſſario; quia ſi non penderent, Catholici non eſſent. Nec tamen quisquam eſt horum principum, qui Statum hunc in ſtatu exitialem credat, ut Puffendorffius & Heineccius. Id videre eſt in omnibus mundi partibus ubi catholici ſunt, apud Suecos, Danos, Anglos, Batavos, Gerranos, Ruſſos, Turcas, Perſas, Indos, Siamenſes, Sinenſes, Tartaros, Afros: *Solo excepto Statu & Monarchia Puffendorffii & Heineccii*, quæ duo potentiſſima regna ſubito corruere debebunt, cum primum Pontifici nullum in iis eorumque ſubditis Imperium concedetur.

Hæc cum ita ſint, criminationibus horum duumvirum opponimus confeſſiones duorum, qui idem ſaltem valent. Puffendorffius ex humili loco adeptus erat, ut à Conſiliis interioribus eſſet magno Principi: Heineccius adeptus eſt ſcholæ aliquem principatum. Illi opponitur Comes à *METTERNICH* peramplæ proſapiæ, ejusdem Principis Conſiliis & negotiis adhibitus majoribus, non ad ſcribendos ſolum libros, ut Puffendorffius. Heineccio autem opponitur *Fröreiſenius* Argentinenſis Academiæ Acatholicæ rector Acatholicus. Ille in ipſis Comitiis Ratisbonenſibus, ducente etiam, poſt DEI gratiam, ratione naturali ab heterodoxa ad catholicam doctrinam converſus docet religionis Catholicæ neceſſitatem, innocentiam, ordinem pulcherimum, utpote DEO auctore dignum: idque profeſſus eſt paulo ante mortem eo tempore, quo mentiri ne ſibi quidem facile quisquam volet ratione utens. Alter *FROEREISENIUS* in Comitiis Academicis Rectoralia Sceptra capeſſens inter ſuos confeſſus eſt, quam miſera eſſet congregatio heterodoxorum, eo quod hierarchiâ careret, nec poſſet efficere aliquo modo Statum in Statu.

Comes Metternichius confeſſionem ſuam confirmavit morte ſua quarto decimo, poſtquam eam ediderat, die Ratisbonæ Anno 1728. Rectori Fröhreiſenio: ut confeſſio eum ſua ad DEI gratiam, obitumque beatum diſponat, ex animo precamur.

Breve Scriptum utrumque eſt. Brevitas tandem nobis quærenda eſt. Scriptum Comitis comentariolo illuſtravit vir doctiſſimus juxta ac piiſſimus. V. P. D. Caſparus Erhard Benedictinus ad S. Emerammum, Comiti eidem à ſacris: Sed quem tamen commentariolum pro hac appendice longiuſculum cenſemus, ideoque omittimus. Fröhreiſenii ſcripto qui commentarium addere voluerit, eam operam lubentes permittimus.

SOLILOQUIUM
ILLUSTRISSIMI
ET
EXCELLENTISSIMI
DOMINI DOMINI
ERNESTI
S. R. J. COMITIS
DE METTERNICH &c. &c.
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS PRUSSIÆ CONSILIARII INTIMI ACTUALIS, EJUSDEMQUE REGIÆ MAJESTATIS RATIONE ELECTORATUS BRANDENBURGICI, ALIARUMQUE TEUTONICARUM PROVINCIARUM AD COMITIA IMPERII RATISBONÆ LEGATI PLENIPOTENTIARII &c. &c.

RATISBONÆ,

TYPIS ET IMPENSIS JOANNIS BAPTISTÆ LANG
EPISCOPALIS TYPOGRAPHI ANNO 1728.

NUNC RECUSUM.

SOLI-

SOLILOQUIUM.

Q. D. B. V.

§. 1. Religio Chriſtiana eſt Religio divinitus revelata.

§. 2. Revelatio eſt facti, & revelatam continet hiſtoriam: ergo ſeriem factorum.

§. 3. Factorum veritas mihi conſtare non poteſt per *rationem*.

§. 4. Ergo per aliam revelationem mihi innoteſcere debet, aut per Teſtes.

§. 5. Non priori modo.

§. 6. Ergo per Teſtes.

§. 7. Neceſſe eſt, ut teſtes iſti ſint omni exceptione majores, ne fallere poſſint, nec falli.

§. 8. Tales non ſunt, qui poſt multa ſecula in remotiſſimis mundi angulis *ſingulatim* extiterunt.

§. 9. Sed tales, qui præſentes fuerunt juſto numero.

§. 10. Qui ea, quæ manibus contrectarunt, quæ oculis uſurparunt, quæ auribus hauſerunt, aliis retulerunt.

§. 11. Nempe Apoſtoli.

§. 12. Iſti viſa & audita tradiderunt *Aliis*, ſtupendo ſucceſſu.

§. 13. Alii, quæ à primis, ſcilicet Apoſtolis, acceperunt, tradiderunt porro *Aliis*.

§. 14. Hi deinceps *Aliis*. En ſucceſſionem teſtium.

§. 15. Hi omnes habuerunt vel habent eandem ſcientiæ ſuæ cauſam.

§. 16. Ergo omnes ſunt idonei teſtes.

§. 17. Gliſcente mox Chriſtianorum numero, orti ſunt cœtus, utique *viſibiles*, quia ex hominibus componebantur.

§. 18. Cœtus hi omnes unum *communemque* finem habuerunt.

§. 19. Ergo *unam* ſocietatem conſtituerunt.

§. 20. Talis ſocietas vocatur *Eccleſia*.

§. 21. Iſta Societas, quæ Eccleſia vocatur, eo ipſo, quod eſt Societas, non poteſt ne fingi quidem abſque ordine imperantium & parentium; aut, ſi mavis, ſine ſubordinatione. En *Hierarchiam!*

§. 22. Talis Eccleſia eſt maximæ auctoritatis, ſeu eſt *infallibilis*, id eſt, nulli Chriſtianorum licet, dicto vel facto teſtari, ſibi diſplicere, quæ Eccleſia ſtatuit.

§. 23. Quæ itaque Eccleſia docet, quæ jubet, quæ tradit, *credenda ſunt*, *facienda* ſunt.

§. 24. Illa dicit, collectionem quandam vetuſtiſſimorum librorum, item aliquot epiſtolarum à diverſis Authoribus diverſo tempore, & diverſis locis ſcriptorum, eſſe verbum DEI *Scriptum*. Niſi diceret, non crederem. Plane ut S. Auguſtinus: *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas.*

§. 25. Illa iſtius Verbi divini ſenſum determinat. Aliàs illud intelligerem meo jure, pro captu meo, non ad lubitum alterius.

§. 26. Illa dicit, Chriſtum & Apoſtolos multa viva voce tradidiſſe. Quis, quæſo, aliud ſibi perſuaderi patiatur?

§. 27. At, inquis, mali fuerunt non pauci Pontifices. Fuerunt; ſed ſibi mali fuerunt.

§. 28. Eccleſiam corrumpere non potuerunt; niſi dixeris, unum Papam tot Archiepiſcopos, tot Epiſcopos & Prælatos toto orbe diffuſos, momento quaſi pervertiſſe. Portentum!

§. 29. Num & Veſtri epiſcopi, ſic dicti, veſtri Superintendentes & antiſtites fuerunt boni?

§. 30. Illi tamen multo addictius * imperant, quam ſummi Pontifices.

* Puto legendum *adductius*, phraſi non ignota pro ſtrictius, magis adductis habenis.

§. 31. Sed, inquis porro, judicarunt Concilia, neceſſariam fuiſſe *reformationem* Eccleſiæ tam in *doctrina*, quam in vita & moribus. An vero fortius argumentum inveniri poteſt, quo probetur, Eccleſiam univerſalem nunquam erraſſe? Quî enim errori medelam afferre potuiſſet, ipſa errans?

§. 32. At multa *nova* invexit Catholica Eccleſia? Primùm: vos multa nova appellatis, quæ ſunt antiquiſſima, & cujus origo non conſtat; unde eſt ab Apoſtolis. Deinde, ſint aliqua nova, e. g. Feſti dies, ſolemnitates, ritus &c. (alia, quæ ad doctrinam pertinent, non agnoſco) Quid tum? An malum eſt, quod pars hominum, quæ eſt multo maxima, rebus terreſtribus immerſa, avertatur ab objectis frivolis, & ad unum neceſſarium? Quod ſine ſenſuum auxilio fieri vix poteſt.

§. 33. Demum, inquis, Eccleſiam Catholicam ſpiritu perſecutionis & crudelitatis agi. Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes? Scilicet Spiritus Chriſti, ſpiritus inquam manſuetudinis & Charitatis Chriſtianæ ſuggeſſit Luthero verba hæc: *Cur hos Papas, hos Cardinales &c. non occidimus, & manus noſtras in eorum ſanguine lavamus?*

§. 34. Conſtat itaque Eccleſiæ ſua auctoritas.

§. 35. Valete ergo, qui illam inter & me diſſidium volunt, valete, valete.

§. 36. Cui hæc non ſufficiunt, aliam viam ingrediatur. Oret, legat, & conſulat viros doctos ac pios. Si cui volupe eſt diſputare, diſputet: ſudabit & algebit. Et ego multa alia habeo, quæ me hortantur, ut redeam ad eccleſiam, multa, multa. Sed hæc mihi ſufficiunt, nunc quidem.

§. 37. Taceo itaque, & immenſam Dei ſapientiam & bonitatem adoro, quod eo modo populum ſuum regi voluit, qui ſolus humanæ conditioni conveniens eſt. Omnes enim *obedire* poſſunt, non poſſunt omnes *examinare*, judicare, eligere.

§. 38. Hæc eſt via illa, à qua nec ſtulti aberrare poſſunt.

SOLI DEO GLORIA.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO

DE

MISERO ECCLESIÆ AUGUSTANÆ CONFESSIONI
ADDICTÆ PERMULTIS IN LOCIS STATU

HABITA DIE IX. MAY 1743. ARGENTORATI IN BRABEUTERIO ACADEMICO

A

JOANNE LEONARDO
FROEREISENIO

SS. THEOL. D. ET PP. CAPITULI THOMANI CANONICO, CONVENTUS ECCLESIASTICI PRÆSIDE, ET PASTORE PRIMARIO

CUM RECTORATUM UNIVERSITATIS TERTIA VICE CAPESSERET

ARGENTORATI TYPIS
JOANNIS HEINRICI HEITZII.

Auditores ſuis quique eloquiis
Condecoratiſſimi.

FElicitates, cùm prima alteraque vice faſces Academicos tenerem, tam Galliæ regnum, quam univerſam Europam exhilarantes grata hilarique mente revolvens non poſſum, quin ſpe confidenti ſuffultus tertium nunc Magiſtratum literarium lætus aggrediar. Fauſtum reddidit primum meum Rectoratum Sereniſſimi Delphini Nativitas, qua nihil exoptatius regi regnoque contingere potuiſſet. Quis nunc noſtrum non ſperat, fauſto ipſius Connubio ſolidum, firmumque intra Rectorale, quod inſtat, ſemeſtre poſterorum noſtrorum ſalutis jactum iri fundamentum? Sub finem ſecundi mei Regiminis Academici pax Europæ reddita fuit, per Polonorum diſſidia tum amiſſa, extenſis Gallici Imperii limitibus, auctaque potentiâ. Quis quæſo veſtrum me invidia proſequeretur, ſi ſub initium tertii hujus mei Rectoratûs eandem Europa ſentiret lætitiam, eandem gallia experiretur felicitatem? Te profecto nos omnes ardentiſſimis, imploramus ſuſpiriis, potentiſſime atque benigniſſime Pater Cæleſtis ex intimo cordis fundo clamantes: Da pa-

cem Domine in diebus noſtris, ſalvum fac Regem, Protege Reginam regiamque ſobolem, ſereniſſimi præprimis Delphini felicitatem fœcundo & ſuavi matrimonio auge. Conſerva ſub potentiſſimo clementiſſimi Regis præſidio hanc civitatem, & in ea Academiam, ejusque tam proceres, quàm Doctores & Cives, ut illuſtris hæc celebrisque ſapientiæ ſcientiarumque officina ulterius floreat atque perennet. Imperti Benigne DEUS cæleſtem tuam benedictionem omnibus meis laboribus atque conatibus, quò vergant in Sanctiſſimi nominis tui gloriam, & Eccleſiæ pariter, atque Academiæ emolumentum. Cæterum more conſueto munus Rectorale brevi ſermone auſpicaturus pauca quædam de miſero Eccleſiæ Auguſtanæ Confeſſioni addictæ permultis in locis ſtatu verba facere decrevi, quæ ut benevolis auribus excipiantur, enixis precibus contendo.

De Miſero Eccleſiæ Auguſtanæ Confeſſioni addictæ permultis in locis ſtatu dicturo ante omnia præmonendum videtur, ſermonem mihi haud fore de ſtatu ejus interno, ſive de Doctrinis, quas Eccleſia noſtra in libris, ùt vocant, ſymbolicis profitetur. Conſentiunt enim illæ divinæ revelationi. Nec deſiderandum quid eſſe cenſeo in Sacramentorum adminiſtratione, inſtitutioni quippe Salvatoris conformi. Materialiter hinc puram atque felicem eſſe arbitror Eccleſiam noſtram. Sed miſera mihi duntaxat conditio videtur ratione formæ, regiminis & ſtatûs externi, qui certe in multis locis miſerior eſſe non poſſet. Etenim vix umbra ejus viſionis Eccleſiaſticæ in ca apparet, quam Paulus requirit quarto Epiſtolæ ad Epheſios Capite ita ſcribens: ex quo totum corpus, ſcilicet Eccleſiæ connexum & compactum per omnem commiſſuram ſuppeditationis ſecundum operationem in menſura unius cujusque membri augmentum corporis facit in ædificationem ſui. Siſtit nobis bis in verbis Paulus Eccleſiæ Chriſtianæ, cujus fundamenta tum jacta fuerant, formam ſub Schemate corporis humani, cujus membra ſibi invicem tam arcto nexu unita ſunt; ut læſo uno reliqua omnia dolorem ſentiant, unum alteri perpetuum ferant auxilium. Sermonem Paulo fuiſſe de Eccleſia viſibili, & conſequenter de unione & mutuo auxilio viſibili, demonſtratione nulla indiget. Loquitur enim de Eccleſia, in qua Doctores viſibiles à ſe invicem viſibiliter diſcernibiles conſpici & demonſtrari potuerunt, quorum nempe alii tum fuere apoſtoli, alii Evangeliſtæ, alii Paſtores, alii Didaſcali ſive Doctores. Requirit hinc Paulus evidenter ad formam Eccleſiæ viſibilis neceſſario unionem viſibilem, atque mutuum auxilium membrorum viſibile, quum ad corpus humanum commiſſura oſſium, cujus beneficio unum membrum alteri auxilium ferre poteſt, æque neceſſariò requiratur, ac circulatio ſanguinis, & ſanus nutriensque cibus atque potus; ſola enim concordia interna doctrinæ & uſus verbi atque ſacramentorum in Eccleſia nihil eſt, quam reſpectu corporis humani uſus ciborum & potus atque circulatio ſanguinis. Talis ergo unionis externæ atque viſibilis & mutui auxilii, quod Eccleſiæ particulares ſibi invicem ad inſtar membrorum corporis ferre deberent, cum in Eccleſia auguſtanæ confeſſioni addicta vix umbra hodie appareat, evidenter patet, in ea collective ſumpta vix umbram formæ Eccleſiaſticæ viſibilis, quod Paulus requirit, obſervari. Defectus vero hic formæ Eccleſiaſticæ viſibilis parùm a totali differens fons eſt omnium, quæ in ea frequentes apparent, miſeriarum. Quærenda eſt triſtis hujus defectus ratio in eo, quod Reformatores Eccleſiæ tantum de reſtituenda doctrinarum puritate, & legitima ſacramentorum adminiſtratione fuerint ſolliciti; prudentem autem regiminis Eccleſiaſtici ordinationem ad conſervandam unionem externam abſolutè neceſſariam, reſpectu Eccleſiarum particularium, imprimis minorum, prorſus neglexerint; medicis chirurgisque ſimiles, de carne & ſanguine, ejusque circulatione, de ſtomacho, de qualitate ciborum & potûs, optimaque diæta, nec non de ſanandis vulneribus, valde ſollicitis; oſſa autem non modo legitima commiſſura deſtituta, ſed per totum corpus fracta & contuſa negligentibus; de neceſſario & mutuo membrorum auxilio, de facultate ſtandi, eundi & ſe defendendi ne quidem cogitantibus. Si ſatis fuiſſent providi Reformatores negotio tanto ſyncere quidem & animoſe inchoando pares, ſatis prudenter autem continuando, & feliciter perficiendo, ut eventus evidenter docuit ob ſummam & multiplicem improvidentiam, quæ ex dicendis clariſſimè patebit, impares, cûm auguſtana confeſſione ceu declaratione & nor-

norma Eccleſiaſtica doctrinali, ſyllogen quoque Canonum exhibuiſſent, tunc eorum, quos retinendos aut noviter introducendos, quàm eorum, quos abrogandos cenſuerunt, ut Imperatorio, aut Imperatori patere potuiſſet, non tantùm quid crederent atque docerent, ſed & ad quorum Canonum normam Eccleſias ſuas reformatas dirigerent; cùm ad hoc æque ac ad declarationem doctrinæ tam ex Capite juris quam prudentiæ obſtricti fuerint. Quodsi enim hoc factum ab ipſis fuiſſet, non tantùm ſatisfeciſſent officio ſuo, ſed & ſequentium temporum doctores, atque in dirigenda Eccleſia conſiliarios ſibi obſtrinxiſſent. Hi enim per hanc Canonum ſyllogen certam quandam ſuis Eccleſiaſtici univerſalis normam obtinuiſſent, qua nunc deſtituti dici non poteſt, quam incredibilibus, & ineffabilibus in munerum ſuorum adminiſtratione premantur difficultatibus.

Quam miſera eſſet Juris Conſulti Civilis, qui advocati Generalis munere fungitur, conditio, ſi In relationibus atque deliberationibus ſuis ipſi tantum liceret ad ſtatuta provocare, hisque deficientibus interdictum eſſet jura communia allegare? Interdictum autem hoc eſt juris Eccleſiaſtici conſultis, non lege, ſed juris communis Eccleſiaſtici defectu. Fit hinc, ut alia Eccleſia particularis ex Carpzovianis, alia ex Hobbeſio-Thomaſianis, alia ex Titianis, alia ex Böhmerianis, alia ex aliis principiis jus ſibi Eccleſiaſticum pro lubitu formet, magna cum Eccleſiæ noſtræ ignominia. Imprudenter idcirco & improvidè priſtinas leges Eccleſiaſticas abrogarent, qui nullas certas & univerſales, nedum meliores, earum loco tulerunt; immemores notæ in vulgus regulæ, ſuadenti, non abjiciendam eſſe veſtem licet inveteratam & propterea haud elegantem, antequam nova & melior, quæ indui poteſt, adſit; cùm præſtet, tectum eſſe veſtitu, qui diſplicet, quam nudum incedere. Hoc vero à Reformatoribus intuitu Juris Eccleſiaſtici Univerſalis factum eſſe, nemo ignorat, & eccleſiæ particulares præſertim minores conſiſtoriis & conventibus Eccleſiaſticis deſtitutæ, ſuo ſæpius, eoque hodie irreſarcibili & inevitabili experiuntur damno.

Multis iisque triſtiſſimis id confirmare exemplis poſſem, ſi temporis ratio id permitteret, hinc ſi ſatis fuiſſent providi Reformatores, in Germania, aut Hierarchiam Epiſcopalem cum Suecis Danisque retinuiſſent, aut Conſiſtorium ſaltem ſupremum & univerſale, in gratiam præcipuè Eccleſiarum particularium minorum erexiſſent, ad cognoſcendas omnes cauſas Eccleſiaſticas non tam doctrinam, quam utique ſolus DEUS per verbum ſuum dijudicat, quam regimen, ordinem, decentiam, diſciplinam, Miniſtrorum vocationem & dimiſſionem, & alia negotia Eccleſiaſtica concernentes; judicium quippe humanum non tantùm admittentes, ſed & neceſſario requirentes. Utroque autem neglecto Eccleſia Auguſtanæ Confesſioni addicta in Germania in relatione Eccleſiarum particularium ad ſe invicem reſpectu Juris Eccleſiaſtici ſimilis evaſit vermi, in partes non tantùm magnas & longas, ſed & minimas diſſecto, quarum quælibet ſe movet, quamdiu aliquales vires ſuperſunt, & quarum quælibet ſenſim ſenſimque vitam, & cum vita facultatem ſe movendi amittit. Similis exercitui, cui nec deſunt vires, nec bellicæ artes, nec annona, nec arma, nec pugnandi ardor, militanti autem ſub variis ducibus diverſæ dignitatis, diverſa, ſæpiùs contraria, nonnunquam plane nihil decernentibus & ſibi invicem non ſubordinatis. Similis legioni, in qua neglecto habitu uniformi non tantùm quilibet centurio, ſed & quilibet locum tenens, vexillifer, anteſignanus, & ab excubiis liberatus ſibi independentiam adſcribit. Similis urbi, cujus incolis non deeſt quidem cibus & potus, qui autem nullo inter ſe nexu civili uniti ſunt, ita ut quilibet non tantum Pater, ſed ut quælibet materfamilias gentium ſibi jura adſcribat, & in ſtatu naturali vivat.

Objicitur ſæpiùs, ſed ſine ſufficienti fundamento Romanæ Eccleſiæ, fæminam quandam aliquando fuiſſe Papam, Majori ſpecie hoc Eccleſiæ noſtræ objici poſſe videretur. In ea enim jura Papalia & Epiſcopalia exercere poteſt fæmina, dummodo ſufficientes poſſideat divitias, ad emendum pagum immediatum, cujus incolæ Auguſtanam profitentur Confesſionem, & cujus dominio territoriali Jus quoque Patronatus adhæret. Illuſtrabo aſſertum exemplo. Vidua quædam præter alia bona pagum poſſedit in alſatia, cujus Paſtori ſub finem ſuperioris ſæculi ad Diaconatum quen-

quendam huc tranſlato dandus erat Succeſſor. Cumque viduæ huic non tantùm dominii, ſed & collaturæ jura tum competierint, incolæ hujus pagi eam ſupplices rogarunt, ut ipſis electionem poſt habitas à quatuor Candidatis conciones, quas vocant probatorias benigne concederet. Annuit illa, detulitque petito, poſt collecta autem ruſticorum vota non eum vocavit, qui majora obtinuerat, ſed qui ſibi potiſſimum placuerat. Nonne hæc fæmina jura Papalia & Epiſcopalia in ſummo gradu exercuit. Nec deſunt forſan etiam uxores, quæ per maritos ſub ipſorum imperio viventes jura Papalia, Epiſcopalia, Presbyteralia, & Parochialia exercent, licet tantæ ſit hujus attentati, ubi id obſervatur, turpitudo, ut honorifico hoc in loco neque recenſeri, neque redargui mereatur.

Quot vero & quantæ ex memorata ſeparatione atque independentia Eccleſiarum particularium jam ortæ ſint miſeriæ, vix verbis exprimi poteſt. Primum inter eas locum tenet libera multarum pernicioſarum, & ſcandalo plenarum circa materias juris Eccleſiaſtici hypotheſium aſſertio. Deprehendimus enim in Eccleſiis noſtris Doctores Theologos æque ac jûre conſultos ſtatuere auſos, quamlibet Eccleſiam particularem ea gaudere poteſtate, ut conſentiente Domino Territoriali non modo loco primi hebdomadis diei, quem inter ſeptem Eccleſia primitiva univerſa ex ſolidis fundamentis ad conſtituendum novi teſtamenti ſabbathum elegit, non obſtante perpetua & univerſali obſervantia, ſecundum, tertium, quartum, quintum aut ſextum pro lubitu huic ſcopo deſtinare, ſed & loco ſeptimi recurrentis diei octavum aut nonum recurrentem pro die Dominica declarare queat. Qua hypotheſi admiſſa ſponte ſequitur, licere non minus cuivis Eccleſiæ particulari memorato accedente Domini territorialis, jura Papalia, atque Epiſcopalia exercentis conſenſu, abolere benedictionem ſacerdotalem, & omnia tollere, quæ univerſalis & perpetui ſuerunt uſus, & ad ordinem atque decentiam in Eccleſia conſervandam abſolute neceſſaria ſunt. Quis verò non videt triſtes & miſeras harum hypotheſium ſequelas? Sequuntur inde graviſſimæ, & deceſſu difficillimæ de ſucceſſionibus Principum Proteſtantium controverſiæ, docet hoc exemplum notiſſimè de Succeſſione montis Belliordenſi contentionis. Qui allegatarum in memorialibus ejus atque factis ejus occaſione impreſſis Theologorum, atque Juriſconſultorum noſtratium in quæſtiònibus juris Eccleſiaſtici de benedictione ſacerdotali, & iis, quæ ad ejus validitatem requiruntur, de diſpenſationibus præſertim in cauſa propria, de divortiis, aliisque ejusmodi materiis hypotheſium, opinionum, conſultationum, & reſponſorum varietatem, contraritatem, & frivolam quandoque audaciam ammadvertit probabiliſmum, aut potius ſcepticiſmum craſſiſſimum, theoretice à quibusdam non ſine ſcandalo defenſum, ſine ulla hæſitatione à nonnullis Eccleſiæ noſtræ Doctoribus in ipſam praxim electum pio commotus Zelo indignabundus obſervat. Convinci tales effrænæ licentiæ & publice convinci tales redargui poſſent, ſi adeſſent leges Eccleſiaſticæ ſcriptæ univerſales. Quis probus & cordatus non horrore corripitur, videns, nonnullorum Juris Eccleſiaſtici eſſe principium, quidquid lubet, licet. Quid mirum, ſi Eccleſiæ Eccleſiaſticæ Romanæ addicti talia deteſtantur, & abominantur, nigerrimamque de Eccleſia noſtra ideam concipiunt, quippe cui ex cauſis ſupra memoratis culpam ultimato ſemper adſcribit, certo perſuaſi, Reformatores certitudinem normæ Eccleſiaſticæ negligentes inter cauſas morales ejusmodi ſequelarum referendos eſſe, æque ac parentes, liberis in juventute nimiam concedentes licentiam vitiorum, quæ ab his in ſenectute perpetrantur, cauſæ ſunt. Deteſtaretur profecto talia & abominaretur, ſi hodie viveret D. Auguſtinus, quod vel ex epiſtola ejus octuageſima ſexta ad Caſulanum patet, in qua ita ſcribit: quis non DEum offendet, ſi velit cum ſcandalo totius, quæ ubique dilatata eſt, Eccleſiæ die Dominico jejunare? Certe ſi per jejunium die Dominicò inſtitutum DEUS offenditur, quid exiſtimatis Auditores! quam dira ratione offendatur per audacem diei Dominicæ abrogationem, & per defenſionem atque approbationem moliminum infinitè majora ſcandala præbentium, & legitimum literarum Statum dubium, ſucceſſionemque integrarum territoriarum incertam reddentium?

Sed tranſeo ad aliam Eccleſiæ noſtræ miſeriam, in eo conſiſtentem, quod conſentientibus hinc inde, imo approbantibus, & laudantibus nonnullis Eccleſiis particularibus cæciſque eorum inſpectoribus cuivis impoſtori atque ſanatico impunè liceat novam formare Eccleſiam, novasque promulgare leges Eccleſiaſticas atque Cerimoniales.

Do-

Docuit hoc perpetua, & actu docet hodierna triſtis profecto experientia, novo indicio, Eccleſiarum noſtrarum particularium ſtatum ſimilem ſæpius eſſe ſtatui, qui in Republica Judaica, Judicum temporibus quandoque obtinuit, in quo quis fecit, quod bonum ſibi rectumque viſum fuit. Statum autem hunc tantopere multis noſtrum placentem ſpiritui ſancto, ceu ſpiritui ordinis, & Subjectionem amanti & primario libri judicum Auctori maximopere diſplicuiſſe, exipſo hoc libro ſatis patet.

Magnæ porro & variæ obſervantur tam in vocatione, quàm in dimiſſione Miniſtrorum verbi divini in Eccleſia noſtra miſeriæ. Juſto ſeriùs vos dimitterem Auditores, ſi vel centeſimas abuſuum circa vocationem ſe ſæpiùs manifeſtantium recenſere nunc vellem: Miſſis hinc illis, ceu maximam partem per ſe notis id ſolùm circa dimiſſionem eorum triſtis refero, eſſe hodie in Germania non paucos audacter aſſerentes, licere Dominis territorialibus ſine ullius rationis allegatione miniſtrum innocentem ex liberrimo arbitrio removere. Quas verò violentas injurias atque miſerias non optimis tantum viris, ſed & eorum familiis impium hoc jus Eccleſiaſticum conciliare poſſit, quilibet facile perſpicit.

Triſtior inſuper conſpicitur plurimis in locis miſeria, ſi miniſtrorum Eccleſiæ ſalaria conſiderantur. Tam exigua enim haud raro hæc eſſe ſolent, ut Monachorum mendicantium more Auditorum miſericordiam implorare cogantur, niſi fame cruciari velint, verbi divini præcones. Ex qua miſeria neceſſario oritur ſumma & ægerrima viduarum, plerumque Eccleſiæ miniſtrorum paupertas. Aut non concedenda iis uxores ducendi venia, aut ex capite ſaltem prudentiæ cura viduarum adhibenda fuiſſet. Talpa cæciot ſit oportet, qui fluentes inde non animadvertit pernicioſas in ipſa munerum Eccleſiaſticorum adminiſtratione ſequelas. Alii enim ob ſalarii inſufficientiam, alii ad evitandam viduarum inopiam inſtiactu ſæpe uxorum vi, clam, aut precario coguntur ſordidæ ſe tradere avaritiæ; alii auditoribus turpi ratione adulantur, idque magno cum ſcandalo in ſermonibus præcipue funebribus, quos ideo jure meritoque viri cordati jam diu mendaces appellare ſolent conciones. Quibus adulationibus ſi accedit irrationale prolixitatis, & vanæ verbi loquentiæ ad lacrymas præcipue extorquendas ſtudium, ſuperveniente quandoque aëris frigore dici non poteſt, quantâ indignatione talis declamator ſibi ſoli placens, audiatur: Quanta autem conciones ejusmodi mendaces pietatis ſtudio ſtruant impedimenta, ſequens docet Hiſtoria. In pago uno tantum ab hac urbe lapide diſtante ante octo circiter luſtra ruſticus quidam paſtorem adiit, eumque interrogavit, quid ſibi faciendum ſit, ut poſt mortem æternum damnetur? vix enim ſibi hoc videri poſſibile, cum hactenus in omnibus concionibus funebribus quosvis variorum ſcelerum reos audiverit prædicari beatos, adulteros nimirum, ebrioſos, homines maximè fraudulentos & avaros. Quæ quidem quæſtio Paſtorem hunc, accedente nominis gentilitii inſtigatione, in muneris adminiſtratione valde ſeverum reddidit, atque permovit, ut deinceps in parentationibus de ſalute defuncti judicium plerumque ſuſpenderit.

Nec minor in Eccleſiis noſtris reſpectu emeritorum apparet miſeria. Detrimentum, quod Eccleſia noſtra ex deficiente eorum ſuſtentatione ſentit, neminem latet. Accidit ſummis miniſtrorum verbi Divini in Eccleſia noſtra contemptus eo usque progreſſus, ut creſcere ulterius nequeat. Præter alios varii generis Miniſterii contemptores, infimus quoque & ſentinam reipublicæ conſtituens, populus tam abjecte de voluntatis Divinæ nuntiis ſentit, & tam impie de illis loquitur, ut ſi nulla ipſi in vini præcipue cereviſiæque cauponis ſupereſt colloquii materia, ad vitia, quæ in Eccleſiæ miniſtris obſervari arbitratur, recenſenda ſe convertat, ſummumque in iis vel fingendis vel aggravandis ſtudium omni veneratione ſepoſita adhibeat. Quam infamem impudentiam non tantum Eccleſiæ Romanæ, ſed & reformatæ membra laudabiliter in noſtris deteſtantur. Hæc autem miſeria hic Argentorati præcipue in pleno prô dolor vigore eſt, originemque primariam ex electione populo conceſſa trahere videtur, cum electionum temporibus potiſſimum exerceatur.

Sed tranſeo in Germaniam, ibique miſerum quoque Eccleſiæ noſtræ ſtatum deprehendo intuitu turpium & inanium, quæ à theologis ſæpius impunè & fruſtra moventur, rixarum. Recenſerem earum plures, ſi tædium excitare animus eſſet, quantis præſertim ani-

animorum motibus agitatæ, quot & quantis convitiis, hæretificationibus & condemnationibus refertæ fuerint ceptæ ſub finem Superioris, & ſub initium hujus ſæculi continuatæ atque auctæ, hinc ſub pietatis promovendæ, illinc ſub conſervandæ veritatis prætextu à Theologis noſtratibus controverſiæ, in aprico eſt. Certè ſi taxin Euſchemoſynen, ordinem & decentiam amaſſet Eccleſia Auguſtanæ confeſſioni addicta, quod alii ab Evangelio, alii à Luthero denominare ſolent, modum ſaltem eas tractandi nunquam permiſiſſet.

Magnum pariter defectum Eccleſiæ noſtræ multi jure declarant totalem abrogationem omnium conventuum ſive domorum iis conſecratarum, qui ob ætatem nimis profectam, & ceſſantem ad negotia conſueta ulterius agenda aptitudinem; abjectis lubentiſſimè omnibus curis mundanis in pia hominum ſui ſexus ſocietate ultimum vitæ tempus tranſigere, non ſine ratione deſiderant. Hæc certe in re, ſi modò verum ingenue fateri volumus, infans cum ſordibus inconſiderate & impie effuſus eſt.

Conſummatum denique reddit miſerum de quo mihi ſermo eſt, ſtatum lento quidem gradu ſed evidenter nihilominus ad interitum ſuum procedens, & multis jam in locis ruinam minans Eccleſia noſtra. Concordia enim rebus parvis creſcentibus, diſcordia vero magnis dilabentibus, nonnullisque ex potentiſſimis Principibus, quorum majores præcipui fuerunt confeſſionis Auguſtanæ exhibitores, & rerum Eccleſiaſticarum Directores ad priſtina reverſis ſacra, quomodo partes imprimis minores diſſecti vermis Eccleſiaſtici ſe diu adhuc movere, quomodo exercitus militans ſub variis ducibus diverſa decernentibus ſe porro defendere, quomodo urbs Eccleſiaſtica, quæ non ſimul eſt civitas, & in qua vicinus, ardente pariete proximo rem ſuam non agi exiſtimat, nullùmque proinde fert auxilium, ſe ulterius conſervare poterit vix apparet.

Innumera adhuc proferri poſſent, Auditores, maximique momenti ad miſeriam Eccleſiæ noſtræ demonſtrandam, Argumenta: ſed ſufficiant hæc ad triſtem ipſius faciem delineandam.

Tranſeo lætus ad lætiorem feliciorem que academiarum conditionem. Suus enim conſtat honor etiam apud ſummos Principes eruditis eorum Doctoribus. Non imminuuntur & ſupplantantur, ſed conſervantur & augentur horum jura. Nihil ſibi timet reſpublica ab ea, quam Rectoribus lubens concedit poteſtate, nihil de ejus abuſu ſuſpicatur, lætus hinc Regiminis Academici onus in me tertia nunc vice ſuſcipio; leve enim illud reddunt jura ipſi annexa, intacta frivolis ſubordinatorum oppoſitionibus, & invidioſis malevolisque atque ſtramineis aliorum dijudicationibus, ineptis criticorum nodum in ſcirpo ſæpius quærentium conjecturis & emendationibus, quas vir eruditus ſub *Mathanaſii* nomine ſcitè lepideque deriſit. Lætus id ſuſcipio natali meo quadrageſimo nono, quo ſuperato ex annis climactericis ſeptimo, quinquageſimum ætatis annum ſalvus per DEI gratiam ſoſpéſque ingredior. Cùm enim nullus dubitem, fore ut prælectis ſatisfacturi ſitis legibus, nihil niſi Fauſta mihi polliceor atque felicia.

D I X I.

INDEX

INDEX

LARVÆ DETRACTÆ.

Numerus Prior Romanus indicat Caput, alter Arabicus indicat Thema.

A.

A Catbolici. Vide *Proteſtantes.*

Actio recta fit ex fine ultimo & principio vero. Cap. XI. Them. 2. &c.

ADVENTITIUS Status non tollit Statum primigenium Cap. I. Them. 4. ſ. & Cap. X. Them. 12. num. 10. &c.

Adventitii Status varii I. 7. &c.

Adventitia mutatio Statûs non ponit hunc Statum novum in Statu priore, ſed ſtatum priorem in ſtatu novo. I. 19.

Æquum quid? Cap. II. Them. ſ. &c.

Æquales naturâ quomodo ſint homines. VI. 12.

Æqualitas hominum non eſt principium juris naturæ. XIII. 11. num. 10.

AMOR ſui non eſt principium juris naturæ V. 17. XIII. ſ. 6. Præcipue non Amor ſui ſuper omnia. XIII. 9. Neque Amor in genere V. 20.

Amorem ſui moralem non poteſt probare Puffendorffius. XIII. 6.

ANIMÆ immortalitas in jure naturæ non poteſt omitti. X. 8. n. 8. & ibid. Them. 7. num. 2. quomodo poſſit demonſtrari? Scotus expenditur. XI. 26.

—— Ab ea abſtrahentes non poſſunt juſtitiam naturalem ſtabilire. XI. 22. &c.

—— Ex ejus Immortalitate *poſſibili* urgetur Atheus & Puffendorffius. ex Platone *ibid.* 17.

Vide *Vita futura.*

Appetitus boni & mali. Vide *Bonum. Malum. Senſus communis.*

Arbitraria juris civilis an poſſint à jure naturæ ſeparari. IX. 7. n. ſ. &c.

ATHEUS famoſus lecta S. Scriptura converſus. X. 2. quem perverterat jus naturæ Larvatum.

—— An poſſit eſſe certus, dari corpora? XVI. 13

—— Atheorum cauſâ Religio non eſt excludenda à jure naturæ. X. 2.

—— male juvatur à Wolffiano principio juris naturæ, i. e. ab eſſentia humana. V. 19. X. 2. XVI. 3ſ. &c. adde XVII. ſ. Eid. Wolffius non poteſt probare dari legem naturæ: ejus cum Wolffio Diſputatio. XVI. 13.

—— Eidem cum Wolffius concedit hanc propoſitionem: Non datur DEus; non poteſt ullam conſequentiam abſurdam negare. XVI. 1ſ.

—— athei an dentur? & quales? XVI. 13.

Atheiſmo viam ſternit Puffendorffius. XIII. 4.

Vide DEus à *DEO* abſtrahere &c.

AUCTORITAS unde ſit principium indicativum juris naturæ. VI. 3.

—— In omni vita eſt neceſſaria IX. 8. n. ſ.

—— Eſt pars legis naturæ IX. 8. n. 7.

—— ante rationem adhibenda eſt in indagando jure naturæ IX. 9. ex S. Auguſtino. Conjungenda cum ratione. XVI. 31. num. 9.

Vide *Religio.* S. *Scriptura. Chriſti doctrina. Jus civile.*

AUCTORITAS Papæ. Vide *Pontifex.*

B.

Baelii ſophismata, quibus ſenſum communem oppugnat. VIII. 4. &c.

Barbeyracus contemptor SS. Patrum. XV. 14.

Beatitudo civitatis. Vide *Pax externa. Bonum* ſummum. *Commoda* vitæ.

Beatitudo quid ſit XVII. 4. num. 7.

Bilderbekii editor quam inepte ſtupeat ob jus naturæ à quodam Catholico editum. XV. 1. num. ſ.

BONITAS intrinſeca moralis actionis humanæ non conſiſtit in ipſa natura humana XVI. 10. &c. 32.

—— moralis non eſt niſi à ſummo bono libere appetito. XVI. 30.

BONUM tantum poſſumus velle, non malum VI. 2.

—— aliud verum aliud apparens, & tamen indicium juris naturæ VIII. 3.

Boni appetitus eſt bonus, mali appetitus eſt præternaturalis. VIII. 8.

Bonum verum eſt finis juris naturæ, non terrena hæc, quæ non ſufficiunt XIII. præcipue Them. 11, num. 8.

BONUM SUMMUM eſt finis juris naturæ humanæ & eſt fundamentum omnis actionis rectæ & juſtæ. XI. 3. &c.

—— ejus appetitus eſt indicium juris naturæ. VI. 2. & VIII.

—— quomodo voluntas illud appetat phyſice & moraliter. XVI. 30.

—— Puffendorffius conſtituit in commodis hujus vitæ. Vide *Commoda*.

—— Wolffius in natura humana & continuo progreſſu actionum &c. XVII. 1.

—— A boni ſummi ratione DEum nominatim excludit Wolffius. XVII. 3.

—— Quomodo debeat inhærere menti, aut à nobis poſſideri. XVII. 3.

—— Wolffius proſtituit atheis XVI. 37.

—— *Bonum ſummum*. quid philoſophi per hoc intellexerint. XVII. 4.

—— à Wolffio aſſignatum eſt magnum malum XVII. 8.

C.

Canonicum jus inter principia Juris naturæ externa admittendum. VII. 6.

Catechiſmus catholicus continet bonum jus naturæ. IV. 16. &c.

CATHOLICI an ignorent jus naturæ? IV. 5. 11. &c. Melius ſemper illud calluerunt quam Doctores heterodoxi. VII. 6. &c. IX. 8. &c. XV. X. 15. num. 4.

—— Num altum aliquid ſapiant ſicut Wolffius. XVI. 7. num. 2.

—— tanquam ignorantes jus naturæ quam inſulſe à Thomaſio arguantur. XV. 11. 12. num. 7.

Catholicum aliquem jus naturæ ſcribere non eſt res digna ſtupore totius orbis litterati, ut quidam ineptit, XV. 1. n. 5.

Catholicam Eccleſiam ut ſtultam calumniari fuit ſcopus Puffendorffii. XII.

Catholicæ juventutis periculum, cum conſcientiæ moderamen diſcit ex heterodoxis. IV. 6. Vide *Juventus*.

Catholici jura naturæ Puffendorffiana &c. ſequentes ſcandalo poſſunt eſſe infidelibus. XI. 18. num. 4. adde pag. 213, &c.

—— hierarchia non eſt ſtatus in ſtatu. I. 19. 20. & Appendix pag. 216.

Celibatus ſophiſtice reprehenſus à Puffendorffio. XII. 13.

CHRISTUS efficacior juris naturæ Doctor quam Philoſophi: X. 7. num. 3. &c.

—— Ejus doctrina à demonſtrando jure naturæ non debet excludi. X. 13.

—— ejus præcepta an ſint juris naturæ. X. 16. 17.

—— Ejus doctrinæ contradicunt jura naturæ heterodoxorum. XV. 4. n. 3.

—— Eum legiſlatorem eſſe negant jura naturæ heterodoxa. X. 12. n. 14.

—— ipſe naturam reſtauravit ejusque jus corruptum perfecit X. 12. n. 16.

CHRISTIANA *religio* per furtum irrepſit, Puffendorffio judice. X. 1. n. 11.

—— an habeat locum in regenda republica. X. 10.

—— debet eſſe regula juſti Chriſtianis. X. 12.

—— non pertinet ad alteram tantum vitam X. 12.

Chriſtianis conveniens an debeat eſſe jus naturæ ex cathedris noſtris explicandum. X. 3. n. 3. & Them. 4. & cap. IX.

Chriſtianus qua Chriſtianus & qua homo qualem regulam ſequi debeat? X. 12. num. 4. Sophiſma heterodoxorum. ibid. num. 10.

Clerici. Vide *Sacerdotes*.

Joan. *Clericus* S. Auguſtinum cur contemnat in jure naturæ, idque fallaciter. XV. 14. num. 3. &c.

COMMODA *hujus vitæ* ſunt malus finis juris naturæ Puffendorffiani. X. 10. num. 2. &c.

—— Non ſunt in poteſtate hominis XI. 12.

—— Non poteſt aſſignari, quæ ſint illa commoda, in quibus J. N. Puffendorffianum quieſcat XI. 15.

—— Non ſunt apta refrænare appetitum injuſti. XI. 18.

—— Non ſunt finis reipublicæ XI. 24.

—— Non ſunt finis juris naturæ XIII.

—— non poſſunt haberi pro fine ab eo, qui Chriſtianus eſt. XI. 25.

Commoda indefinite non poſſunt ſtatui pro felicitate ſeu fine hominis. XIII. 3. n. 5. & Them. 11. num. 7.

Concilia inter principia juris naturæ indicativa externa. VII. 6.

Conjugalis ſtatus eſt hypotheticus. 1. 7.

CONSCIENTIA quid? V. 27.

—— quo ſenſu ſit Principium Juris naturæ. V. 27. VI. 11.

——— Ex jure naturæ heterodoxorum non poteſt tuto dirigi. XV. 4.
Conſervatio ſui an ſit principium juris naturæ, inepta de hoc invento gloriatio Velthuſii. XV. 1. num. 7. Vide *Hobbius*.

D.

Demonſtrar metaphyſice an poſſi nt moralia? X. 7. num. 2.
——— an poſſit immortalitas animæ & DEus ut retributor. XI. 26.
Demonſtrativa methodus Wolfſium ſeduxit in contrarium. XVI. 28.
DEUS ſi fingeretur non dari, an daretur jus naturæ XIII. 12. num. 5. XVI. 32. num. 7.
——— à DEO independenter legem naturæ ſtatuit Wolfſius Cap. XVI. 3. 4. 6. 9. &c.
——— ab eo abſtrahentes inclinantur ad atheiſmum. X. 2. 8. Nec unquam ad veram juſtitiam pervenient, judice Porphyrio gentili Philoſopho. X. 7.
DEUM ſerio non admittit Puffendorffius XI. 23. 26. Neque Wolffius vi ſuorum principiorum. XVI. 11.
DEI voluntas à nobis non uno modo ſumitur, alia facit legem naturalem, alia poſitivam. XVI. 4. num. 5.
DEus ut retributor an poſſit ratione doceri? Scotus expenditur. XI. 26.
DEO non adimere poteſtatem legislatoriam, Wolfſio ſufficit. XVI. 11. n. 8.
DEI gloriam non promovere ſed tantum repræſentare poſſe, Wolfſius ſentit. XVI. 10. & 34.
DEO ſoli vacare an ſit opinio repugnans juri naturæ. XII. 17.
Erga *DEUM* officia Proteſtantes naturaliſtæ non recte tractant. VII. 1.
——— Non ſpectant tantum ad theologiam naturalem, ſed ad jus naturæ. X. 8. num. 4.
DEUS negari debet, ex principiis Wolfſii, ſi ea certo modo intelligat. XVI. 15. num 4. & Them. 35.
Admiſſo, *non dari DEum* nulla abſurda conſequentia poteſt negari. XVI. 15.
ADEO an dependeat lex naturæ. XVI. 32. & Them. 4. & alibi ſæpe. Vide *voluntas* DEI. Vid. *Wolfſius*.
Pro *DEUM* ignorante an debeat jus naturæ ſcribi, & in ſcholis explicari. XVII. pag. 211.
Divitiæ cum probitate ægre conſiſtunt. XI. 12. num 8.
——— earum rectus uſus conſiſtit potius in non uſu XI. 16. Vide *commoda vitæ*.

E.

Erronea conſcientia obligat, ſed non facit actum bonum. V. 27.
Eſſentia humana independenter à voluntate DEI an ſit regula morum ſeu lex naturæ? XVI. 3. n. 3. &c. Vide *natura humana* & *Wolfſius*.
Ethica an & quomodo differat à Juris naturæ diſciplina. VIII. 9. & 12.
Evidentia an debeant eſſe principia moralia. Vide *Demonſtrari*.

F.

FELICITAS hujus vitæ non eſt finis juris naturæ. XI, 12. Vide *Commoda*.
——— Reipublicæ temporaria non eſt finis juris naturæ ex Platone XI. 17.
——— & pax externa non eſt finis rei publicæ. XI. 21.
Fidem ſolam ſufficere, hoc per ſuum jus naturæ intendunt heterodoxi Doctores. X. 12. num. 12.
FINIS humanæ naturæ non conſiſtit etiam in virtute, neque in amore DEI temporario. XI. 27. num. 2. Sed tantum in aliquo ſummo. XI. 2. Chriſtianorum an diverſus à fine hominum. X. 12.
——— Ultimus an conſtet tantum per revelationem. XI. 6.
——— Juris naturæ Puffendorffiani quam anceps. XI. 4. Eum tantum generice ſupponere in jure naturæ non ſufficit. XI. 7. Debet durare quamdiu ipſa natura. XI. 10. Non poteſt conſtitui in re indifferente ad bonum & malum. XI. 11. &c. & Them. 16. Non eſt diverſus à fine ſingulorum. XI. 14. Verus finis juris naturæ eſt, qui ſufficit ad actionem faciendam Juſtam. XI. 13. Puffendorffius talem conſtituit J. N. finem, à quo etiam gentiles abhorrent. XI. 17. Alius circa hoc ejuſdem error XI. 21. Commoda hujus vitæ ab ipſo aſſignata pro fine juris naturæ repugnant ejuſdem principio. XI. 22.
Ex *Fine* & principio &c. actio humana fit recta & juſta. XI. 3.
FINIS reipublicæ non ſunt commoda & pax hujus vitæ. X. 12. n. 5. XI. 24.
Futura vita eſt finis juris naturæ. XI. 17. Vide *anima* immortalitas.

G.

GENTILES abhorrent à fine juris naturæ Puffendorffiani. XI. 17.

—— Eis an ſervit jus naturæ ex S. Scriptura traditum? IV. 15 n. 7. V. 16. num. 7. X. 2. 18. n. 4. XV. 4. n. 4.
—— Eis ſcandalum eſſe poſſunt Doctores naturaliſtæ heterodoxi. XI. 18. 2.
—— Rerum publicarum principium, medium, ac finem poſuerunt in religione. XI. 24.
—— Agnoverunt poteſtatem in ſe ſacerdotum. XII. 6.
—— Pro jure naturæ tutius leguntur, quam heterodoxi. XVII. pag. 213. n. 5. X. 18.
Gentium jus quid ſit. II. 29. I. 10. &c.
—— jure an poſſit introduci communis magiſtratus. I. 12. 13.
Grotius reiicitur à Puffendorffio X. 15. XV. 13. n. 5. A Gundlingio. XIV. 4. n. 10. & Them. 7. fædius à Salmaſio. XV. 13. n. 6.
—— non eſt primus inventor juris naturæ. XV.
—— Per miraculum miſſus à DEO ad jus naturæ reſtituendum, nihil profecit, ſed poſt eum crevit confuſio. Thomaſii ineptiæ. XV. 13.
—— Multo magis quam catholici peccavit in jure naturæ, ſi ſibi non contradicunt Doctores heterodoxi; quia Græca, Romana &c. abundantius immiſcuit XV. 13. n. 4.
GUNDLINGIUS quid contra S. Scripturam in jus naturæ non adhibendam cavilletur. X. 3.
—— Damnat jus naturæ Puffendorffii. XI. 18.
—— Fatetur, in jure naturæ non poſſe abſtrahi à DEO. X. 8.
—— Grotium ac Puffendorffium confuſos agnoſcit. XIV. 4. n. 10. & Them. 7.

H.

HÆRETICI an odio habendi? XII. 20.
—— an iis ſervanda fides? *ibid.*
HEINECCIUS modeſtior Puffendorffio non jus naturæ ſed civile tradit &c. XIV. 6.
—— in jure naturæ parum utilis IV. 15. tolerabilior tamen.
Fruſtra *rationem ipſam* pro principio juris naturæ aſſignat. V. 31. n. 5.
—— Ineptos judicat anteceſſores ſuos ad jus naturæ docendum. VII. 14. Ipſe etiam ad hoc ineptus eſt, qui confundit principia juſti, honeſti VII. 15. VIII. 14.
—— Profeſſus jus naturæ abſtractum docere ab hypotheſi moderna, tamen de religione moderna decernit. X. 1. n. 10.
—— Objiciens juri civili Japanes refutatur. IX. 3. 4. Ejus ſophiſma. *ibid.* & Cap. X. 1. n. 10. Aliud X. 4. 5.
—— Oſiandro debet reſpondere de S. Scriptura. X. 4. n. 6
—— An præferendus Chriſto in jure naturæ? X. 16.
Hierarchia Eccleſiaſtica non eſt monſtroſus ſtatus in ſtatu. Appendix. p. 216.
HOBBIUS Puffendorffio fere melior in jure naturæ. XI. 20.
HONESTI principium quomodo differat à juſto? VIII. 9. 12.
—— ipſum honeſtum eſt juſtum. VIII. 9. &c.

I.

Japanes non refugiunt Chriſtiana principia. X. 2. n. 2. Vid. *Heineccius.*
Ideæ innatæ an ſint. IX. 2.
Ignorantia antecedens, concomitans, & conſequens quomodo excuſet vel non. V. 28.
Immortalitas animæ. Vide *Anima. Vita* futura.
Immunitas eccleſiaſtica ſophiſtice impugnatur à Puffendorffio. XII. 9. Vide *Sacerdotes.*
INFIDELIBUS non ſervit jus naturæ Proteſtantium. X. 2. n. 2. Vid. *Gentiles.*
—— An ſit habenda fides. XII. 20. n. 3.
Innata principia juſti an ſint. IX. 2.
Inſtinctus ſpecialis poteſt eſſe principium indicativum juris naturæ. VI. 14.
JUS quid ſit? II. 1. &c.
—— Active & paſſive ſumitur. II. 4. 8.
—— omne activum eſt participatum ſeu derivatum à DEO. II. 12.
—— omne paſſivum refertur in DEum. II. 13.
—— A DEO communicatur homini *primò* per naturam: & hoc eſt jus naturæ. II. 22.
Secundo homo hoc communicatum jus ulterius communicat aliis: unde naſcuntur varia jura ſeu ſpecies juris humani, ut jus civile, gentium &c. II. 23. &c.
Jus humanum eſt communicabile. II. 14.
JURIS civilis, gentium, publici &c. origo, II. 25. 29. *Juris publici univerſalis* incertitudo, & forte noxa. II. 27.

JUS NATURÆ quid ſit & nnde. II.
——— an ignotum fuerit ante Grotium. IV. 5. 11. &c. Vide *Catbolici* XV. 11. 12.
——— mere philoſophicum pugnans eſt & varium. X. 7.
——— naturæ corruptæ non potuit perfici niſi à reſtauratore aliquo divino. X. 12. n. 16.
——— ad hoc pertinent omnes virtutes.
——— Ejus principium conſtitutivum eſt DEI ratio ſeu voluntas. V. 2.
——— Ejus Principium Indicativum quale? V. 5. Vide *Principium.*
——— Ei quomodo ſubordinentur cætera jura. II. 32.
——— Ejus *finis.* Vide *finis.*
JUS NATURÆ tanquam diſciplina. Jus naturæ à quodam Catholico ſcribi an ſit dignum ſtupore totius orbis litterati. XV. 1.
——— Novandi non adfuit ſana ratio heterodoxis doctoribus. XV. 2.
——— in eo novitas ſuſpecta eſſe debet. XV. 2.
——— otioſe ſcribitur pro ſtatu non exiſtente, ſeu pro ſtatu naturæ primævo. III. 2. &c.
——— ſcriptum pro uno ſtatu certo non mox convenit aliis ſtatibus. III. 14. &c.
——— ſcribentes varia poſſunt peccare, ut cum pro alio quam moderno ſtatu ſcribunt; cum à DEO abſtrahunt. cum religionem ſubjiciunt arbitrio civium. ibid. Vid. *Proteſtantes.*
——— non ſcribitur ſine magna difficultate. III.
——— varios abuſus poteſt habere NB. IV. 1. præſertim apud juvenes. ibid. Them. 5. 20.
——— nimia ſubtilitate corrumpitur. IV. 20. IX. 9. num. 17.
——— à novis quibusdam traditum felicius ignoraretur. IV. 14.
——— Juris naturæ titulus decepit Catholicos in Proteſtantium doctorum libris. XI. 27. num. 4. &c.
——— hæc diſciplina male inſtituta monſtroſos errores parit. X. 1.
——— Unde diſcenda juris naturæ diſciplina. VII.
——— an Chriſtianis aliud jus naturæ conveniat quam barbaris. VII. 16. X. 3. num. 2. 3. &c.
——— an diſtinguatur ab Ethica. VIII. 9. &c.
——— ab heterodoxis ſcriptum non eſt utile nec publice nec privatim. XV. 3. Vide *Proteſtantes*- X. 2.
——— Puffendorffianum non eſt jus naturæ humanæ. XIII. 5. Vide *Puffendorffius.*
——— An diſcendum, & quomodo ante jus civile. IV, 22.
——— ab eo non eſt excludenda S. ſcriptura. X. 3. Vide *S. Scriptura.*
——— Ratione ſola non poteſt diſci. Vide *Ratio ſola.* Sic enim oritur jus cerebrinum. IX. 8. num. 4.
JUS PUBLICUM univerſale quid & quale II. 27. unde poſſit addiſci. IV. 18.
JUS GENTIUM unde oriatur. II. 25. &c. A novis aliquot doctoribus ſcriptum poteſt aliquam levem utilitatem habere, excepto Puffendorffio, qui nullum ſcripſit jus gentium. XV. 9.
Unde utiliter diſci poſſit II. 30. IV. 19. 21. 23.
Controverſiæ juris gentium decidi debent ex pactis, conſuetudine &c. non ex Grotio, Puffendorffio &c. *ibid.*
JUS CIVILE unde oriatur. II. 23.
——— Eſt ipſa ratio IX. 7. Non igitur debet excludi ex principiis juris naturæ indicativis externis. VII. 5. &c. IX. 3. &c.
——— Ordinis cauſa non eſt vituperandum. *ibid.*
——— Male ſuſcepta ejus emendatio à Coccejis. IX. 7. num. 8.
——— quæ in illo ſunt arbitraria, an poſſint ſeparari à jure naturæ. XI. 7. num. 5.
——— Non abſtrahit à religione revelata & S. ſcriptura. X. 14. Sed ab hac regulam accipit.
——— Ad hoc diſcendum non ſunt idonea jura naturæ heterodoxorum doctorum. XV. 5.
JUS CANONICUM eſt inter principia juris naturæ ſignificativa externa. VII. 5. &c. IX. 3. &c. Quomodo illud ſubvertere cupierit Puffendorffius. XII. 8.
JUSTITIA univerſalis ſeu legalis debet diſci ex diſciplina juris naturæ. Juſtitia *particularis* ex jure civili. II. 33. VIII. 9. reſponſ. 4.
——— ſervat medium rei. VIII. 16.
——— Nulla eſt ſi anima eſt immortalis. X. 8. num. 8.
Juſtiſſimo homini non poſſunt evenire proſpera in hac vita. Adumbratio quædam Chriſti patientis ex Platone. XI. 12. num. 5.
JUSTI principia an ab educatione ſola manarint? VIII. 8. An pendeant ex arbitrio hominum. VIII. 8.
JUSTI, HONESTI, decori principia an & quomodo diſtinguenda? VIII. 9. Ob hanc diſtinctionem diverſas diſciplinas facere eſt ſupervacuum & abſurdum.

VIII.

VIII. 10. Hac diſtinctione carent Proteſtantium doctorum libri juris naturæ. VIII. 13.

JUVENIBUS nocere poſſunt libri juris civilis univerſalis. &c. II. 27. IV. 20. Item juris naturæ diſciplina perperam tradita, IV. & VIII. 14. & fecit atheos. X. 2.

Juvenes inepti ad jus naturæ ſublimius diſcendum. IV. 22.

JUVENTUS ab alienis doctoribus corrumpitur per latus religionis & juris naturæ. X. 11.

——— ſcandalizatur ex Jure naturæ Puffendorffiano. XI. 18.

L.

LEIBNITIUS optat tradi jus naturæ & gentium ſecundum principia Chriſtiana. IV. 17. num 4.

LEX idem fere eſt quod Jus. II. 18. tamen differunt. *ibid.* 20.

LEX DIVINA naturalis & poſitiva unde oriantur. XVI. 4. num. 8. Wolffius notatur.

LEX NATURÆ originaria eſt DEus, participata eſt ratio humana. XVI. 4. num. 8.

——— An ſit tantum conveniens voluntati DEI, an etiam ab illa dependens. XVI. 6. &c.

——— naturæ corruptæ indigebat reſtauratore. X. 12. num. 16.

——— per quid promulgetur? VI. & cap. V. cap. VII. XVI. 31. num. 9.

LEX CIVILIS non ad felicitatem temporalem ſed ad DEum ordinatur juxta Imperatorem, Platonem &c. XI. 21.

——— Cur obliget in conſcientia. I. 5. num. 8. XII. 11.

——— Ut ſit juſta quid requiratur? XII. 11. num. 8.

Leges patrias multum examinare, juvenibus noxium. IV. 1. Et magis noxium eas vilipendere. IV. 12.

LUTHERUS ante hunc ignoratum eſt jus naturæ. is cœpit illud invenire. & tamen poſt ipſum ignoratur. . riſtes de hac re nugæ Thomaſii. XV. 11.

——— ac Zvvinglius pretioſa inſtrumenta DEI in re tamen præcipua ſibi contradixerunt, & peſſime laudantur à Thomaſio. XV. 12.

——— Quam male rectam rationem conjunxerint fidei. XV. 12. n. 8.

M.

MAGISTRATUS non ſunt de eſſentia ſtatus civilis. I. 8. 9.

MALUM velle qua tale non poſſumus. VI. 2.

——— an ſit à DEO? XVI. 5. n. 3.

Mali appetitus eſt præternaturalis. VIII. 8.

In malum proclivitas non tollit proclivitatem in bonum. VIII. 6. 7.

MEDIUM rei ſervat tam juſtitia univerſalis, quam particularis. VIII. 16.

METHODUS Jus naturæ tradendi apud heterodoxos uſque ad Heineccium fuit confuſa &c, VII. 14.

——— Non fuit ſufficiens cauſa heterodoxis à jure naturæ per Catholicos tradito recedendi. XV. 2.

Methodos novare non eſt ſemper tutum. XV. 2. n. 5.

MONACHORUM vita an juri naturæ repugnet, ut criminatur Puffendorffius ſecum pugnans. XI. 10. XII. 13.

——— an ſanæ rationi quadret. XII. 16. &c.

Moralem obligationem non poteſt probare Puffendorffius, ſed phyſicam XIII. 6. 7. Neque Wolffius XVI. 16. &c.

Mori pro republica nemo poteſt in principiis Puffendorffii. XI. 22.

Motiva ad juſte agendum Puffendorffius ac Wolffius inania afferunt. XI. 22.

N.

NATURA in genere quid ſit? XVI. 3. n. 2.

——— humana nuda non eſt principium juris naturæ. V. 19. Relata tamen ad alia eſt principium juris naturæ. VI.

——— Nuda & indeterminata an ſit principium juris naturæ juxta Wolffium. XVI. 3. n. 3.

——— cum natura humana convenientia quomodo ſit principium juris naturæ. XVI. 9. & 17.

——— ejus contemplatio accuratior eſt medium inveſtigandi juris naturæ juxta Puffendorffium, quod tamen ipſe peſſime exſecutus fuit. XIII. 3.

——— Corrupta indigebat reſtauratore ad juſtitiam. X. 12. n. 16.

——— Ex ejus proclivitate ad malum male infertur, non dari proclivitatem ad bonum. VIII. 5. &c.

——— Naturâ æquales quomodo ſint homines. VI. 12.

——— Naturæ humanæ finis proprius. XI. 2. &c. Vid. *Finis.*

-Contra

——— Contra naturam peccata quæ ſint X. 17.
——— Ejus nomine abutuntur periculoſa de Deo ſentientes. XVII. pag. 215.
NATURALE quid appellemur. XVI. 4. n. 14.
NATURALISTARUM bella doctrina. X. 15. n. 7.
Naturaliſmi ſuſpectus eſſe poteſt Puffendorffius XI. 23.
NOVITAS in moralibus & jure naturæ ſuſpecta & perículoſa. XV. 2.

O.

OBLIGATIO moralis non poteſt à Puffendorffio oſtendi XIII. 6. 7. Neque à Wolffio XVI. 16.
——— Non oritur ex natura creata. XVI. 9. n. 4. &c. & Them. 17. 20. &c.
OSIANDRI ineptia de S. ſcriptura directe repugnante rationi. X. 6.

P.

SS. PATRES meliores ſunt auctores juris naturæ quam nuperi heterodoxi ſcriptores. VII. 7.
——— eorum contemtus in jure naturæ heterodoxo. IV. 7. XV. 14. Cur eos contemnant acatholici? XV. 14. n. 4.
——— Cum his nullo modo In ſcientia juris naturæ comparari poſſunt heterodoxi ſcriptores. X. 8. n. 9.
PAX EXTERNA non eſt finis juris naturæ. XI. 12.
——— ex principiis Puffendorffii non poteſt obtineri. XI. 12. &c. Vide *Commoda* vitæ: *Socialitas.*
PECCATUM philoſophicum in ſyſtemate naturaliſtarum eſt admittendum. XI. 8. & in ſyſtemate. Wolffii. XVI. 6. n. 2.
——— Contra naturam quid ſit. X. 17.
——— an ipſum ſit pœna peccati. XI. 26. n. 3.
——— de peccatorum remiſſione ſophiſmata Puffendorffii. XII. 15.
PHILOSOPHIA Hobbiana & Wolffiana ſeductoria. X. 2.
——— an ad hanc illa tantum pertineant, quæ metaphyſice demonſtrari poſſunt? contra Wolffium. X. 7. n. 2.
PHILOSOPHI gentiles apti ſunt, ex quibus jus naturæ aliquo modo diſcatur: cum cautela. VII. 11.
——— inefficaces tamen ſunt in hac doctrina, pugnantes inter ſe, ad Chriſti doctrinam obmutuerunt. X. 7. Quomodo legendi & corrigendi per S. Scripturam. X. 7. n. 6.
——— legi pro jure naturæ poſſunt magis quam heterodoxi ſcriptores. X. 18. XVII. pag. 213. n. 5.
PIÆ CAUSÆ legata quomodo impugnet Puffendorffius. XII. 18.
Pœna peccati an ſit ipſum peccatum tantum. XI. 26. n. 3.
Pœnitentiam Catholicam cavillatur Puffendorffius XII. 15.
Poëtæ apti ad jus naturæ diſcendum cum cautela VII. 12.
POLITICA Puffendorffii non ſana. XII.
——— an defuerit regibus Galliæ Hugonottas &c. domantibus. Appendic. pag. 216. b.
PONTIFEX Romanus quibus ſophiſmatis petatur à Puffendorffio. XII. 5. &c.
——— an ei *ſubjecti* ſint ſummi imperantes. *ibid.*
——— an reges deponere poſſit. XII. 7.
——— hujus an vero Wolffii ſit major auctoritas. XVI. 6. num. 6.
——— Poteſt damnare doctrinas malas. *ibid.*
——— An faciat monſtroſum ſtatum in ſtatu. Appendix. pag. 216.
——— Ejus obedientia non obeſt ſtatui politico. *ibid.*
PRÆMIA bonis an conſtituerit DEUS. II. 23. &c.
——— à DEO debentur atheo, in principiis Wolffii. XVI. 37.
PRINCIPES Pontifici eſſe *ſubjectos* invidioſe ſophiſticatur Puffendorffius. XII. 6.
——— Quomodo eidem ſubſint. XII. 7.
——— A regno depoſiti quomodo aliqui fuerint. XII. 7.
——— an libertate exuantur quod Pontifici pareant. Appendic. pag. 216.
——— Eis nihil prodeſt jus naturæ heterodoxum. XV. 7.
PRINCIPIUM Juris naturæ aliud conſtitutivum & aliud indicativum. V. 2.
——— Indicativum non eſt unum tantum. V. 6. 23. &c.

——— ad primum indicativum ſpeculativum non debet neceſſario deveniri. V. VIII.

——— nec debet eſſe infallibile quoad nos. V. 13. Neque *proprium*, hoc eſt, ut honeſtum & decorum excludetur. V. 16.

——— Non eſt amor ſui maximus. V. 17. Nec ſocialitas. V. 18. Nec eſſentia humana. V. 19.

——— Principia P. Schmier. V. 21. Ciceronis V. 22.

——— Principia Wolffii examinantur Cap. XVI. & XVII.

PRINCIPIA INDICATIVA juris naturæ alia interna, alia externa. V. 30.

——— Externa cur neceſſaria. V. 31.

——— Interna examinantur Cap. VI. Vindicantur ab objectionibus cap. VIII.

——— Externa examinantur cap. VII. Vindicantur ab objectionibus Cap. IX.

——— Ex illis non debet excludi revelatio. V. 9. &c. 15. &c.

——— Inter illa eſt ratio, ſed non quælibet. V. 25. nec ſola. *ibid.* 29. vide *Ratio ſola.*

PRINCIPIA juſti, honeſti, decori, an & quomodo diſtinguenda. VIII. 9.

PROTESTANTES doctores juris naturæ. eorum falſa quædam affecta circa jus naturæ, civile, ac religionem. I. 23.

——— Eorum libri de jure naturæ inutiles teſte experientia. II. 30. n. 4. XV. 3. 4. &c. &c. permulti imprudenter, periculoſe, noxie ſcripti. III. 15. VII. 1. n. 2.

——— Perfunctorie plerumque tractant jus naturæ, Catholici accurate, IV. 5, & ipſorum libri præ Catholicis ſunt mera paupertas. XV. 1.

——— Deceperunt Catholicos titulo juris naturæ. XI. 27. n. 3.

——— Nihil ſatis cauſæ habuerunt, ut methodo nova jus naturæ ſcribere contenderent, præſertim cum ipſi confuſe docerent. XV. 1. n. 4.

——— Mala docent & male. XV. 2. 10.

——— Anteceſſores ſuos vituperant. XV. 2. n. 9. IX. 9. n. 7.

——— Nova ſemper principia juris naturæ excogitant, non ſine periculo morum & reipublicæ, XV. 2.

. . . . Velthuſii ineptiæ de aliorum juris naturæ ignorantia. XV. 1. n. 7.

. . . Inter ſe pugnant pro Catholicis. XII. 1.

. . . Catholicos temerarie inculſant ignorantiæ in jure naturæ. XV. 12. n. 7. &c. ſuntque in hoc ingrati VII. 9.

. . . Eorum juris naturæ ſcientia cum SS. Patribus neutiquam comparanda. VII. 7.

. . . Ex proteſtantibus qui ante Heineccium ſcripſerunt, inepti fuerunt ad jus naturæ docendum. VII. 14. VIII. 13.

. . . Confuſe tradunt principia juſti, & deceperunt auditores VIII. 13.

. . . Contradictiones eorum in jure naturæ. IX. 8. n. 8. & ſophiſmata X. 19. & Them. 8. n. 8. X. 3. n. 2. &c.

. . . Quam fœda committant in jure naturæ X. 1.

. . . Pugna eorum circa uſum & non uſum S. ſcripturæ in jure naturæ. X. 5.

. . . Eorum jus naturæ ſeducit ad atheiſmum X. 2.

. . . Quomodo aliàs ſeducere poſſint juventutem. X. 8.

. . . ſunt ſcandalum gentilibus X. 9. Et Principibus Chriſtianis X. 10. Et Populo X. 11.

. . . Per jus naturæ intendere videntur *ſolam fidem* neceſſariam facere Chriſtiano. X. 12.

. . . Eorum ſophiſma magnum de Chriſtiano ut Chriſtiano. X. 12. n. 10.

. . . Intendunt docere, Chriſtum non eſſe legislatorem, & quæ hinc conſequuntur. X. 12. n. 14. Contradicunt ejus doctrinæ. XV. 4. n. 3.

. . . Plus nocent in jure naturæ quam gentiles Philoſophi. X. 18.

. . . An odio à nobis habendi. XII. 20.

Vid. *Grotius, Heineccius*, Coccejus, Oſiander, Puffendorff, Thomaſius, Velthuſius, Wolffius.

PUFFENDORFFIUS ob arrogantiam inſtituit jus naturæ ſcribere, & novam cathedram molitur. VIII. 12. n. 3.

. . . Male ſibi ſumpſit negotium reformandi jus naturæ. XV. 2.

. . . De ejus confuſione, ſtyloque quid ſentiat Gundlingius XIV. 4. n. 10.

- - - Promiſit deſcribere jus naturæ abſolutum non hypotheticum, & revera non ſcripſit niſi hypotheticum XIV. 4.
Ex ſeptuaginta quatuor capitibus ſolum capita ſex impendit in jus naturæ, cætera omnia ſunt aut præambula, aut ex inſtituto hominum pendentia. XIV. 5.
- - - ſecum pugnat, dum rationem ſolam in jure naturæ admittit. IX. 8. n. 5. & Them. 9.
- - - Auctoritatem vulgo ſubjiceret, ſi hic rationem ad eam convellendam inveniret. IX. 9. n. 9.
- - - Ejus principia juris naturæ pugnantia IX. 9.
- - - fœdi ejus errores ac confuſio. X. 1.
- - - Æque ac Hobbius poteſt ſeducere ad atheiſmum. X. 2. DEum non admittit ſerio XIII. 4. 12. XI. 23.
- - - Grotium rejicit ob religionem temeratam X. 15. ſecum tamen pugnans, & rejectus ob id ipſum à Lutheranis. *ibid.*
- - - Religioni Chriſtianæ alteram tantum vitam tribuit, improbe applicans S. Pauli dictum de miſeria Chriſtianorum. X. 12.
- - - Ejus Principia juris naturæ ſeducere poſſunt. X. 8. 12. XIII. 3. n. 5. ſunt principia juris canini. XIII. 5. unde nihil juris aut morale deduci poſſit. *ibid.* 6. &c. Principia inter ſe pugnant, quam pugnam neſcit componere. XIII. 9-12.
——— Finem juris naturæ ancipitem ſtatuit XI. 4. pugnantem cum principiis juris ab ipſo poſitis. XI. 22.
——— Non poteſt vi ſui juris naturæ oſtendere peccatum. X. 8.
——— Beatitudinem perperam conſtituit. XI. 11. &c.
——— A Platone damnatus XI. 17. 21. à Gundlingio. XI, 18. à Cicerone XI. 19.
——— Ab Hobbio parum differt. XI. 20. XIV. 4.
——— Motiva ad jus ſervandum inania affert. XI. 22.
——— Scandalo poteſt eſſe Turcis XI. 18. n. 4.
——— Ejus ſophiſmata de fine civitatum, multa in uno halitu. XI. 24. 6.
——— ejus iniqua argumentatio XI. 27. num. 4.
——— Sophiſmata in Pontificem. XII. 5. &c.
——— Contradictiones ex paſſione XII. 10. n. 5.
——— Facultate ratiocinandi non fuit inſtructus. XIII.
——— Ejus ſcopus fuit Catholicam religionem ut ſtultam & noxiam calumniari. XII. quam ſurtive natam criminatur. X. 1. n. 11. & aliis calumniis onerat præcipue monachos XII.
——— Ejus politica non ſana. XII. 3. aut ipſe inſanus eſt, aut Imperator ei contradictoria decernens. XII. 8.
Pyrrhoniſtæ veritatem negantes VIII. 1.

R.

RATIO SOLA privata eſt incompetens legum judex. IV. 1. XI. 8. num. 4. & Them.. 9.
——— nunquam aliquid in moralibus definiet, ſed auctoritas debet accedere. XVI. 6. num. 8.
——— non eſt principium juris naturæ V. 29.
——— ſeducit VIII. 7. num. 3. IX. 9. num. 12. &c.
——— in jure naturæ adhibita facit atheos. X. 2.
——— locum habet in poſſibilitate demonſtranda. X. 4. num. 8.
RATIO IPSA quam Heineccius promittit, magnus eſt ventus. VII. 15. adde contra Cap. IX. Them. 8. num. 9. & Cap. X. 16.
——— ab Heineccio commendata reperitur à Gundlingio in legibus poſitivis. IX. 7. X. 16.
Ratio recta quæ? VI. XI. 1. 16.
RATIO pura ſeu abſtracta non ſervit ad tractandum inter populos. VIII.. 10. num. 8.
——— eſt principium juris naturæ indicativum, ſed *recta* ab altiore regula. V. 25. &c. & cap. II. Quomodo per eam innoteſcat lex naturæ? XVI. 31. Ratione diſcere jus naturæ longos circuitus facit & periculoſos IX. 9. n. 13.
Rationem fere crepant pagani & hæretici. IX. 10.
——— an ea adhibenda in ſacris? contradicunt ſibi Lutherus & Zwinglius. XV. 12.
——— ejus uſus ante Lutherum & Zwinglium ignoratur juxta Thomaſium. XV. 12.
RATIO ſua pervertit Romanos. X. 11. num. 4.
Rationem noſtram ſuperantia multa admittimus quotidie pro certiſſimis X. 6. num. 3.

REGULA alia eſt prima, alia ſecunda XVI. 3. n. 3.
——— morum prima non eſt natura humana. Vid. *Natura humana.*
REGES. Vid. *Principes.*

RELIGIO eſt ſtatus I. 14. Non eſt ſtatus in civitate, ſed civitas eſt ſtatus in religione. I. 19.
——— Religioſo ſtatui non eſt ex ſe liberum magiſtratus, leges &c. inſtituere, ſed DEO liberum eſt, magiſtratum religioni præficere etiam ſupra reliquos ſtatus imperantem. I. 15. &c.
— — ex principiis juris naturæ excluditur ab heterodoxis, quam fœde. X. 1.
— — Non eſt à jure naturæ excludenda ideo, ut hoc perſuadeatur atheis. X. 2.
— — Eſt vinculum omnis juſtitiæ, X. 12. n. 5.
— — Et S. Scriptura ad jus naturæ neceſſaria eſſe negatur ab heterodoxis, qui tamen nihil probant, cum contrarium probarint alii. X. 12. num. 18.
— — Chriſtiana an habeat locum in regenda republica. X. 10. Eam ſubvertere nititur Puffendorffius. XII. 15. Vide *Chriſtiani Catbolici.*
— — An ſubſit arbitrio Principum? Velthuſii circa hoc portenta, & Puffendorffii. X. 1. n. 9-11.
— — in inſtituendis civitatibus præcipue ſpectabatur à populis. XI. 24. Pro fundamento legum omnium eſt ſtatuenda. VIII. 11.
— — Eam non eſſe finem civitatum inſtituendarum, quibus ſophiſmatis contendat Puffendorffius. XI. 24. 6. &c.

Religioſorum vita à Puffendorffii miſeris cavillis petitur. XII. 13.

RESPUBLICA quid? I. 8.
— — per ſe non requirit imperium. I. 9.
— — ejus pax an ſit finis juris naturæ. XI. 12. &c. 21.
— — Ejus finis male expenſus à Puffendorffio XI. 24.
— — Beata quæ? XI. 14. 15.
— — Ei male conſulitur per principia Puffendorffiana XI. 22. num. 4. Vide *Socialitas.*

REVELATIO neceſſaria ad jus naturæ perfecte cognoſcendum. X. 7. n. 6.
— — ab ea abſtrahunt heterodoxi doctores propter gentiles, cum tamen diſcipulos habeant tantum Chriſtianos. XI. 23. num. 6.
Vide *S. Scriptura. auctoritas* divina.

S.

SACERDOTII poteſtas à Puffendorffio cavillis petita, à gentilibus vero ſalutaris agnita. XII. 6.
— — & Imperii ſchiſmata mala, concordia optima. XII. 6. &c.
— — an à civilibus legibus liberi ſint ſacerdotes. XII. 9. 10.
— — quantum conferant in publicam utilitatem. *ibid.*
— — iis an liceat per Catholicos, opes in infinitum cumulare? XII. 10. num. 3. &c.

SACRAMENTORUM naturam cavillatur Puffendorffius. XII. 15.

SCHOLASTICI ignorarunt & confuderunt jus naturæ ſecundum Thomaſium hominem lepidum. XV. 12. & ſecundum Puffendorffium *ibid.* Them. 11. vide *Catholici.*

Scientiarum nimia ſubdiviſio & multiplicatio quam abſurda. VIII. 12.

S. SCRIPTURA eſt clariſſimus fons, ex quo jus naturæ hauriri poſſit. VII. 13.
— — Non eſt excludenda à jure naturæ docendo ideo, ut gentiles & athei juventur. X. 2. Quia ea convertit atheos à jure naturæ heterodoxorum ſeductos. *ibid.*
— — Nec ideo excludenda, quia arithmetica ex ea non poteſt diſci, juxta Gundlingium. X. 3.
— — Eam excludere à jure naturæ volentes coguntur tamen fateri eſſe admittendam. X. 5.
— — Melius quam philoſophia docet jus naturæ. X. 7.
— — Non debet excludi à jure naturæ demonſtrando X. 13. &c. XI. 17. num. 8.
— — Debet eſſe regula juſti inter Chriſtianos, X. 12.
— — An ſit contra rationem. X. 6.
— — de ejus evidentia Oſiander repugnat Heineccio. X. 4. num. 6.
— — An ſit ſupra naturam. X. 6.
— — Per eam corrigendi in jure naturæ ſunt Philoſophi. X. 7. n. 6.

SENSUS COMMUNIS eſt principium indicativum juris naturæ. V. 13.
— — datur, ac defenditur contra Bælii ſophiſmata. VIII. 4. &c.
— — quomodo differat à conſenſu. VIII. 4. reſp. 3.
— — non manavit ex ſola educatione. VIII. 8.
— — auctoritate innoteſcit. IX. 8.
— — cum aliqui exuunt. VIII. 6. n. 4. &c.

SOCIALISTÆ contra ſuum intereſſe excludunt à jure naturæ evangelium. X. 7. n. 6. Ab Hobbianis parum differunt. XI. 20.

SO-

SOCIALIS Status poteſt eſſe ſine imperio. I. 9.
SOCIALITAS non eſt principium Juris naturæ. V. 18.
— — ex hac nullum ſequitur officium erga DEum. X. 8. num. 7.
— — Male fundat jus, dempto DEO. X. 12. n. 6.
— — ejus pro principio ſumptæ, malæ ſequelæ. XI. 6. &c.
— — Non refrænat appetitum injuſti. XI. 18.
— — Puffendorffiana evertit ſocietatis vinculum. XI. 18. n. 7. Them. 22.
— — Puffendorffiana refutatur à Cicerone XI. 19.
— — Non poteſt eſſe finis juris naturæ, quia eſt indifferens ad bonum & malum. XI. 11.
— — hoc principium repugnat fini juris naturæ Puffendorffiano. XI. 22.
— — tanquam principium infertur à Puffendorffio ex præmiſſis falſis, verſatilibus pugnantibus. XIII.
— — occaſio multorum malorum. XI. 12. n. 9. XIII. 10. n. 3.
SOCIETAS œconomica I. 7.
— — Civilis I. 8. Non requirit per ſe magiſtratum vel imperium. I. 9.
— — complera gentium. I. 10. ſive ſtatus in ſtatu non tollit ſtatum ſimplicem ſeu priorem, ſed modificat. I. 5. 11.
Societas beata quæ? XI. 14. 15.
Solitaria vita an ſit contra jus naturæ. XII. 17.
Sophiſmata Puffendorffii. XI. 24. vide Puffendorffius.
Speculativi valde non ſunt nimium apti ad jus naturæ. ex Platone. IX. 9.
SPIRITUS privatus regnat, ubi auctoritas & ſenſus communis exulant. IX. 8.
— — Exagitatur à Platone. IX. 9. n. 17.
— — Eum fulcire intendunt Doctores juris naturæ heterodoxi. Vide *Ratio ſola.*
SPIRITUS fortes dicti fœde decipiuntur. XVI. 31. n. 7.
STATUS hominis quid ſit. I. 1.
— — Naturalis I. 3.
— — Adventitius. I. 4. Non tollit obligationes ſtatus naturalis, ſed modificat. I. 5.
STATUS in ſtatu non eſt monſtrum, ut fingunt heterodoxi. I. 5. 10. 11.
STATUI religionis non eſt ex ſe liberum, magiſtratus, leges, &c. inſtituere. I. 15.
— — Religio non eſt ſtatus in ſtatu ſocietatis, ſed ſocietates ſunt ſtatus in religione. I. 19. &c.
Subtilitates quænam in jure naturæ reſpuendæ. XI. 9. XVI. 7.
Supernaturale quid ſit. XVI. 4. n. 11. cautela circa hoc. *ibid.* n. 12.
Surdus à nativitate caret principiis moralibus. exemplum. IX. 9. n. 11.

T.

THEOLOGIA naturalis. An ad illam tantum pertineant officia erga DEum. X. 8. n. 4.
THEOLOGI ſcholaſtici ignorarunt jus naturæ juxta Puffendorffium. X. 15. n. 4. XV. 11. & Thomaſium. *ibid.* 12.
— — Catholici quanto meliores ſint juris naturæ doctores præ heterodoxis. VII. 8. Vide *Catholici.*
S. THOMÆ doctrina eo ſpectat, ut homines uſu rectæ rationis priventur, juxta Thomaſii miſerrimam hiſtoriam juris naturæ. XV. 11.
THOMASII fœda in jure naturæ. X. 1. num. 6.
— — Perturbatæ ſententiæ de jure naturæ ante Lutherum ignorato, per Grotium invento, & tamen poſt Grotium iterum pejus ignorato. XV. 11. &c.

V.

VELTHUSIUS quam fœde ex jure naturæ ſentiat de religione. X. 1. 9.
— — ejus inepta jactantia de ſua juris naturæ ſcientia, aliorum vero ignorantia. XV. 1. n. 7.
VERITAS in poteſtate noſtra non eſt. VI. 1.
— — an detur? VIII. 1.
— — Inventu difficilis. VIII. 2.
VIRTUTES morales omnes pertinent ad jus naturæ VIII. 9.
— — veræ non ſuot, quæ ad finem ultimum non referuntur. XI. 5.
VITA præſens non poteſt eſſe finis juris naturæ, ſeu noſtrum ſummum bonum. ex Platone. XI. 21. n. 7. In hac conſtituens finem juris naturæ agit illuſorie. XI. 22. vide *Commoda* vitæ. *felicitas. Finis.*
VITA futura finis eſt hominum etiam ante Chriſti prædicationem. X. 12. num. 7. & Them. 17.
Vita ſolitaria an repugnet juri naturæ. XII. 17.
VOLUNTAS DEI an ab ea pendeat lex naturæ. XVI. 4. &c. 23 vide *DEus*
Vota religioſa cavillatur Puffendorffius. XII. 13. &c.

W.

WOLFFIUS pro principio juris naturæ ſtatuens eſſentiam humanam male juvat atheos. V. 19.

— — urgetur, ut indicet, qui ſint illi altum ſapientes, quibus ſufficit ſola ratio. IX. 8. num. 11.

— — æque ac Hobbius poteſt ſeducere ad atheiſmum. X. 2. Collatus in hoc cum Platone *ibid.* num. 6.

— — Vitam futuram &c. ad Philoſophiam & jus naturæ nihil pertinere exiſtimat. X. 7. num. 2.

— — Ejus principia poſſunt ſcandalo eſſe Turcis XI. 18. num. 4.

— — ejus doctrina de Motivo illuſoria eſt, ſi finis juris naturæ eſt in vita præſente ſitus XI. 22.

WOLFFII PRINCIPIA juris naturæ examinantur Cap. XVI. & XVII.

— — propter obſcuritatem, difficultatem, & confuſionem minus quam alii noceret XVI. 1.

— — Ejus doctrinis moralibus nemo poteſt tuto aſſentiri, quia neſcit an capiat. XVI. 2.

— — jactat, ſe in moralibus falli non poſſe. XVI. 2. num. 2.

— — Eſſentiam & naturam humanam pro principio juris naturæ conſtituit. XVI. 3.

— — Legem naturæ independentem à DEO tanquam ſuperiore quam periculoſe faciat. XVI. 5.

— — Bonitatem actionis humanæ conſtituit in eſſentia humana independenter à voluntate DEI: unde ſequitur peccatum Philoſophicum. XVI. 6.

— — Promittit docere altam ſapientiam, ſed promiſſo non ſtat. XVI. 7.

— — Gloriatur, multa ſe nova inveniſſe in jure naturæ. XVI. 8.

— — Convenientia actionis humanæ cum natura in aliquo ſenſu eſt principium juris naturæ. XVI. 9.

— — Repræſentatio gloriæ DEi frigide ab ipſo tractatur. XVI. 10.

— — DEum inconſequenter admittit, non vi principiorum ſuorum. XVI. 11.

— — DEo beneficium præſtare velle videtur, quod illi non adimat poteſtatem legislatoriam. XVI. 11. n. 8. &c.

— — Anguſtias ſentit in ſuis principiis, ex quibus evolvere ſe fruſtra conatur. XVI. 11. & 16.

— — Legem naturæ tandem ait etiam fieri divinam. XVI. 11. n. 12. &c.

— — Tautologia ejus. XVI. 11. nu. 14. & 18. 22. n. 13. & XVII. 1. n. 17. & XVII. 2. 6. n. 3.

— — ejus contradictoria. XVI. 11. n. 16. & Them. 28. & alibi ſæpe.

— — Ad DEi voluntatem denique coactus recurrit. XVI. 12.

— — Atheo non poteſt probare, an detur veritas. XVI. 14. neque ullam abſurdam conſequentiam eidem poteſt negare. XVI. 15. 16.

— — Ex ejus principiis certo modo intellectis debet negari DEus. XVI. 16. Vana ejus excuſatio.

— — ejus fluctuatio de exiſtentia aut cognitione legis naturæ independenter à DEO. XVI. 16.

— — obligationem moralem non, ſed mere phyſicam poteſt admittere in ſuis principiis. XVI. 17. 20. &c.

— — liberum arbitrium relinquit ſemper ſuſpenſum. XVI. 19.

— — in ejus principiis nulla datur virtus moralis. XVI. 20.

— — Ingenium melius adhibuiſſet contra atheos, quam pro illis XVI. 21.

— — Magna difficultate oneravit jus naturæ. XVI. 26.

— — Ejus de principiis juris naturæ indicativis peregrina ſententia. XVI. 28.

— — Methodo demonſtrativa uti volens infeliciter incidit in contrarium ejus quod demonſtrandum ſuſceperat. XVI. 28.

— — Ex ejus principiis æque malum ac bonum conſequitur, uti ex Puffendorffii. XVI. 32.

— — DEo tantum per accidens tribuit vim obligandi, naturæ humanæ per ſe. XVI. 33.

— — Atheis lectulum ſternit. XVI. 35.

— — ſummum bonum in gratiam Atheorum definit. XVII. fere per totum.

— — à ratione ſummi boni DEum nominatim excludit. XVII. 3. &c.

— — ſentiens in hoc peccatum ſuum frigide ſe excuſare conatur. XVII. 5.

— — ſummum bonum conſtituit in mediis ad illud. XVII. 6. Vana hic ejus excuſatio. *ibid.* n. 8.

— — Nullum admittit ſummum bonum. XVII. 7.

— — Ejus ſummum bonum eſt magnum malum. XVII. 8. quanto ſolatio eſſe poſſit homini peccatori *ibid.* n. 7. & Atheo n. 11. & pag. 212.

Errata

Errata in Larva Detracta,

Quæ benevolus lector cum cæteris emendare rogatur.

pag.	Mendum	Emendandum
11. b. *circa med.*	Connubii Sorori - - - -	*Sororii.*
24. b. *fine.*	Frimam &c. - - - -	primum & proprium
26. b. *med.*	Ea quoquam. - - -	ea *à quoquam.*
29. a. circa fin.	Veri obducto - -	Veri *obducta*
38. a. ante med.	Ex integro ſubjicit. - -	*ſubjit.*
44. a. ante fin.	Diſcat vere honeſte - - -	*vivere* honeſte
65. b. an. med.	Nec de pœnis à DEO &c. -	*Nec de à DEO ſtatutis præmiis*
68. b. poſt. med.	Collectari ſolita - -	*Colluctari* ſolita
63. b. ant. fin.	Paſſim dederunt - -	Paſſim *nomina* dederunt.
77. a. num. 14.	Juſtum ſophiſma . - -	*Iſtud* ſophiſma.
85. b. an. med.	Dico eſſe hæc maxima -	*Duo* eſſe hæc maxima
87. b. ℞. 5.	Faciunt qui contra. - -	*Faciuntque* contra
89. a. ant. fin.	Poſſibile revera ſit - -	revera *fit*
94. b. an. med.	Huc demum cedit - -	huc demum *redit.*
—— poſt med.	Videt ignaviam - -	*ridet* ignaviam.
100. an med.	Deſerto loco natus - -	*nactus*
117. med	Aliud eſſe quod ſacerdotem -	Aliud eſſe *quam*
124. a. num. 6.	Quodſi etiam verba, *ex ſe* ſunt	deleatur comma.
126. b. num. 5.	Supra eo libro - -	ſupra *ex* libro
127. a. num. 1.	Proxime contemplatio -	Poſt verbum, *proxime,* inferenda ſunt hæc: *Contemplatio internorum, ſecundo ac remote*
131. a. num. 5.	Jus eſt: homini - -	deleantur duo puncta.
144. a. num. 3.	Puffendorſhio - -	*Puffendorſius.*
—— num. 4.	Aliis quoque. - - -	*Aliis* quoque
—— ——	Redacta fuit - - -	Redacta *ſint.*
148. b. ant. fin.	Exprobravit. - - -	*Exprobrarit.*
152. a. num. 1.	videretur judex - -	*rideretur* judex
153. a. Them. XI.	quantamque talem - -	quantamque *utilitatem*
154. a. num. 6.	Et certam rationem - -	Et *rectam* rationem.
163. b. num. 11.	fit extra ordinem, ad ſecundum.	Poſt comma interſeratur *licet DEus.*
169. a. num. 6.	ſed ſuper eam - -	*ſuperſedeam*
173. b. num. 17.	humanam eſſe independentem lege:	*non* eſſe independentem.
174. a. num. 2.	quia à DEO intendi - -	*qua* à DEO
—— num. 4.	uſum ipſum facultatem - -	uſum ipſum *facultatum.*
188. a. Them. XXVII.	DEum non *concludi* - -	*excludi*
190. a. num. 3.	*Votulas*, & ex his - -	*rotulas*, & ex
204. b. lin. 2.	Nam *videas* - - -	nam *videns.*
205. a. lin. 10.	& *parcum* - - -	*porcum*
—— b. num. 3.	in *conſultam* tautologiam corrig. in *conſuetam*	
213. b. num. 7.	qui cetera *auctus.* - leg.	*acutus.*
214. a. lin. 4.	voluntarie *parco* - leg.	*porco*
215. h. ad fin	nihilo *ſevius.* - - - leg.	nihilo *ſecius.*
216. b. ad finem.	maxime *voluere.*	deleatur verbum *voluere.*

Art. 1318320

Digitized by Google

Google

Google

8519

Digitized by Google